

[www.e-rara.ch](http://www.e-rara.ch)

**Joannis Fernelii Ambiani, Universa medicina, tribus et viginti libris absoluta. Ab ipso quidem authore ante obitum diligenter recognita, et quatuor libris nunquam ante editis, ad praxim tamen perquam ...**

**Fernel, Jean  
Fabius, Esaias  
Fernel, Jean  
Gervasius, Renatus  
Plantius, Guilielmus  
Poncet, Simon  
Rivaudeau, André  
Thoor, François de  
[Genève], 1580**

**Bibliothèque de Genève**

Shelf Mark: Nf 75

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-6409>

Joan. Fernelii Ambiani, Therapeutices universalis, seu medendi rationis, lib. VII

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



# IOAN. FERNELII

## Ambiani, Therapeutices vniuersalis, seu medendi rationis, lib. vii.

### PRAEFATIO IN LIBRVM PRIMVM.

*Natura legibus esse medicinae leges consentaneas.*

*Vniuersi  
atque mi-  
crocosmi  
easdem esse  
leges.*



*Medicina  
ad naturae i-  
mitationem  
efficienda.*

**V**NIVERSA illa mundi natura, omnia continens atque per singula meabilis, vt Solis & Lunae reliquorumque syderum cursus & couersiones, temporumque vices & tempestatum commutationes atque Oceani aestus reciprocatationisque moderatur: ita & hanc rerum immensitatem ordine certo & constantia regit immutabili. Nec verò tam sapienter & vniuersa gubernare & singula fouere posset, nisi diuina quadam mente architectatrice & conseruatrice vteretur: quae consilio & recta ratione omnia prudenter administraret, & prouidenter tueretur. Haec autem ipsius ratio, lex est naturae, summa quippe vis in sita in natura, qua administrantur omnia atque existunt & conseruantur singula: ceu imperium quoddam cui cuncta pareant, & sine quo nec rerum natura nec mundus ipse consistat. Atque haec quidem lex vna cum mundo nata, è summa est mente Deique numine profecta. Nam, vt inquit Plato, quum Deorum sator mundum naturamque conderet, huic simul leges fatales indixit. Iam verò quicquid aut animantium aut stirpium aut metallorum genere continetur, inferiore hac mundi regione comprehensum, id peculiari quoque quadam natura (quae sua est rei cuiusque) constat, quae quod genuit, tuetur & regit. Haec rursus peculiaris cuiusque natura, propria lege eaque stabili & rata ducitur, qua actiones omnes perficit, illaque tota est obediens & subiecta vniuersae naturae, eiusque propria lex summae legi: vt omnia vna quasi consensione & sympathia iussis supremae legis obtemperet. Itaque quicquid habet naturae imperium, id perpetua constantia rectaque ratione & conuenienti lege sustinetur. Haec si ad nostram medicamque contemplationem referemus, quicquid in homine praeter cognitionem & voluntatis arbitrium inest, id omne administratur naturae legibus. Ad huius autem similitudinem effectum simulachrum quoddam est medicina, quae naturae legem semper intuens in eamque defixa, ad ipsius imitationem, studium & opus omne dirigit, vt homini firmam minimamque morbis obnoxiam valetudinem conseruet & tueatur, lapsam verò & affectam erigat & in integrum restituat, vitamque ipsam saluam & incolumem quam potest fieri longissimè producat. Illa quidem nata aut potius aeterna, haec verò scripta naturae lex est: illa archetypus & primum exemplar, haec solida & expressa quaedam est eius effigies. Has nulla vis humana, nulla regionum locorumve mutatio, nulla temporum decursio peruertit: sed inuiolatae, stabiles, & omni seculorum aeternitate immutabiles & perpetuae manent. His vel inuiti (quia mors omnibus communis) colla submittunt, qui omnium gentium populos sibi subiicere & legibus astringere contendunt. His imperatores summique reges parent, aut certe non impunè refragantur. Haec legum omnium praestantissima, omnium gentium peraeque communes prorsus necessariae & immutabiles. Quum igitur sit tanta earum necessitas, tanta praestantia, enitendum

enitendū omnino vt integræ, puræ & castæ hauriantur è saluberrimis & purissimis naturæ fontibus: non eæ quidē arctæ & rigidæ, sed blandæ ac mites, quæ morbis grauitè afflicto erigant, recreent & reficiant: eos verò qui earum ope medicinam sint facturi, magna dignitatis cōmendatione apud omnes extollant, fiantque tandem suafori honorificæ, morigero & obtemperanti frugiferæ, toti denique humano generi salutes.

*Medici officium, & quæ artis præstantia. Cap. I.*

**M**EDICI munus atque officium est curare appositè ad sanādum. Non enim semper ægrotum sanitati restituit. Appositè autē curat qui citò, tutò & iucundè remedia confert. Medicus porrò remedia cōfert, non solùm vt naturæ minister, sed interdum vt adiutor, interdum etiam vt opifex primarius. Est enim in plerisque ars natura præstantior: vt quæ non solùm naturam imitatur, sed & modò adiuuat, modò etiam superat, ac sæpe medendo plus quàm natura gerit. Etenim humanæ vitæ moderatrix natura, cūcta quàm optimè potest administrat, idque assiduè molitur, vt corpus in extremam vsque vitæ periodum integra, aut quam saltem ortu accepit, sanitate cōseruet: & si qua id fortè extrinsecus iniuria laesificur, eam pro vitibus propulset. Quæcunque autē vel tuenda sanitate vel morbis profligandis rectè illa gerit, imitatur cōsilióque dirigit medicina, vnam sanitatem scopum agendorum sibi proponens. Nōnunquam & morbi pernicacia impeditæ vel imbecillitate laboranti naturæ, adiutrix medicina fert opē, & māca inchoatæque munera explet ac perficit, diuturnosque morbos plerūque breuiore facit. Quinetiā naturam interdū ea superat. Siquidem luxatos artus reponit, vulnerisque disiuncta labra adducit, & in aliis non paucis præcipuam curationis partem administrat, quam minimè natura aggredi potest. Quorsum quæso constituta hæc esset tot tantisque maiorum vigiliis, nisi maius quiddam & excellentius quàm natura præstaret? Vt fabrica in auro, quæ naturalis est materia, opera magna & eximia insculpit superiora naturæ viribus, & architectura ex lignis & lapidibus ædes tēplaque extruit, quæ architectari natura nunquā posset: sic & medicina nōnulla maiora, interdū & præstantiora gerit, quàm natura queat efficere. Nimirū quòd natura instinctu solo medicina verò rerū ducatur cognitione ac intelligentia. Quū igitur omnium quæ mūdus habet medicina perspectas vires teneat, internoscātque salutaria à pestiferis, hæc quidem longè præuidet & declinat, illa confectatur & inquirat, & ita tempestiuè adhibet, vt suis viribus exitiales alioqui morbos leniat faciātque salutes, quos sola natura nunquā euicerit. Iam verò medicinæ scopus sanitas est. Hanc violatam restituit sanatio, quæ modò natura ac sponte modò arte fit. Leuiore morbos sola natura plerunque sanat, idque per se nullo artis subsidio: grauiore sæpius arte indigent, quos non ipsa per se, sed adhibita curatione sanat: nam quæ arte fit sanatio, non nisi curatione perficitur. Est autē curatio, recta atque conueniens remediorum vsurpatio. Remedia dicimus quæcūque corporis affectum præter naturam depellunt. Horum autem recta & conueniens est vsurpatio, quum idonea quantitate & modo rationeque congrua adhibentur, atque in his curatio omnis cōsistit. Tria igitur sunt quibus ars tota medendi constituitur: remedij genus, quātitas & vtendi ratio: quæ hoc libro accuratè persequi cōsiliū est. Remedij genus vt planiùs cognosci percipi que possit, discernendū vnūne an multa esse oporteat. Si vnū, simplēne an compositum: si multa, simulne omnia, an sigillatim, & quo queq; ordine afferēda sint. Atq; hæc recta censenda est methodus. Quātitas rectè designabitur si constet quàm validū remedium, quo gradu recessus à mediocri, quo pōdere, quoties & quandiu exhibendū sit. Vtendi ratio explicat per quæ loca abigendus morbus est, cui sedi adhibenda remedia, qua forma, quo morbi tēpore, quāve hora. Hæc igitur omnia nosse oportet, vt conueniens fiat remediorum vsurpatio. Quum enim remedium cōuenienti & quantitate & ratione adhibetur, arte curatio succedit.

*De remedij inuentione. Cap. II.*

**M**ORBVS omnis contrariis profligandus: cōtraria enim sunt morborum remedia. Remedium est quod morbum depellit: quicquid autē morbum depellit, id illi vim infert: quod vim infert, contrarium est: omni ratiōne igitur remedium morbo contrarium esse necesse est, omnemque morbi depulsionem atque cura-

tionem contrariis perfici. Contraria multifariam dicuntur. Quæ non in qualitate solum, verumetiam in quantitate, in numero, in situ, in figura, in omni denique genere plurimum distant, ut calidum & frigidum, humidum & siccum, durum & molle, crassum & tenue, atque etiam magnū & paruum, multum & paucum, altū & depressum contraria sunt, quæ propriè nuncupantur aduersa. Alia contraria sunt quæ priuantia appellantur, ut plenum & inane, integrum & corruptum, cōtinuum & solutum. Quæcūque autem remedia contraria morbos remouere & valetudinem restituere possunt, in hæc tria genera retulerunt medicorū celeberrimī, quæ sunt medicamentū, chirurgia, diætā. Chirurgiam in aliud tractandi tēpus reiecimus, medicamentorum alimentorūq; vires hīc tradituri. Quæ morbis aduersa dicuntur, nō in mediocritate quadam consistunt, sed ab hac in oppositum diuertunt. Quod enim mediocre est in medio extremorum positum nunquam ad mediocritatē id traducet, quod vel extremū iam est, vel in extremum deurgit. Nam quum illa vel permissiōne vel contactu congregiuntur, mutua actione sese obtundūt, suāsque vires remittunt, ac neutrum omnino in alterius naturā, sed in medium quiddā facessit. Itaque quod frigidum est, non temperatis, sed calidis duntaxat in temperiem reuocat: quæadmodum quod totuosum est, nisi in aduersum crebrò retorquetur, rectū vix euadet. Hoc autem in priuantibus multo euidentius existit, inter quæ quoniā medium nihil intercedit, non nisi contrariis curationem perficiunt. Rata igitur

*φάρμακον  
τιν, χε-  
ρουργίαν  
καὶ διαίτη-  
τιν, partes  
medicinas,  
quod medi-  
cina, manus,  
et victu mor-  
bos depellat.*

*Morbos quos-  
dam simili-  
bus abigi  
quomodo ac-  
cipiendum.*

*Aphor. 25.  
lib. 5.*

*Partis simila-  
ris morbi.*

*Organici  
morbi.*

*Cuique mor-  
bo suum op-  
positum re-  
medium.*

constansque manet curandi lex per contraria. Arbitrantur plerique, medendi summā legem euertere, dum morbos quosdam audiūt remediis depelli similibus. At eiusmodi omnia morbo licet similia sint, eius tamen causæ primū ac per se aduersantur, morbo autem ex accidēti: hūncque tollunt non per se, sed sublata eius causa. Sic rheumbarum quāuis calidum febrem soluit, dum ipsius materiam expurgat. Et lassitudinem exercitatio lenit, quod humorem per musculos effusum discutiat. Et vomitionem sedat vomitio, quæ proritantem humorem excutiat. Et dysenteriam purgatio leuat, noxia materia eius efficiente causa detracta. Ad eundem propemodum frigidæ largæ perfusio conuulsionem (ut est apud Hippocratem) soluere putatur. Cæterum nō eiusmodi remedia hīc scrutamur, sed quæ primū ac per se affectum summoveant. Sunt autem eiusmodi omnia curando affectui verè contraria. Itaque quū suum cuique morbo contrarium sit remedium, eadēque sit contrariorum doctrina, quod certè morborum, tot & remediorum genera sunt constituenda. Ut igitur aliās vnicus morbus est, isque aut simplex aut compositus: aliās multi existunt modò impliciti, modò disiuncti: ita sanè & remedium aut vnum est, idque vel simplex vel compositum, aut multa existunt vel disiuncta vel implicita. Hæc summa remediorum genera ex vno simplicique fluxerūt. Nā ut vnū multis, ita simplex cōposito prius existit. Quocirca ut ea rectè constituantur, simplicia enumeranda sunt, & in primis inuestigandi colligendique simplices omnes affectus præter naturā, quicunq; vel in corpore vel in humoribus aliisve cōtentis subsistūt. Partis quidē similis vitia & simplices affectus cōtra naturam sunt, intemperies calida aut frigida, humida aut sicca. Ad hæc substantiæ laxitas & mollitudo: deinde corruptio atque putredo. Eadem vitia in humoribus quoq; atque in cæteris cōtētis insunt, maximè verò intemperies & corruptio. Præter hæc quoque immodica exuperantia, qualis in plethora, turbulenta agitatio atque defluxio, crassities atq; tenuitas, durities & mollities, lentor seu tenacitas & acrimonia. Hæc enim quoties à naturæ modo longiùs absunt, vitiosa & præter naturam censerī debent. Instrumentorum verò vitia, quæ quidē medicamentis emendari possunt, numerari solent: meatum leuitas & asperitas, angustia seu coarctatio, & amplitudo seu dilatatio, densitas & raritas, occlusio & apertio. Nam cætera quæ vel in figura vel in numero vel in magnitudine fieri tradūtur, aut ex enumeratis humorum vitiis obtigerunt, aut certè chirurgiam expostulant, quemadmodum & continui solutio affectus partis vtriusque communis. Quare non alij simplices & primi affectus præter naturam consistunt in nobis, quorum sit per medicamentā curatio. Iam verò si his aduersas medicamentorum vires perscrutemur, ita quidem in medēdi arte omnia inter se collata è regione respōdere videbūtur, ut quod affectus contra naturam simplices, totidem existant & medicamentorum facultates, parque sit affectuum atque remediorū numerus. Quod & alia diuidendi ratione certius aliquando demonstrabitur. Itaque intēperiei calidæ contrauenit & opponitur medicamentum refrigerans, frigidæ calfaciēs, humidæ exiccans, sicca humectans. Humorū exagitatio-  
ni sedans

ni sedans & reprimens: defluxioni tum inhibens tum repellens. Exuperantia aduersatur vacuans per vomitum, aluū, vterum, per vrinas & sudores & quod per nares aut partem aliam attrahit: & quod per cutem resoluit digeritque: crassitie τὸ λεπλωτικὸν attenuans: tenuitati τὸ παχλωτικὸν incrassans: duritie τὸ μαλακτικὸν emolliens: mollitie τὸ σκληρωτικὸν indurans: lentori τὸ ῥυθμικὸν καὶ τμητικὸν detergens & expurgans. Acrimonia τὸ ὑδατώδες ἐμπλαστικὸν illinens & glutinosum frigidum. Partium laxitati τὸ σωματικὸν contendens & corroborans. Corruptioni quod hanc inhibet alexiterium & alexipharmacum: putredini concoquens, suppurans & expurgans: quibus contraria sunt venenatum, corrumpens & septicum. Meatum laxitati repugnat τραχύνον exasperans, asperitati λεῖπνον laxigans. Angustia dilatans, dilatationi coangustans seu adstringens: densitati ἀραιωτικὸν rarefaciens: raritati πυκνωτικὸν densans: occlusioni ἀνασφομωτικὸν aperiens: aperi-  
 10 tionι συνακτικὸν occludens. Continui solutioni & agglutinans & tarcoticum & epuloticum: his autem contraria sunt exulcerans, exedēs, causticum & escharoticum. Omnes igitur simplices tum affectus præter naturam tum medicamentorū facultates summam percensuisse videor. Hæc generalis est remediorum pro affectuum varietate inueniendorum ratio atque indicatio summa, è qua medicamentorum omnium tam simplicium quàm compositorum vires peti debent.

*Simplicis affectus, simplex curatio. Cap. III.*

20 **S**IMPLEX affectus, simplici remedio, compositus cōposito propellendus. Qualis enim morbi, talis est & contrarij remedij conditio. Vt enim affectus alius simplex est, alius cōpositus vel implicitus: ita contrarium remedium aliàs simplex aliàs cōpositum aut ex variis implicitū sit oportet. Itaque simplicis affectus simplicissima est per contrarium curatio. Cui per se  
 30 et cognita que sit morbi natura, facile sit nulla adhuc arte, sed cōmuni quadam animi notione contrarium ipsi curando remedium opponere. Nam si vel corpus vel humor aliudve contentū calidius euasit, cuius efficiens causa esse desierit, solis refrigerantibus ad mediocre tēperatūmq; remigrabit: si verò frigidius, solis calfaciētibus, si humidius siccantibus, si siccius humectantibus: si quid denique humoris copia turget vacuantibus, si quid inanitum est replentibus. Eadēque ratione in ceteris, omnem exuperantiam cōtraria depellit exuperantia. At verò inter simplices illas & primas ceterarū quasi  
 40 effectrices, quæ calida est intēperies pari tempore atque frigida discutitur. Licet enim caloris quàm frigoris maior sit efficacitas, illi tamen patientis corporis repugnātia magis obsistit: agenti frigori vt minus efficaci, ita & repugnātia minor occurrit, quò sit vt pari illa tempore suas efficientias exerceant effectūsque compleāt. At nihilominus tutior est ac mitior calidorū quàm frigidorum vsus. Nam frigida dum calorē præter naturam expugnare contendunt, insito pariter negotium facessunt: calida verò dum frigus propellant, insitum pariter calorem exuscitant atque fouēt. Sed & insitus corporis calor aduentitio quasi auxiliarius opitulatur, vt facilius ac mitius externum frigus excludat. Itaque frigida intēperies tutius ac mitius quàm calida tollitur. Id verò de recēte ac leui audiendū. Nam inueterata atque consummata frigida intēperies ægrius multo quàm calida cedit remediis, quēadmodum extrema senectus insito calore destituta ac mortī iam proxima, minus medicabilis est quàm hectica febris. Sicca quoque intēperies tardius omnino ac difficilius eximitur quàm humida. Si obscurior morbi species nōndū tibi penitus cognita perspectaq; est, huic ne properes remedia adhibere: sed rem totā naturæ cōmittito. Natura enim proba ratione viuēdj adiuta & in mixa, aut morbū profligabit, aut patefaciet & foras proferet. Incerta quippe medicatio & irrita, nō nisi dispēdio decernitur. Si quid fortē experiri cogaris, leue id esto, ne fiat in re ancipiti iactura grauis. Hæc quidē de affectu simplici ac solitario, cui nec causa nec graue vllum symptoma assistit. Nunc de affectu quem sua adhuc causa fouet ac continet.

*De methodica & legitima curatione. Cap. IIII.*

50 **A**VSA omnis prius quàm affectus methodo recta excindi & summoverti debet. Causa enim persistente affectus manet, nec penitus euelli potest. Quòd si adnitaris, quātum huius demes, tantundem assidua & continens causa (nūquam enim naturalis quum sit, ociosa manet) proferet: atque licet affectus interdum

Calidorum  
auxiliorum  
quàm frigidorum  
vsus  
tutior.

Quando cō-  
rationem  
naturæ cō-  
mittere oportet.


leuior euadat, minimè tamè eius succedit perfecta curatio. Quum recens affectus nulla adhuc firma itabilique constitutione inhærescit, totus quidem sublata causa plerunque disperditur: at quum pars quædam eius genita iam est, pars quasi ortu nouo continenter additur, tum causæ sublatio affectum non eximit. Quocirca causa primùm, genitus dein affectus summouendus: ita enim radicitus extirpabitur, nihil ut deinceps eius repullulet. Ergo & quum longior quædam continuatio serièque causarum exiit, in qua alia ex alia nasci & existere, & omnes inter se aptæ connexæque videbuntur, suo quæque ordine demenda erit, ab ea curationis ducto exordio, quæ ortu prima, inuestigatione verò postrema fuerit inuēta. Ab hac sensim ordinatimque ad cæteras, postremoque ad morbum progressus fiet, suo cuique obiecto contrario. Hæc non iā simplex, sed 10 methodica curatio est, quæ non solis remediis, sed via utendique ratione cõpletur. Hæc vna maximè herbariis atque pharmacopœis, quibus etiam cognita est remediorum materia, medicus est præstantior. Est exempli causa, impuri eiùque calidioris alimenti vsu longo & immodico chylus acrior factus, qui dein necessitate & alterius penuria raptus in iecur, bilem multam vitiososque humores proferat, quorum postea sit in venis facilis corruptio ac putredo, quæ proximè febris sequatur suis comitata symptomatis. Cõstat sanè neque febrem neque eius symptomata sedari posse, nisi vacuata putredine. Hanc verò frustra purgari, nisi quæ hanc gignit humorum colluies emēdetur: hanc emendari non posse quandiu chylus impurus è vètriculo affluet & impurius calidiùsque alimentum suppeditabitur. Itaque nisi vrgentius quidpiam interpellat, primùm prohibendæ 20 sunt euidentes causæ quæcunque impurum chylum ingenerant, mox expurganda impura omnis colluies quæ putredinis est materia, ac demùm quæ his ex causis orta est humorum putredo vacuanda: ad postremum si quid caloris alieni vel in humoribus vel in ipsis partibus derelictum sit, extinguendum. Quendã rursum statuamus molesta cerebri destillatione vrgeri, quæ ex immodico excrementorum prouentu sit orta: hic verò ex frigida humidaque cerebri intemperie, quam vel alimētorum refrigerantium vsus, vel gelidi cœli, occursum pepererit: constat ipso statim initio tum immutata victus ratione tum aliis quibuscunque remediis corrigendã cerebri frigidam intemperiem, mox emendandum omnem excrementorum prouentum: sic demum quæ ab hoc sit destillationem 30 protinus cõquiescere. Hæc ratione simplicis omnis affectus curatio pro causarum ordine procedat. In connexis quoque aut consequentibus, affectus omnes eo sigillatim extirpentur ordine, quo sibi ortu succedunt. Affectus enim prior statim initio extirpatur necesse est, ut si crebrior ea destillatio tandem illabatur in ventriculum, cuius vitio tum nausea orta tum deiecta appetentia tum impedita sit concoctio, neque profectò nausea tolli, neque appetentia neque concoctio restitui potest, nisi expurgato ventriculo, prorsus verò expurgari nequit non antè inhibita destillatione, neque hæc inhiberi nisi vacuato cerebro sublataque frigida intemperie eius effectrice. Itaque nisi vrgentius quidpiam sollicitet, primùm corrigenda frigidior cerebri intemperies, dein quicquid genitum est excrementi purgandum est: ac siquid posthac gigni contingat, id cursu naturali deriuandum in nares: his quum destillatio expurgata & auersa fuerit, 40 ventriculus omnino expurgandus, dum in eo nihil sit reliquum, atque vaneſcant symptomata quæ laboranti erant importuna. Hæc utique vera est & exquisita medendi ratio, & causarum affectuumque serie ineunda. Affectus dico præter naturam qui vel in partibus ipsis vel in contentis inhærescunt, id est vel morbos vel interiores eorum causas. Horum quippe vitium quodque contrario oppugnandum est. Symptomata verò inter hæc plerunque apparent interiecta, sed quorum tamen propria non est curatio, neque his contrarium quicquam è regione obiicitur, quod sublatis affectibus ea protinus euaneſcant. Methodi atque ordinis inuersio non modò nihil ad curationem proficit, sed & plerunque morbum cõduplicat. Quum enim persistente causa de morbo non nihil subtrahitur, licet tum fortasse sibi æger non nihil leuatus esse videatur, mox tamen 50 pari ferocitate morbus repetit, atque etiam interdum maiore: ut quum collecta fluxio calidis vehementerque dissoluentibus discutitur, quæ irruenti causæ motum vehementiorem afferunt & agitant. Atque hæc quidem methodus in causarum ordine: quæ verò in implicitis & compositis affectibus tenenda deinceps monstrabitur.

*Vna curandi methodo medicus herbario & pharmacopæo præstat.*

*causæ  
affectus  
symptomata  
interiecta  
curatio  
methodus  
ordinis  
inuersio  
morbus  
cõduplicat*

*Quum*

## Quum multi morbi insunt, quanam curandi methodus. Cap. V.



**V**VM disiuncti & disparati morbi in corpore consistunt, suã quisque seorsum medendi rationem obtineat. Qui ita sedibus longè distant, vt unicuique sua possint remedia cæteris intactis abhiberi, possunt ij & sigillatim & pariter omnes curari, minimúmque refert cui primùm propria remedia decernas. Impliciti verò atque compositi non nisi methodo ac ratione summa eximi possunt. Nam impliciti quoniam tam vicinis partibus insident, vt cõmunitet ipsarum functiones impediunt, vix propriã seorsum curationem habent. Multo magis est compositorum implicita sanatio. Etenim quum vni eidemque particulę penitus in-  
 10 hærescant, & in vnum quasi conflati coëant, quodcunque remediũ vnum quempiam, idem cæteros quoque pariter attinget. Quum igitur neque cõpositis neque implicitis, singulis liceat propria seorsum accõmodare remedia: quúmque omnium curatio eodem tempore probè administrari nequeat, methodus omnino adhibenda in primis est, quæ suum cuique ordinẽ præstituat, & quid primo, quid secũdo, quid deniq; tertio quartove loco sit sanandum. Porro autem ita variè cõcurrentibus morbis accidit interdum vt omnino consentiant, quum vnius curatio alteri sanãdo conducit, aut nihil saltem obest: interdũ dissentiant, quum vtriusuis curatio alteri incõmodat morãmque af-  
 20 fert: nonnunquam verò partim consentiant partim dissentiãt, atque eatenus vnius curatio alteri & prodest & obest. Implicitos morbos atque compositos qui aut cõgruunt aut minimè dissentiũt, & simul & seorsum sanare licet: quúmque id seorsum fit, ab vtrouis incipere cõceditur: vt si oculus suffusione & albugine teneatur implicitis affectibus, & quorũ proximę sunt sedes, potest suffusio acu deprimi perstãte albugine, potest & albugo deleri permanente suffusione, possunt & illę si videatur pariter eximi. Similiter si iecur frigida intemperie simũlque obstructione simplici tenetur, ex quarũ permissione compositus est morbus, intemperiem medicamentis emendare licet, quæ obstructionem nec expediunt nec gemunt: & hæc quoque expedire intemperie remanente: licet & simul iisdemque remediis illas tollere. Quum impliciti aut compositi morbi omni-  
 30 no dissentiant, nec prorsus huic aut illi, sed vtriq; mediocritate quadam & contrariorum permissione succurrendũ. Sic crescenti phlegmone reprimẽtia remedia digerẽtib; permiscuntur. Sic etiam ventriculum frigidiorẽ & iecur calidius temperata iuuant, quęque ex calidis frigidisq; constant, & modò horum modò illorũ vsus alternatus. Vbi vterque incremento iam vires acceperit, quoniã contraria præsidia postulant, difficilè sanescunt ac plerunq; desperati & insanabiles permanẽt. Quũ impliciti morbi partim consentiant partim dissentiant, ab eo auspicandũ, cuius curatio alteri haudquaquam officiat, & ab eo sine quo alterius curatio compleri nequeat: vt quum ophthalmiæ implicatur albugo, quoniã acibus hanc detergere nõ est, quin noua accersatur fluxio aspereturque phlegmone, hæc in primis quidem sananda, mox detergenda albugo. Quum etiã in parte vlcus est, idque cauum & inflammationi coniunctum, vl-  
 40 cus neque agglutinari neque ad cicatricem perduci potest, nisi carne impleatur: carne autem proba impleri non potest, nisi inflammatione sedata pristinam temperiem pars receperit. Imò quæ cicatricẽ inducunt, quia validè siccant, carni gignendæ obstitũt, & quæ carnem regnũt, inflammationem augent. Necessè igitur est inflammationem primùm extinguere, quæ rationem eius obtinet, sine quo nequit curatio perfici: deinde carne vlcus impleri, tandẽmq; cicatrice obduci. Hanc medendi methodũ dictant simplicium affectuũ naturæ, quęque illis contraria opponuntur remedia. Horum quippe obseruatione cognosci potest, quid à quo, quid cum quo, quid post quod sanari possit. Ita quidẽ omnis absoluta videri potest legitima morborũ curatio, quam semper sequi oportet, dum nihil vrgentius interueniet, quod hanc necessitate quadam interpellet.

Impliciti et  
compositi mor-  
bi si congru-  
ant, quæ-  
nam curandi  
ratio tenen-  
da.

Si dissen-  
tiant.

Si partim  
consentiant  
partim dis-  
sentiant.

## 50 De curatione extraordinaria legitima opposita. Cap. VI.


**N** affectuũ connexionẽ plerunque vrgẽtiori vel inuerso & præpostero ordine in primis succurrẽdum. Ab eo enim auspicanda curatio, à quo maximè agro periculum impẽdet, in eũmq; primùm medentis consiliũ dirigi debet. Vrget autem & periculosus est affectus trifariam: aut propriæ essentiaẽ magnitudine, aut læsæ functionis præstantia, aut facultatis offensæ

Vrgere  
quid &  
quomodò.

dignitate corpus vniuersum gubernantis. Atque horum quidē periculosissimus est, qui vniuersalem facultatem prosternit, & vires frangit corporis gubernatrices, vt quarum conseruandarū gratia omnis instituat curatio. Ab hoc sequitur qui præstantem quandam & eximiam functionem lædit: minus his periculosus est qui magnus quidē existit, sed citra præstantis functionis aut virium iacturam. Cæterum si quando vel à functionis læsione vel ab affectus magnitudine maius quàm à virium iactura ægro periculum impendet, ab alterutro auspicandum, atque in id quod est grauissimū omni cura & cogitatione primū incumbendum, siue id ante susceptā curationem partum iam erat, siue recens dum legitima adhibetur curatio interueniat. Grauissimū autem dicere possis vel quod maximè ægrū in vitæ discrimē adducit, vel de quo is grauissimè queritur, cuius precibus & votis interdū cedere cogimur. Hęc vt illustriora exemplis fiant, memoria repetatur frigidior illa antè commemorata ventriculi intēperies, eiūsque cruditas ex cerebri destillatione profecta, omnisque eius legitima curatio: cui tamen vt proposito seruiat hoc insuper addamus, tã frigidã esse vt totus æger inhorrescat, vixque queat consistere: morbi quidem vis atque magnitudo hanc primū lenire hortatur, deinde ad destillationem quæ eius causa est accedere, quemadmodum æstuosum febris ardorem plerunq; intermissã causa compescimus. Rursum verò id quoque ponatur, cõgesta, pituita vi vsque eò vetriculi appetentiam languescere calorēque remitti, nihil vt concoquat, sinatque quicquid assumitur aut crudum deiici aut vomitione reddi: læsa quidem functionis necessitas ac præstantia suadent in primis ventriculum expurgandum antequam irruens omnis destillatio sistatur. Hęc eandem pituitam si tertio statuamus ita in os vetriculi defigi, ipsūque tam acriter ferire, rosionisque sensum inuehere, vt frigidus sudores, viriumque defectionem ac syncopem accersat, ita quidem maximè curationis methodum inuerti continget: tum quippe prætermisiss omnibus, properandum vt pituita accuratè abstergeatur. Tribus itaque hisce concurrentibus, postremum omnium maximè vrgeri solet, nisi fortè (quod rarissimū est) vsu veniat, morbi magnitudinem aut læsa functionis præstantiã plus negotij faceßere. Omnem igitur eiusmodi curationem extraordinariã dicere solemus. Aliàs autem posterioris curationē prioribus prodesse, aliàs obesse contingit. Prodest in his quæ nunc commemorauimus: quibus enim præfidiis posteriora, iisdē & priora tolluntur. Eodem quippe pituita medicamento potest è cerebro atque vetriculo expurgari. Expetenda omnino optabilisque curatio, qua omnibus eadem opera medeamur. Quòd si posterioris medicatio priori neque confert neque officit, non vtique magna potest celeritate perfici, sed ferè longius produci- 30 tur: tum nihilominus tamen vrgentiori obsistendū, aliis quoad fieri potest minimè neglectis. Quū verò vrgentioris curatio cæteris prorsus obest, atque cõtraria exposcit remedia, dū illi vacamus, reliqua deteriora fieri est necesse, quorū dein aut difficilior aut certè longior sit futura methodica curatio. Hoc tamē optabilius est, quàm vrgentioris ferocia & effrenatione affligi & prosterni ægrotantis vires. Læsiō etenim morte est tolerabilior. Qui methodum in omnibus nimium pertinaciter exquirat, pariter cū morbo plerunq; hominem de medio tollit. Agè verò donemus pituitam, quæ in vetriculum 40 è cerebro fluxit, ita demum in venas intrudi, easque ad eò obstruere vt bilem coërceat, hęcque putrescente causum accendat: quis tam incõsideratus aut rudis sit, vt in perseuerantem destillationem totus incumbat, neglecta febre quæ interim ægrotum sit peremptura? Quis non potius properet in primis ardentem febrem tum vacuatione tum refrigerantibus restringere, etiam si quid in destillationem peccet aut etiam irriter? Eadem est atque etiã multo manifestior in ea pleuritide ratio, quàm è capite ruens frigida destillatio, sensimque succingentem membranam subiens excitauit. Sæuiori quoque symptomati quod vires nimio opere conuellat aut etiam prosternat, in primis diligentè succurrendū, morbo etiam interdū prætermisso. Quanquam enim sublato morbo protinus symptoma vanescit, quòd nusquam in corpore subsistat, si tamē ni- 50 miū graue infensūque est, ne violentia aut pernicio iugulet, leniendum protinus, ipsaque methodus inuertenda. Atque ea quidem symptomatis sanatio est nō qua symptoma, sed qua aut offensus virium, aut noui cuiusdam affectus causa existit. Nam vigilia, dolor excrucians, immodica omnis vacuatio, vacuandorum suppressio, prohibita transpiratio & vires debilitant & morbos ingenerant. Itaque vrgente quouis symptomate quandiu virium robori fidimus, methodus quidem tenenda, nec contra

*Præpostera  
curatio  
inuersa.*

*Sæuiori sym-  
ptomati oc-  
currendum,  
morbo inter-  
dum præter-  
misso.*

artis præscriptum in ægrotantis gratiam vni vacandum symptomati. At si iam vires labant, protinus symptomati occurrendum, morbo tantisper omisso, omnique ratione vires fulciendæ & reficiendæ, quò & morbo obsistere & toto curationis spatio satis esse possint. Sic igitur temperanda sunt omnia, vt neque laborans malorum sæuitia crudeliùs torqueatur, neque delicata mollique medicina quæ consanuisse videbatur recrudescat. Hactenus explicatum satis qua ratione vniuscuiusque affectus remedium peruestigetur, siue id simplex siue compositum, siue vnum siue multa: & quo hæc ordine congruenter & methodicè afferenda sint. Nunc remedij designanda quantitas.

*Ut remedij quantitas definienda sit. Cap. VII.*

10



**X**PURGANDO morbo paria quodam modo opponenda adhibendaque sunt remedia. Vt tria erant ex quibus medendi ars cõstituebatur, remedij genus, quantitas & vtendi ratio: ita tria sunt ex quibus illa nosse oportet, affectus species, magnitudo & partis cui insidet conditio. Ex affectus specie remedij genus innotescit, ex illius magnitudine remedij quantitas, ex partis conditione vtendi via & ratio peruestiganda. Affectus speciem ostendunt propria ipsius signa quæ demonstratiua dicuntur. Magnitudinem verò, signorum symptomatumque vis ac impetus, & tum è pristino & naturali habitu, tum ab eo qui ante morbum fuerat, recessus indicat. Hic autem ex laborantis natura, ex ætate & cõsuetudine

*Magnitudinem morbi  
qua indicat.*

20 deprehenditur. Naturam dico non modò insitum temperamētum, sed & organorum conformationem & situm, omnemque insitam eorum constitutionem. Consuetudo constat ex vitæ genere, ex superiore victus ratione & ex anni tempore, cœli statu & regione in qua quis plurimùm versatus est. His si propria signa accedant quæ alio loco prodita sunt à nobis, certū indubitarumque euadet, quæ nã aut totius corporis aut partis affectæ pristina fuerit constitutio. Ad hæc deinde si morbi magnitudo symptomatum vi percepta conferatur, planè cõstabit quantum morbus à pristino habitu recesserit, & quàm valida decernenda sint remedia. Cognitus sit Dion ante morbum calido siccoque tẽperamento, Theo verò frigido atque humido: ambos peræquè adoriatur febris ephemera. Theoni qui à pristino habitu lōgiùs recessit, frigidiora remedia quàm Dio-

30 ni decernenda sunt, grauiùs quippe & periculosiùs ex Hippocratis sententia laborat, quòd ipsius naturæ, ætati atque consuetudini minus consentaneus sit morbus. Eadem ratione senex, qui iuxtà ac iuuenis tactus iudicio febricitet, frigidiora tãdem quàm iuuenis exposcet auxilia, licet ad ea sensim veniendum esse hortetur virium imbecillitas. Similiter quū pituitosum atque biliosum par causus inuadit, biliosus cognato morbo minus periclitatur, huicque leuiora medicamenta tum bilem purgantia tū refrigerantia quàm pituitoso cõgruunt. In partibus quoque si tẽdo pari atque caro vel humorum influxu vel vlcere tẽtatur, sicciora quàm caro remedia postulat. Et vt generatim cõplectar, aduersus omnem affectum præter naturam adhibendum eò vsque contrarium est remedium, dum in naturalem aut certè in pristinum habitum sit regressus. Id autè aliàs

*Aph. 3. lib. 3.*

40 semel & vniuersum sit, aliàs sensim ac paulatim. Remediū quod par morbo existit, quòdque tanto recessu quanto & morbus à naturali distat, eum quidè omnino & vniuersim eximit atque persanat. Etenim si quatuor numeris corpus incaluit, quicquid quatuor quoque numeris frigidum, paribus viribus ei couenienter adiungetur, id quidem vehementer immutabit, pariterque tantundem ab eo vicissim immutabitur, dū mutua amborum pugna mediocritas quædam emergat. Vt enim si in aquam feruentissimam alterius gelidæ par modus infundatur, permistione tepor exurget: ita corporis sanguini humoribusque valde calidis, si aut alimenta aut medicamenta paribus viribus frigida, necdum ventriculi calore prorsus obtusa accedunt, perfusione temperies inducetur. Si quæ verò partes incaluerunt vehementiùs, eorum attractu adhæsiveque pristinam mediocritatem recipient. Ad hunc modum humoris lenti & glutinosi adhæsionem omnem detergit medicamentum æquè validum, & vitiosi exuperantiam vniuersam tollit medicamentum quod huic semel detrahendè sit satis. At verò quod suppar infirmiùsq; morbo est, hūc quidè minuit eaque ratione iuuat, sed nec prorsus tollit nec persanat. Quod enim ordine secundo frigidum sit, haudquaquam potest quarti ordinis calidum affectum semel & vniuersim eximere, sed eius tamen portionem aliquam delet detrahique. Nam licet ab affectu vehementiore id fortasse victum & quasi extinctum sit, ea tamen

*Qui semel ac vniuersim pari cōtrario morbi profliganti. Aph. 6. li. 1. & Aph. 22. lib. 2.* veluti colluſtatione aut ſibi parem aut aliquanto minorem alterius portionem ſuſtulit. Curando igitur affectui contrarium remedium aliàs quidem par, aliàs infirmius adhibendum, his ferè legibus. Leuior affectus pari cōtrario ſemel vniuerſimque ſum moueri poteſt: quādo quidem nullam id corpori viribꝫ ſue inſignem vim infert. Extremis quoque morbis extrema diligentiffimè remedia auctore Hippocrate ſunt adhibenda. Præcipites enim ſunt & acerrimi, vt apoplexia, quique breui oppreſſuri ſint vires & extincturi. In quibus etiã morbis materia turget, ſuoque motu & inſtabilitate omnia conturbat, ſtatim initio valentiſſimum medicamentum adferendum eſt. Præſtat enim non nullo virium diſpendio morbum diſcutere, quàm ſinere, vt ea materia principem aliquam partem obruat, & nullo ſubſidio vniuerſæ vires mox collabuntur & concidunt. 10

*Qui læſe paulatim. Aph. 51. li. 2.* Mediocris autem affectus quoniã nec præceps eſt nec periculofus, lentè paulatimque tutiùs eximitur. Non enim citra corporis offenſionem, & magnam perturbationem iacturamque naturæ, vniuerſum repente demoliri licet, quòd in contrariorũ validorum pari robore magna vi & vtriuſque iactura conſligatur, multoque magis ſi corporis aut partis affectæ ſubſtantia rara aut eximio ſenſu prædita ſit. Ita enim pronunciauit Hippocrates, vniuerſim & repētè vel vacuare vel replere, vel calfacere vel refrigerare vel alio quouis modo corpus mouere periculofum: omne ſiquidem nimium naturæ inimicũ: paulatim verò quod fit, tutum. Quũ enim lentè id paulatimque fit, vtrique tũ morbo tum naturę conſulitur: morbus ſiquidem abigitur, natura quàm minimum fieri poteſt offenſa. Bifariam autem lentè paulatimque curationem fieri contingit, contrariis 20

quæ aut pari aut inferiore ſint reſeſſus ordine. Nam & contraria paria ſi exigua quantitate adhibentur, & quæ inferiore ſunt reſeſſus ordine identidè repetita, morbũ blandè ſenſimque eximunt. Quod enim ordine tertio frigidum eſt, ſi morbo paris ordinis applicetur quãtitate modica, nõ vniuerſum poteſt ſemel repētèque diſcutere: at identidem ſæpiùſque repetitum poteſt. Atque hæc profectò tametiſi copia nõ magnopere lædunt, tempore tamen qualitatis noxiæ labem corpori quandã inurũt, vt non admodum tutus ſit eorum vſus. Non enim immodicũ corporis calorẽ congruenter vel opio vel mandragora vel hyoſcyamo, exigua licet portione repetita extingues: neque exuperãtem humorem parua portione vel ſcammonij vel colocynthidis repetita vtiliter detrahes. Tutior altera eſt quæ lentè paulatimque fit curandi ratio, cōtrariis blandis & 30

*Tuta curatio.* quæ inferiore ſunt ordine, ſed aut repetitis aut interdum copia maiore adhibitis. Sèſim quippe multoque otio & tempore affectum omnem depellunt, nullo aut certè quàm minimo corporis & virium diſpēdio, nec vlla qualitate noxia in corpus inducta. Ne tamen vſque ad eò imbecillæ & languidæ ſint remediorũ vires vt nihil ferè proficiant. Si quidẽ morbus vehementior illas plerũque ſic aſpernatur & contēnit, vt his vel iteratis nihil cedat. Sic verò blandæ ſint vt tamen aliquantum iuuent, ne remediorũ blãdimentis (quod ſæpe fit) morbus exaſperetur. Viribus imbecillis leuis lentãque curatio neceſſaria: ea quoque ſemper optãda, niſi morbus vehemētiore accelerare cogat. Tuta ſiquidẽ ea eſt ac iucunda, & quæ ſat citò fit ſi ſat bene. Hac paulatim medendi lege ſi omnia reſta ratione gerũtur, neq; id ſuccedit quod ratio poſtulat, nõ protinus, inquit Hippo- 40

crates, ad aliud eſt tranſeũdum. Tametiſi enim manifeſta vtilitas necdũ vlla ſit ſecuta, & tardior ſit remediorum euentus, de reſta tamen medendi via decedendum non eſt. Imperita ſtoliditas nihil ratum certũve obtinens, huc illuc per omne remedij genus oberrat. Dum tamẽ in eodem remediorũ genere cõſiſtas, per varia & multa euagari licet, ne vni aſueſcens natura eius vim nõ lentiat & aſpernetur. Sed & plerũque remedium vni, nõ alteri confert, ob eas proprietates quę ſunt medicamentis cũ corporibus cõmunes, & quæ ſola experiētia deprehēdi poſſunt. Quod igitur permutatione vtiliſſimum compertum fuerit, id ſedulò vſurpãdum, quod verò noxium protinus immurandum. Quæſitum ſæpe dubitatũque eſt, poſſitne blandum ac lenè remediũ iteratum, id ſenſim præſtare, quod validius ſemel & vniuerſim, huiùſque vehementia cõpenſari 50

*Multa & varia remedia ad vni morbum abigendum cõmodè vſurpãtur, generũtamen eiuſdem.* crebritate & copia lenioris. Hoc ſanè in iis remediis veritatem habet, quæ nec genere nec agendi modo naturæque, ſed ordine ſolo diſtant. Nã plãtago vel copia vel crebro vſu æquè refrigerare poteſt, atque ſemper viuũ ſemel aut parciùs admotũ. At verò non id efficiet quod opium, quòd huic viſ inſit narcotica: neque agaricus crebriore vſu id quod ſemel colocynthis, quòd huic nõ illi viſ inſit trahēdæ craſſæ mucoſæ que pituitæ, idq; eſt ſummis & extremis corporis partibꝫ. In omni porrò ſiue repētè ſiue paulatim ſuſcepta

scepta curatione, sic administrari temperarique remedia debent, ut neque morbi quicquam indiscussum maneat, neque contrarium morbi genus inducatur mediocritate transmissa. Id verò assequi in primis est arduum, vnaque remedij quantitas, omnium quæ in arte geruntur, maximè acri est iudicio decernenda.

*Partium indicationes quibus limitatiùs definitur remedij  
quantitas. Cap. VIII.*

**R**EMEDIJ quantitas quam morbi magnitudo præscripserit, etiam pro partibus affectæ conditione augenda minuendave est: non enim omni æquè parti eadem congruere potest. Partis autem conditio æstimatur ex ipsius conformatione, positu, præstantia atque sensu. In conformatione considerandum quàm rara sit aut densa. In situ verò sitne in summo ea corpore constituta, an in alto demersa, quàm longè absit vel ab ore vel ab eo loco cui remedium imponitur. In præstantia spectandum parsne sit ex earum numero quæ principes appellatur, & corpus vniuersum gubernant, cuiusmodi sunt cerebrum, cor & iecur: anne munus publicum habeat & toti corpori commune, ut pulmo, ut venter, intestina, renes & vesica & quæ his subseruiunt venæ, arteriæ & nerui: aut an priuata sit, sibi duntaxat non aliis utilis. In sensu videndum hebesne is sit an acutus. Horum autem animaduersione remedij quantitas atque vis sic est immutanda. Pars densa & còpacta, remedia exposcit validiora & attenuantia magis, quorum vis intrò subire possit, cuiusmodi sunt renes & iecur & quæcunque solida pars appellatur. Quæ verò substantia est rariore, ut lien, pulmo & musculorum caro, mitiora postulat. Affectus in corporis summo positus pari quodam modo remedio abigi potest: qui verò in alto corpore demersus latet, valètiùs & attenuantius flagitat: validiora quippe inflammato iecori quàm inflammato abdomini extrinsecus imponuntur. Et ex assumptis vehementiora renibus quàm ventriculo debentur, quandoquidem in ventriculū illabuntur ea viribus integris: ad renes verò hebetiora & imbecilliora reddita, neque qualia assumpta sunt perueniunt. Lōgior quippe via est per viscera partisque multas directæ, in quibus remedia aliis permiscuntur humoribus, nec leuem mutationem subeunt. Quocirca longè acriora & vehementiora decernenda sunt, pro viæ longitudine & partium quas permeant numero. Præstantia porrò idcirco mitiora exposcit remedia, ne vehementiorum appulsu & contagione facultas aut offendatur aut dissipetur ad vitæ conseruationem necessaria. Priuata verò pars & ignobilis vehementiora perfert, & quanta exposcit morbi magnitudo. Principi parti laboranti nullum adferendum est remedium quod immodicè vel relaxet vel refrigeret vel aliena & occulta qualitate sit præditū, sed id semper quadam corroborandi facultate polleat. Ob sentiendi quoque præstantiam neque oculus neque os ventriculi, vehementia acriæque medicameta: hebetioris verò sensus partes & valida & acriæ medicameta nullo incommodo sustinere ferrèque possunt. Atque hæc quidè sunt omnia, quorum summa esse debet obseruatio, ut certa decernatur remediorum quantitas. Ex his enim & ex intellecta morbi magnitudine, sciri potest quàm validū remedium, quo gradu recessus & quo pondere conueniat, ut affectum semel vniuersèque demat: aut quoties & quousque admouendum sit, si lentè paulatimque id ars efficere præcipit. Semper autè pristini habitus memor, in eumque intentus, eousque curationem promouet, dū in eum factus sit regressus. Eò quippe redire consilium est, vnde morbus exordium duxit. Pristinum statum, licet vitiosum, qualem acceperis conserua, nec quādiu morbus fatigat, de eius in meliorem commutatione labores, nisi aut morbi causa sit aut eius curationi officiat. Sublato recentiore morbo recreatisque viribus, si quid demū vetustioris inesse deprehendatur, id sensim ociòque multo, si videtur, demoliendū. Nam quæ longo sunt tempore contracta, lentè curare oportet: quæ breui, breuiter: ut curationis morbi atque curationis paria quodam modo sint temporū momenta. Quisquis remedij quantitatem arte consequi se posse diffidet, omnia sensim paulatimque gerat, dū æger sibi videatur restitutus & pristinas receperit vitæ functiones. Questionis huius magnitudine nō pauci occupantur: positisne quis ex morbo, in pristinam & æquè atque antea salubrem statum redire. Validis hæc vtrinque rationibus agitur, sed quicquid in ea vel obscurum vel ambiguū est, explanatione adhibita elucebit. Morbus saepe repètè emergit, cuius causa sensim radices egerat. Nam quicūque cōtinentē causam intus habet, sensim multoque

*Pro partis  
natura &  
conditione  
medicina  
immutatur  
quantitas.*

*Substantia.*

*Situs.*

*Præstantia.*

*Sensu.*

*Quousque  
progreddū  
in curando.*

*Aph. 7. li. 2.*

*Questio &  
eius solutio.*

tempore genitus est: vt licet fortasse continua febris repente hominem prehenderit, eius tamen causa, quæ humoris est vitium, multo antè tempore sensim inualefcebat, ob quam neque tum omnino & integrè sanum corpus erat. Quū igitur febris sublata causa perfectè sanatur, corpus nō modò ad pristinum statum redit, verum etiam plerūque ad multo meliorem eo qui ante febrē fuerat. At verò fieri arte nulla potest, vt ad similem habitum redeat ei qui ante morbum & eius causam fuerat: aut si morbus sine continente causa fuit, fieri nequit vt in pristinū statum regressus sit. Qui enim naturalis bonusque erat, ex morbo nonnihil immutatus est, parsque affectione aliquid contraxit, cuius naturā aut diu aut perpetuò redolet, manetque imbecillior: quod in grauioribus morbis luculentiùs apparet. Inuētum iam est affectus cuiusque remedium, cuiusque designata quantitas: restat vtendi ratio, quæ cui parti, & qua forma, quòque tempore & hora id adhibendum sit, explicet.

*Vtendi ratio. Cap. IX.*

**R**EMEDIORVM alia vacuant alia duntaxat immutant vitiosumque affectū depellunt. Remedia quæ solum immutant, siue externa siue interiora sunt, affectæ parti quàm proximè licet, adhibenda. Id autem partis affectæ situs ostēdit & sedes atque consensus. Nam si externa pars est, ei ipsi imponenda sunt quæ immutent, vitiosumque affectum remoueant: ea quippe non nisi contagione quicquam efficiunt. Quum autem interior est affectus, eius sedes indicat, remedia ei parti extrinsecus imponenda, quæ illi proxima è directo respōdet. Quocirca ex anatome compertum sit oportet & notum, cui cutis regioni pars quæque interior subiecta subditāve est. Quo modo verò intrò sumenda rectè exhibeantur, demonstrat partis consensus atque societas, & viæ in affectam partem ferentes atque directæ. Quum enim cognitum perceptumque fuerit qua via ad partē affectam facilior expeditiorque transitus est, mox in pròptu erit, illac etiam intromittenda esse remedia. Sic cerebri affectus corrigunt & immutant auxilia, quæ capiti maximèque sincipiti & coronali cōmissura foris adhibentur, & quæ induntur in aures, quæque vel substantia vel suffitu per nares intrò subeunt: iis verò quæ eduntur bibunturque, immutandi cerebri parua & admodum læta vis inest. Pulmonum, laterum thoracis que interiori vitio succurrunt, quæ foris pectori imponuntur, & quæ vaporis specie vnà cum spiritu hauriuntur: & quæ sensim labendo & deglutiendo illabuntur in arteriā, minimè verò quæ ore accepta in ventrem statim deuorantur. Ventrículum, iecur & lienē immutant & corrigunt, tum quæ admouentur tum quæ sumuntur conuenientia remedia. Intestinis superioribus potio clystere vttilior, inferioribus clyster potione conuenientior. Renibus & externa cōueniunt & intrò sumpta & subdita vt clyster. Vesicæ atque vtero externa, immissa & assumpta. Vacuatio autem fiat per cōmunes patētēque vias, in quas natura commodè dirigit. Has verò ostendunt partis affectæ conformatio atque consensus. Cōformatio quidem, vt quæ illius sit figura, quæ in ea aut circū eam spatia sint, in quæ excrementa sua deponit. Consensus, vt quas & ex quibus locis in se vias habeat pertinētes, quibus superuacanea suscipit, & quas aliò de se emittit, quibus illa depellit atque propulsat. Quū igitur vacuatio triplex habeatur, vna absolutè vocata, altera quæ reuulsio, tertia quæ deriuatio appellatur: simplex quidē & absoluta vacuatio eorū est, quæ citra motum vllum aut exagitationem peccat. Reuulsio eorū quæ ex quauis sede in partem aliquam impetu feruntur & influunt. Deriuatio eorum quæ partem obsident, ipsi quodammodo iam impacta. Itaque ventriculū aut summa præcordia suis vitiis vttiliter euacuat vomitio: intestina clyster: viscera atque mesenteriū purgatio: venas maiores venæ sectio: habitum corporis euaporatio aut sudorum eruptio. Ita igitur simplex fit euacuatio. Reuulsio verò ex humoris motu spectāda. Si enim cōstet ex qua parte in quam is incumbit, facile sit reuulsione eum in cōtrariam partem retrahere, eiusque cursum inhibere. Sanguis vel quiuis humor cum sanguine per venas cōfertim in quamuis corporis partem supra clauas positā intruēs, reuelli debet, secta è regione cephalica cubiti vena. Influens autem è venis maioribus in aliquam earum partium quæ inter clauas & renes sitæ sunt, reuellitur secta è regione basilica cubiti vena. Qui autē in eas partes decubit, quæ inter renes & femora interiacēt, sistitur, si quidem plethoricū corpus est. primum sectione interioris venæ, deinde saphenæ, idque è directo sedis affectæ. At si minimè plethoricum

*Vacuatio  
triplex, &  
vnde quæ  
que vacuet.*

*Simplex vacuatio.  
Reuulsio aut  
deriuatio.*

thoricum corpus est, vna saphena aperta, satis reuellit. Aliorum humorum quoscūque influentium, reuulsio etiam purgatione fit: præsertim si è iecore maioribusque venis, vel in totum corporis habitū, vel in caput, vel in pectoris sedes, vel in renes & vesicam vel in vterum aut crura procumbant. E iecore aut è liene cursus præceps in aliu vomitione reuellit, quemadmodum & vomitio deiectione. Derivationis porro & genera & loca multò plura existūt, quæ vt apertiora sint sigillatim accuratiùs persequar. Cerebri humores quicunque partem priorem habent, per nares errhinis sunt deriuandi, qui partem summam per commissuras, qui partem imam apophlegmatismis per palatum, qui latera plerunque per aures, qui posteriora eius venæ sectione quæ puppis appellatur. Oculorum epiphora & lachrymæ deriuantur per coronalem commissurā: eorundem externa vitia collyriis eluuntur, interiora verò quæ è cerebro per opticos neruos fluxerūt, per occipitium vel commodiùs per id cauum quod ponè radicem est infimæ auriculæ. Qui in auribus congesti sunt humores, per eas ipsas expurgantur: & qui circum fauces vel sectis venis quæ sub lingua extant, vt in angina vel detergente & discutiente gargarismate. Pulmones, latera, interioraque pectoris vitia, vna excreatio purgat: quanquā interdum suppuratio aut abscessus pleuritidis, aperto latere foras deriuatur. Ventriculi pars summa, vomitione: ima, deiectione leuanda. Iecoris pars gibba per vrinās, pars caua quemadmodum & mesenterium & pancreas & inteltina & lien totus, omnis denique intestinorum affectus per alium expurgatur. Renes & vesica per vrinās: testes spermaticaque vasa per parastatas: & vterus per suam ipsius ceruicem. Quæcunque aliter & per alia loca fit deriuatio, nec naturæ motu nec arte, sed humoris impetu fieri putetur. His quidem omnis exposita videtur remediorum adhibendorum ratio: nunc de eorundem formis.

*Medicamenta qua forma, quo tempore conueniant. Cap. X.*

**V**ARIÆ multiplicēsque medicamentorum formæ omnes duabus continentur, liquida & solida. Vtra autem sit vtēdum ostendūt affectus species & partis affectæ natura atque situs. Pars affecta longiùs à remediis absistēs, aut solida atque densa, liquidiorē medicamenti formam expostulat, vt quæ altiùs ac promptiùs penetret omniāque subeat. Pars verò propior aut rarior, solidis etiam iuuari potest. Medicamenta autem quæcunque intrò sumuntur vt vel emolliant vel extenuent vel detergant vel dissoluant digerantque: & quæ foris admouentur vt vel eadem præstent vel dilatent vel relaxent, omnia quidē liquidiorē forma efficaciora sunt. Quæ verò vel repellunt vel attrahunt vel incrassant vel inferciunt vel astringūt atque densant vel corroborant, siue intus siue foris adhibenda sint, maiorem vim obrinent effectūque promunt manifestiorem solida. Quæ medias quodammodo vires habent, vt pleraque detergentia aut emollientia, his media quoque forma, qualis vnguentorum est & eclegmatum, aptari accommodarique debet. Et hæc de remediorum forma, nunc de tempore.

**I**n morbis curandis magni semper momenti est opportunitas. Affectus qui aliquantū protrahitur, vix nisi mutatis remediis sanescit. Simplex affectus qui leuioribus præsidis tempestiuè non cessit, valētioribus profligandus. Quum autem diuersorum quædam remediorum serie curatio perficienda est, non nisi prioris effectu inducto, posterius aggredimur. Nō enim durum scirrhusūque tumorem discutere conandum, antequam is planè attenuatus sit & emollitus. Neque erysipelatis humorē digerere priusquam id omnino defuerit. Frustra enim posterius tentatur, relicto priore. Ad hæc verò, qualis morborum per sua tempora, talis sit & remediorū mutatio. Fluxionis initio astringentia quæ hanc repellant sola ex vsu sunt. In statu quū fluxio planè consistit digerentia: incremento verò vtraque permista. Aut si fortè cōgesta materia digeri minime posse videatur, eius dein suppuratio procuranda. Et in febribus cæterisque partium morbis, primū quidē initio exuperantis materiæ portio vacuanda, reliqua dein naturæ imitatione præparanda: quūque iam illius beneficio concocta aliquò propellitur, illac etiā protinus arte vacuanda ac prorsus extirpanda. Aut si fortè nullus vel certè languidus sit naturæ motus, artis præsidium eius vices tempestiuè suppleat: tūc enim medicamento locus est. Opportunè gerit omnia qui morborū temporibus omniūque mutationi remedia accommodat. Naturam quippe adminiculantē habet qui progressum

*Quo tempore  
ordine  
curatio per-  
ragenda.*

*Qualis vi-  
duratio  
quoque  
morbi tem-  
pore.*

*Aph. II.  
lib. I.*

*Medicina  
quando af-  
sumenda.*

eius imitatur. Fœlix autem medicatio cui adiutrix natura succurrit: Irrita verò quæ ci-  
tra naturæ opem tentatur. Sed & victus ratio præscribenda est ex morborum tempori-  
bus. Nam initio tenuis quodammodo est habendus, incremento tenuior, in statu tenuif-  
simus. Quum enim sæuissima symptomata vigent & natura in morbi coctionem rota  
incumbit, aliò auertenda nõ est, neque plenioris cibi concoctione distrahenda. Et quo  
breuior futurus est morbus, hoc victus tenuior pro cuiusque temporis cõditione impe-  
randus, quo verò longior, eo minùs tenuis. Itaque sine clauo & remis nauigat, naufra-  
gium tandem facturus, qui nulla temporum obseruatione medicinam facit. Iam verò  
quõ plerique morbi certis horis cõcitantur vehementiùs & exasperentur, neque vilius  
ferè sit eadem & perpetua æquabilitas, horarum quoque tum alendo tum medèdo ha-  
benda est summa ratio. In accessionibus (inquit Hippocrates) cibo abstinere oportet:  
nam adhibere noxium. Quum enim per circuitus irritantur morbi, natura his obfistēs  
noua cibi coctione auocanda non est. Sed & ipsa cõcoctione suscitatus calor morbum  
plerūque grauiùs exasperat, quum etiam secunda valetudine non pauci dū cibus con-  
ficitur ingrauescant aut non parum agitentur. Huc adde, in ipsa morbi maximè que fe-  
bris excandescencia, tetro vapore corpus vniuersum perfundi, eoque recens sumptum  
cibum labefactari & maxima ex parte corrumpi. Quò fit vt neque in accessione neque  
quum mox futura est, sed duntaxat quum eius est decessio seu inclinatio aut intermis-  
sio, cibus adhibendus sit. Medicamentorum autem extrinsecus admouendorum nulla  
stata hora, nisi quum ventriculum aut præcordia attingūt: hæc enim cibo præmitti de-  
bent. Quæcunque verò intrò sumuntur, expleta concoctione exinanitòque ventriculo  
iuuant, nec antequam exciderint, cibus est offerendus, nisi quõ fortè maligna qualitate  
prædita sunt. Hebetatur enim eorū vis & obruitur permistione cibi, neque longiùs po-  
test syncerior ea prouehi, plerunque etiam permistum cibum corrumpit. At quõ per-  
niciosa qualitas medicamento vt elleboro inest, ne eius contagione exinanitus vètri-  
culus grauiùs offendatur, cibi reliquias inesse conducit, vt quæ illius vires non eximāt,  
sed duntaxat exuperantem ferocitatem infrænent. Neque præterea quum morbi ac-  
cessio fatigat, vacatione vlla conuellendæ sunt vires. Perutilis & accommodata est  
vacuationi hora quæ exacerbationem aliquantū præcedit. Tum enim cumulata ma-  
teria exacui mouerique incipiens, promptiùs euellitur. Cautio tamen etiam atque e-  
tiam adhibenda, ne vacatione immodica dissolutæ vires, succedentis exacerbationis  
impetum ægriùs perferant.

His summas medèdi leges perstrinxisse videor, quibus vnicuique cognito perceptò-  
que affectui, mox remedium eiùsque quantitas & vtendi ratio præscribatur. Quod au-  
tem summatim comprehensum est, nunc particulatim discutiendum, & vnoquoque  
remedij genere proposito excutiendum qua id quantitate & qua ratione ac methodo,  
curando morbo adhibendum sit: à vacatione, quæ ferè omnium morborum commu-  
nis est, inducto exordio.

METHODI MEDENDI LIBRI PRIMI, FINIS. 40

## Methodi medendi lib. ij.

DE VENÆ SECTIONE.

*Quid euacuatio, quòtque sint humorum vitia. Cap. I.*



MEDENDI methodo certis legibus stabilita, summa remediorum  
genera, quæ vnicuique præter naturam simplici affectui ex aduer-  
sio opponuntur, eorum quantitatem, vtendique rationem summa-  
tim attigimus. Nunc quò sit artis cognitio vsùsque certior, parti-  
culatim in vnoquoque remedij genere accuratiùs versandum, &  
explicandum quæ cuiusque vis sit, quæ congruens quãtitas, & quæ  
vtèdi ratio. Quoniam autem cõtenta dum præter naturã existunt,  
quamplu-

quamplurimorum morborum interiores causæ sunt, quas in primis ars summouere præcipit, illorū euacuatio, vt maximè generale remediū, cæteris iure præmittenda. Est quidem euacuatio eorum quæ præter naturam in corpore continentur expulsio. Euacuatio quid. Continentur autem spiritus, humores & excrementa. Excrementa sunt sæx alui & vrina & quæ à partibus quibusdam vt à cerebro & à pulmonibus redduntur. Humores alij superuacui alij propriè succi nuncupantur. Superuacui qui à sanguine vi naturæ secreti alendo corpori inutiles procul amandantur: vt pituita quæ in ventriculo & circū intestina hæret, bilis flaua quæ in propria cysti, & melancholicus humor qui in liene est. Succidicuntur qui in corporis substantiam cōuertuntur ipsūque alere solent: hoc genus ij sunt  
 10 ex quibus sanguinis moles constituitur, & ij quos aliquando diximus secundarios appellari. Iam verò horum singula aliàs secundum naturam aliàs præter naturam consistunt. Secundum naturam quum decoram & cōsentaneam tum qualitatem tum quantitatem obtinent, conueniuntque naturæ legibus & integram sanitatem tuentur. Præter naturam quū vel qualitatis vel quantitatis modum non tenent. Itaque quicquid horum à mediocritate & à iusto naturæ modo manifestè deficit, quia morbi causa existit, si emendari aliter nõ potest, protinus, auferendum expellendumque est. Hęc autē eius expulsio, est euacuatio. Vacuationis porrò differentia ex contentorum tum vitio tum situ comparanda instituendæque sunt. Contentorum vitia sunt plethora & cacochymia, quæ hoc modo accipienda sunt. Venarum sanguis nequaquam simplex est & vniuersi, sed ex  
 20 pituitæ, bilis vtriusque & puri sanguinis permixtione conflatus: atque hos etiam succos ex omnium cōsensione vsūque dicēdi, sanguinis appellatione designamus. In homine bene temperato & optimè sano, minus est bilis flauæ quàm melancholiæ: minus huius quàm pituitæ, & pituitæ minus quàm sanguinis puri. Iusta illa & naturæ conueniens omnium humorum proportio, consentanea & naturalis est æquabilitas: atque is sanguis optimus & benignus cõsetur, qui ex quatuor succorum naturalium æquabilitate constat. Nõ sic quidem vt is parem habeat omnium portionem, sed pro ratione quam dixi cuique idoneam. Sanguis autem quantitate peccat, quum succi omnes in qualitatis mediocritate positi, supra iustam & naturæ congruentem mensuram accumulatur & crescunt. Tum sanè corporis vniuersa moles intumescit, & venæ supra modum plenæ  
 30 tensionis sensum inuehunt, omniæque mēbra, præsertim ab exercitatione, exporrigi videntur. Hęc ista constitutio, tametsi bonis cõferta est humoribus & vires obtinet robustas, hoc tamen malū circumgerit, quod ad immodicā peruenit redundantiam, quæ in graua pericula præceps ferri solet. Siue autem in hac succorum omnium æquabilis est redundantia, siue syncerioris sanguinis summa vbertas & affluētia, quia purus ille sanguis reliquos in permixtione succos magnopere vincit, non qualitatis, sed quantitatis folius vitium subest, debet vtraque plethoræ genere cõtineri. Atque hæc simpliciter & absolutè plenitudo censetur, quam etiam ad vasa iam trito & apud omnes peruulgato nomine celebrant, quòd amplam vasorum capacitatem prorsus impleat, etiam si vires non premit. Alterum genus est plenitudinis quæ ad vires refertur, in qua tametsi vasa  
 40 non tument nec copia distenduntur, plus tamen utilis sanguinis & alimenti continēt, quàm à natura regi gubernarique possit. Mediocre alimentum sæpenumero infirmiori naturæ molestum est & graue, quod licet per initia sit purissimum, diu tamen vix tale persistit: sed à nostri caloris gubernatione destitutum, tempore dierumque numero corrumpitur fitque morborū causa. Cacochymia est vitiositas seu vitiosa humoris qualitas, qua is à iusta mediocritate desciscit. Sub hac humorum pernicies atque corruptela corporis functionibus incōmodat, eiusque colluie corpus sordescit & labefactatur. Est autē ea bipartita, vna mitior, quum vel superuacui humores immodicè accumulati sunt, vel succi in sanguine non illa iusta naturaliq; proportione & concordia tenentur. Altera deterior quū vel superuacui humores, vel succi tum primi tum secundarij à naturali & conuenienti sua rēperatione in vitium prolapsi sunt, quod aut substantiæ aut  
 50 temperiei corruptio quedam est. Horum vtrumque rursus aut cum putredine aut citra putredinem obtingit. Latius verò patebit cacochymia appellatio, si excrementorum quoque vitia comprehendat. Contentorū porrò vitia quibus sedibus insint & vbi posita, nosse quidem maximè oportet antè quàm vacuentur. Plenitudo quæ Græcis est plethora potissimū in venis atque in corporis habitu confedit: at cacochymia in omne corpus dispergi diffundique solet. Quò sit autem vacuandi ratio cõspectior, corpus vni-

*Corporis regiones tres propriis terminis distincta.*  
*Prima.*  
*Secunda.*  
*Tertia.*

uersum in tres publicas regiones distribui partimque debet, quæ propriis limitibus & terminis circumscriptæ tum variâ superuacuorû receptacula tum vias expurgandi varias sortitæ sunt. Vna verè que prima è gula in mediâ iecoris partem dirigitur, in qua ventriculus, venæ mesaraicæ quæcunque ad portas concedunt, caua iecoris, lien & his interiectum pancreas includuntur. Altera è medio iocinere in tenues partiû singularum venas excurrit, comprehendens iocineris conuexa, omnemque venam caua atque illi comitem arteriam maiorè, & quicquid earum incidit inter axillas & inguina. Tertia regio musculos complectitur, membranas & ossa, omnem denique corporis molem, quæ ab ipso ingressu arteriarum venarumque minorum, in partes singulas & in summam extimamque cutem profertur. Magna profectò istarum regionum varietas, quum propriis finibus ita circumscriptæ sint, vt inter eas communionis minimum intercedat. At multo maxima ex propriis cuiusque viribus: quum sint aliis aliæ coctiones, excrementa alia & viæ ad expurgandum alia: ex quorum animaduersione omnis ferè medendi ratio ducta deriuatæque est. Præter communes ac publicas corporis regiones, extant haud pauca arctiores, excrementis etiam subiectæ, quæ nec latè dimanant nec in vniuersum corpus influunt. Hoc genus sunt cerebrum, pulmones, renes & vterus.

*Euacuationum genera & differentia. Cap. II.*

*Vniuersalis vacuatio.*



*Particularis.*

*Naturalis vacuatio.*

*Symptomati- ca.*

*Artificiosa.*

**I**N c rectè vacuationis differentia duæ statuuntur vna vniuersalis, particularis altera. Vniuersalis est quæ communiter ab vniuerso corpore materiam subtrahit. Huiusmodi sunt sudor vel perspiratio, sanguinis profusio, vomitio & alui subductio. Harum siquidem quæcunque primùm obtigerit, quanquam plurimùm ac validè regionem vnâ, cæteras tamen etiam nunc consequutione quadam licet parcius exinanit. Vomitio primùm quidem ac maximè ventriculû, deinde si persistit viscera venasque maiores, postremò corporis habitû. Alui deiectione primùm & abundè intestina, ventriculum, viscera, primasque venas, deinde venas maiores, postremò minores habitumque corporis. Sanguinis profusio primùm venas exhaurit & arterias illis anastomosi cõiunctas: exin corporis molè ipsaque viscera, ad primas vsque venas progressa. Quæ per cutem fit dissipatio, proximè quidem è corporis habitu dissoluit, secundò è venis arteriisque grandioribus, ad postremum è visceribus & ex intima corporis regione. Particularis autè euacuatio partem duntaxat aliquam excrementorum onere pressam leuat. Quo in genere est cerebri per palatum & nares expurgatio, excreatio, quæ pulmonû & pectoris vitia extuffit, arenularum aut puris è renibus emictio, sanguinis ab vtero aut hæmorrhoidibus profusio: hæc enim potèdicem, illa vterum in primis, vtraque venam caua expedit: quum aluus balano vel clystere mouetur, aut ex quouis loco per cutem fit eruptio, particularis quoque vacuatio existit. Vnumquodque porrò vacuandi genus aliàs sponte aliàs arte fit. Sponte quum citra vllam medicationem quippiam è corpore effunditur. Id fit interdum natura duce, quæ dum integrè valet nobisque rectè moderatur, quicquid vitiosè se habet aut superfluit, id omne corpore excludit, estque tum naturalis & opportuna euacuatio. Fit & interdum præter naturam, quum imbecillior facultas, humores corporis regere atque cohibere nequit, eoque prorsum diffluere sinit: aut licet robustior validiorque sit, interdum tamen humoris copia vel acrimonia tantopere laceffit, vt huc è vasis receptaculisque suis proprio impetu foras exilire sinat. Vtraque symptomati- ca, irrita, præter naturam nulloque vsui est euacuatio, quod benignus atque salutaris humor pariter cum pernicioso promiscuè, nullo delectu, nullisque legibus prorumpat. Artificiosam euacuationem perhibemus, quæ externi subsidij ope suscitatur. Ea rursû bipartitò scinditur. Vna legitima existit, quæ quod vel qualitate vel quantitate negotium faceffit, duntaxat exterminat. Altera huic aduersatur extraordinaria, qua utilis & qui in nullo vitio est humor exigitur: hæc medentium culpa vel incitia decernitur, qui neque quod iustum neque quod idoneum est perspectum habent.

Euacuationem natura non externa ope, sed suis duntaxat viribus maximèque expultrice complet: medicus verò variis subsidiorum generibus, quæ in ea comparat & accommodat. Profundèdi sanguinis gratia venam aperit aut scalpello aut hirudine aut medicationis quæ ora venarum referent. Purgationem molitur medicamentis, quæ noxios humores è corpore eliciunt, ac dein eos foras vel vomitione vel deiectione pellunt. Per spirationem

spirationem verò atque sudores, exercitatione, frictione, motu omni, æstu, balneis præfertim nitrosis, sulphureis aut bituminosis & ex accidēti inedia. Per hanc enim dum nihil offertur alimenti, insitus calor humoris plurimum populatur atque dissipat. Multa insuper attenuantia medicamenta tum foris adhibita tum intrò sumpta, corpus per halitum pèrque sudores digerunt. In partium quoque vacuationibus, cerebrum per nares expurgat errhina medicamēta, & per palatum apophlegmatismi: pectus & pulmones expediunt, quæ bechica nuncupantur: renes & vesicam diuretica: vterum hysterica: aluum resoluunt balani & clysteres. Ex vnaqua; demum particula eruptionē mouent, adhibita digerentia, suppuratoria, amyctica, caustica: itē hirudines, cornua, cucurbitulæ, scarificatio & ferrū candens. Hæc igitur præsidia & tanquam instrumenta medici ad omnes omnium generum omniumque partium vacuationes sibi compararūt. Singulorum autem remediorum quæ hîc generatim percensui, tractationem iam iamque diligentius exequamur, à venæ sectione exorfi.

*Quid & vnde vena secta vacuet. Cap. III.*

**V**VM quatuor ex succis sanguis totus constet & cohereat, iisque sero perfusis, omnes quidem caloris & concoctionis quæ in iecore perficitur efficiētia, ita accuratè exquisitèque permitti sunt, vt nullus ne minimum quidem à cæteris disinctus compareat. Incisa vena idque patente satis foramine, cōtinendi facultas nequit obliquis fibris tam arctè sanguinem continere ac inhibere, quin is aperta via excidat defluatque. Imò si fortè conetur auidius complecti atque suppressere, contractis venis hunc vberius è vulnere profundet. Emanat autem, non quemadmodum in purgatione, seorsum hic illève humor, sed sanguis vniuersus, qualem in venis haberi commemorauimus. Atque tametsi moderatus aut etiam paucus sit, motu tamē impetūque suo prorumpit, nihil aut minimum protrudente natura. Neque per morbos in quibus vitiosa est humorum constitutio, natura potest sic opus moderari, vt aperta vena id solùm quod vel redūdat vel vitio contaminatum est effundat. In crisi (fateor) nonnunquam infestū humorem concoctione præparatum ab aliis segregat, ac tandē per vias idoneas excludit: at nihilominus si tum venā incidere contingat, per eam minimè possit tātulo tempore vitiatum humorem secernere atque exigere. Quod Auicēnas ait phlebotomiam bonum sanguinem rapere, malum verò intus relinquere, quòd; metuit ne vena secta eger vel ad biliosorum efferuescentiam vel ad pituitosorum cruditatem perducatur: si de permittis venarū humoribus id protulit, falsissimum & inconsiderantiæ plenissimū est. Neque enim serum prius quàm bilis, neque hæc prius quàm pituita vel melancholia, neq; inutilis & deprauatus humor antequam integer & familiaris elabatur. Hoc & quotidianus rerum euentus dilucidè commōstrat. Dum enim sanguis effluit, simplex quidē & vniuersi apparet. Exceptus deinde proprio disperdito calore mox totus concrefcit, eiusque partes omnes in suam quæque regionem cōtendunt. Serum per summa innatat, vrinæ haud absimile: bilis tenuis & florida cōcreti sanguinis pars sit suprema, melancholia subsidet, sanguis rubentior & pituita pallidior media tenēt. Cōstans sit igitur præcisa vena omnes qui in venis conditi sunt humores æquabiliter vacuari. At verò vnde & quibus ex locis euacuatio fiat, quærendū. Quum profluens liquidusque sit sanguis, quisquis secto loco vicinior affistit, primus quidem exilit, deinde qui illi iunctus continuatusque est, deinceps verò totus non modò è venis & arteriis, verum etiā è visceribus & ex habitu corporis emanat. Est enim admirabilis quædā continuatio seriisque venarum, per quā sanguis sic totus transfunditur, vt patente via vniuersus plerunq; cum anima excedat. Fit autē sanguinis per venas & arterias transmissio, dum toto corpore analogia quædam sit & æquabilitas: nā inanitè & indigentes partes fibris oblongis trahunt è plenioribus, & pleniores illis subsidio veniunt, copiâque grauatæ in vacuas illas onus suum deponūt. Adde quòd fusus & liquidus humor sponte sua decliniores inanèque regiones consequitur, in easque procumbit. Itaque venæ sectio quascunque venas depleuerit, vniuersum corpus euacuat. Hinc duplici illa nomine vniuersalis cēsetur, & quòd omnes humores ex quibus sanguis cōstituitur, & quòd ex vniuerso corpore detrahat. At certè nō æquabiliter: quum enim partes ordine quodā constitutæ sint, prius ac magis è propinquis quàm è distantibus: quumque aliæ venæ in alias propagentur partes, celerius atque validius ab iis que è di-

*Promiscuū  
quicquid in  
sanguine boni  
malive  
continetur,  
vacuat phlebotomia.*

recto, quàm quæ ex transuerso positæ sunt, hauriet. Hæc rerum nominumq; explanatio præmitenda videbatur vacuandi præceptis, quæ deinceps traditurus sum.

*Quæ humorum vitia phlebotomia vacuet è venis. Cap. IIII.*

**H**UMORVM qui aut peccat in venis aut ex his affatim defluunt proprium accommodatumque remedium est venæ sectio. Illos quippe euacuat, hos reuellendo sistit. In primis autem de euacuatione, mox de reuulsione præcipiam. Humorū qui in venis conduntur vitium, aut plethora aut cacochymia est. Plethoræ exuperantisque sanguinis vnicum ac proprium remedium est venæ sectio. Quumque sit plethora duplex, vna pura ex optimorum succorū pari quodammodo portione constans, altera impura cacochymia particeps, quæ vitiosorum est humorum in venis redundantiā, vtrique secta vena succurrit. Quum igitur musculi solidi atq; distenti necnon venæ amplæ atq; turgentes periculum minantur, protinus sectione venæ est opus. Hæc enim dolores ex tensione placat, corpus graui pōdere leuatū erigit & quasi recreatum alacrius expeditiūsq; reddit ad omnis generis functiones: quinetiam insito calore liberaliū ventilato, referatisque arctioribus viis & spiraculis, morbos arcet, quorum discrimē impendebat. Discrimen autē est vel ne distenta vasa dehiscant aut disrumpantur, vnde partium inflammationes obtingunt, & hæmorrhagiæ: vel ne oborta vniuersalis obstructio insitum calorem restinguat, straguletque vires alioqui validas, vnde ardentissima febris aut repentina mors irruit. His verò malis neq; purgatio neque exercitatio neq; inedia tutò ac repenti quæquam prohibere potest. Plethora pura sanguine tutissimè demitur. Impura verò non æquè tutò, quotamen ea simplici propinquior magisq; affinis fuerit, hoc sanguis abundantius mittendus: parcius verò atque restrictiū quo fuerit impurius. In iis igitur qui prauam cōstitutionem sortiti, venas supra modum referferunt, aut qui licet proba essent cōstitutione, vitiosis tamē se cibis impleuerunt, eousque solū eximēdus sanguis est, dum plenitudinis pericula vitentur. Nā reliquæ impuritati purgatio dein accommodatur. Calida autē biliosaque plenitudo omnium impurarum tutissimè vena secta tollitur: vt quæ non eā modò minuit, verum etiā refrigerat. Melancholica plenitudo parcius id auxiliij genus tolerat: nō enim eousque calida existit vt refrigerationem postulet. Pituitosa omnium certè minimè: quum enim impensè frigida sit, sanguinis missionem auersatur, quæ magis cruditatem refrigerans ita conduplicat, vix vt vnquā concoqui emendarique possit. Sed & huic ferè comes virium imbecillitas largam vacuationem minimè tolerat. Quocirca decernenda non est, nisi venæ supra modum confertæ graue periculum minentur: quumque necessitas exposcet nō id semel & vniuersè, sed sensim ac partitè tentandum, ea ratione quā posthac explicabimus. In omni igitur impura plenitudine à secta vena auspiciāda est vacuatio, sine qua vix tutò purgatio decernatur. Etenim medicamentum quod præsertim validius sit tum calore tū trahendi facultate, humores exagittans perturbansque plethoricū corpus, in grauius id discrimē adducit. In vniuersum autem plenis turgētibusque venis, si non profit, obesse tamen nō potest moderata sanguinis missio. Iam verò altera plenitudo quæ ad vires refertur (hæc autē signis non facile agnosci potest) licet neque vasa diducere neque disrumpere neq; ingenitum calorem obruere possit, quoniam tamē imbecillas vires premit, ne qua fortasse putredo aut humorum corruptela succedat, venæ sectione minui potest, quæ tantum relinquat, quantum natura facile gubernet. Sed & ea quoque quoniam nullius periculi præsentis metu vrget, aut victu parciore aut inedia vtiliter subtrahitur. De sanguinis humorūque corruptione aut putredine quæ in venis citra plenitudinē consistit, & quæ nuncupatur cacochymia, quam etiam nonnulli appellant plenitudinem ad vires, maior dubitandi occasio existit, num etiam possit commodè vena secta demi. Simplicē venarum cacochymia secta vena minuere tutum est ac vtile, copiarum tamen ac virium ratione suscepta. Licet enim dum in hac vena secatur, omnes humores æquabiliter prodeant, & vna eadēque ac antè restet humorum proportio: quoniā tamen detracta oneris portione quo natura premebatur, vires nihilo imbecilliores, sed alacriores plerūque euadunt, quod reliquū est faciliū ferunt, minorēque negotio domant atq; conficiunt. Ita sanè per cōtinuas febres quum humorum summa etiā cruditas & putredo in venis est, plerunque missio sanguine vrinæ quæ rubræ, crassæ ac turbidæ fuerant, mox puriores

*Plethora duplex.*

*Commoda phlebotomia, quum plethora grauis est.*

*Plenitudo ad vires auersanda venæ sectione.*

*An cacochymia sectione venæ minuenda.*

riores apparent, cōcoctionisq̄ue notas exhibent. Ita quidē ex artis principiis isthęc pręcepta duci videntur atque stabiliri, vt in secanda vena perinde ac in diiudicandis litibus, facti quā̄m iuris quęstio sępe sit obscurior. Exercitari igitur vnumquemque in his signis oportet, quę tū plenitudinem tum vniuscuiusque humoris exuperantiā sitūque demonstrant. Neque imperitorum more, si vel nares stillāt sanguine vel vrinę rubicundę sese offerunt, protinus imperanda venę sectio. Etenim facillē sanguis prorumpit, nō ex plenitudine solūm, quōdque eam vacuationem mōliatur natura, sed aliis cōpluribus ex causis. Quibus enim exesa sunt venarum oscula, quibus etiam viscera præfertimque iecur imbecillum vel scirrhosum euasit, iis sępe sanguis fluit ē naribus, haud  
 20 secus atque hydropicis. Quinetiā vrina rubescit cruentāque redditur in attritu calculi renum. Flauescit ex ictero simplici, ex scirrho hepatis atque etiam ex ascite. Nemo tamen per hos affectus rectē venam secuerit. Itaque ex iis solūm notis quę vniuscuiusque humoris exuperantiā denuntiāt, venę sectio tutō decerni potest. Hęc vna omniū humorum qui in venis maioribus cōditi sunt vitio expeditē succurrit: eoque liberat si illic non autē ē malē affectis visceribus originē habet: tum enim (vt aliquando pleniūsexequemur) pręstantior accommodatiōque est purgatio. Ex his igitur constare potest quę humorum vitia vena secta vacuet. Nunc vt ē venis prorumpentes humores reuelendo sistat, exponendum.

*Cachymia  
viscerū vitio  
genita, sectio  
ne vena non  
emendatur.*

*Reuulsio atque deriuatio vt per venę sectionem fiat. Cap. V.*

20



**N** v m prorumpētis sanguinis remedium est reuulsio: idque siue foras vt ē naribus aut ex vtero, siue in partem aliquam abscessum facturū illabitur. Est autem reuulsio illabentis humoris in contrarium tractus. Hoc quippe  
 30 nihil celerius fluxionis impetus cohibere potest. Contraria mathematicis sunt quę vnus & eiusdem rectę lineę extrema tenent, ad quę qui fiunt

*ἀντιθέσις  
id est, reuul-  
sio quid.*

30

motus contrarij dicuntur. Medicis verō contraria quę in eiusdem venę recto processu, per quę humorum cursus est, quā̄m longissimē distāt. Aperta porrō vena primūm quidē pars vulnere propinqua exinanitur, hęc dein ē longinquis sanguinē prolicat. Quūmque id rectarum fibrarum ope cōpleat (illas siquidem trahendo vt trāsuerſas expellendo natura destinauit) plus sanguinis & expeditius ab iis partibus, in quas fibrę diriguntur, quā̄m à cæteris eripiet. Imō etiā si nihil venę trahant, humores tamen sponte recto fibrarum cursu defluent. Quicumque in dextris sunt, dextra conſectātur: qui in sinistris, sinistra: Laudātūrque humorum cursus quicumque in directum feruntur: qui verō oblique in tranſuerſum, vitio dantur, tanquam violatę naturę & perturbationis indices. Nomine quidem cōtraria sunt antē ponē, ad dextram ad læuā, surſum deorsum, intrō  
 40 foras. Cæterūm in humorum reuulsione, ne illa quidem contraria sunt nisi & in fibrarum venarūque recto cursu collocētur. Pleuritidi dextrę nequaquam cōtrarium est latus sinistrum: at inflammato cruri dextro contrarium est sinistrum. Hic enim communis & directā venarum societas, per quā sinistrum crus incisum euocat ē dextro: at ē

*κατ' ἄνω,  
ἢ κατ' ὄψιν  
ἢ ἐξ ὄψεως  
ἢ ἐξ ὄψεως  
ἢ ἐξ ὄψεως*

40

dextro latere nulla vena rectis fibris in sinistrum concedit. Proinde huius secta vena, dextram pleuritidem nō adimit, sed noxium humorem vel inflammata parte linquit, vel puro sanguini permiscet, vel (quod frequentissimē accidit) sinistram pleuritidem inuehit. Quūm itaque omne eō spectet consilium, vt à loco phlegmone occupato plus sanguinis ac celerius quā̄m à cæteris partibus hauriatur, vena præcideretur, quę sit in directo situ partis affectę. Sic enim & naturam cum ratione, & Hippocratē summum virum imitabimur, qui in pleuritide interiorem brachii venam secare iubet, ab eo latere quod dolore sit affectum. Neque verō solūm in dextra pleuritide, verum etiā in iecoris inflammatione (cui tamen venę omnes societate iunguntur) interiorem dextri cubiti tundit: qua non comparēte, mediam secat: si nec ea se profert, ad humeralem confugere mauult, quā̄m ad interiorem sinistri brachij, tantam scilicet vim his attribuens, quę sunt in directo situ. Itaq; reuulsio ē directo evidens subsidiū celeriter adfert, ē trāsuerſo nullum. Vena porrō ampla copiosē, vicina validē atque celeriter trahit. Quūm igitur magna vehemēnsq; fiet inflāmatio ex humore scilicet maligno cuius fluxio sit pręcept, & locus in quem procumbit nobilis eximiūve sensus, ampla vena finitimo loco secāda, vt quę plus, celerius atque protentiū ab affecta sede vacuet. Sin verō affectus mitior est, angusta vena eligēda, eaque distantiore loco, vt minus, tardiū & ignauius euacuet.

De venese-  
ctione fal-  
sum dogma  
Arabum.

παροξέ-  
σις de  
deriuatio.

Eiusmodi reuulsio omnis præterquam quòd fluxionem sistit, ab affecta quoque parte prius putrè & inquinatum sanguinem, quàm ex reliquo corpore benignum atque syncerum detrahit. Neque tum metus vlli sit nouæ fluxionis proritandæ. Quum enim pars laborans magis quàm cæteræ exinanita fuerit, si ad penuriam vsque detractum sit, vix denuò alia humorum fluxione cõsistabitur, nisi fortè nouo peccetur viuèdi errore. Distantes enim indigentia auidæ, proprium sanguinem elabi non sinent: nec pars affecta (nisi dolor aut calor restet vehemens) ab illis quicquã eripiet, vt quæ sit imbecilla, nec multo egens alimento. Malè igitur Arabum dogmate sensetur, præcisam in pleuritide eiusdem lateris venam fluxionis impetum augere, ac proinde quum ingens est plenitudo, ne fluxio geminetur, copiam primùm vel ex inferiore pedis vena subtrahendam: 10 deinde ex aduersi cubiti interiore reuellèdum, postremò reliquias ex eodè latere deriuandas. Quid hoc quæso consilij & prudètiæ, ægrum toties torquere, quem semel possis malo redimere? Profusus ad indigentiam ex laborãte latere sanguis, copiam è fonte plenissimo haurit, simulque phlegmone obsessam partem releuat, nullum metum afferens nouæ fluxionis. At ex aliis venis quæ è directo non sunt, vnam copiã imminuit, ne quicquã tamen deprauati elicit, neque oppressæ parti leuamèto est: aut certè putris humor è parte motus, puro venarum sanguini permiscetur, redditurq; malum quod corrigendum fuerat pristino deterius. Quum autè è directo secatur, vacuat, reuellit atque deriuat. Vt fluxio lenta atq; diuturna tutiùs è distantissimis reuellitur, ita & quæ futura 20 est arcetur: sic enim in tractum nouæ viæ longiorem conuersa, sensim à pristino citra virium offensionem desciscit. Deriuatio est humoris illapsi tractus in vicinum latus. Fit autem aperta ea vena quæ in affectam partem inseritur. Per quam ea modò alimentum capeffit, modò noxium humorè influentem excipit. Quocirca quum iniecto scalpello ea vena præciditur, pars multitudine defessa illac onus suum abiicit. Opportunè autem deriuatio administrabitur, quum reuulsione præmissa fluxionis impetus & ardor iã resedit, neq; denuò recentis & inopinati suspicio est: simulq; humor adhuc liquidus est o- parte, è qua remeare potis est. Si verò vsque adedò infarctũ esse parti coniectura est, vt in mni fluendi remeãdique habilitate sit orbatus (quod in diuturnis inueteratissque inflã- mationibus frequēs est in quibus scirrhosæ quædã reliquiæ inherēt) nulla vtique deriuatio venæ sectione, sed fomentis & emplastris mollientibus digerentibusque tentan- 30 da. Quibus etiã si humor dissolui dissiparique nõ potest, neque locus est insignis neque dolor vehemèter vrget, pars affecta incidetur ac diducetur, maximè verò si humor pernicie atq; contagione vicinas sedes inquinauit. Id quanquã deriuatio propriè verèque dici non potest, illi tamè quasi vicaria succedit. Hactenus de venæ sectione generatim traditum sit, quæ interiorum morborum causam in vasis conditam euacuat vel effluè- tem reuellit: deinceps enumerandi affectus singuli quibus illa debeat accommodari.

*Singulorum morborum, quibus vel presentibus vel futuris secta vena succurrit, enumeratio. Cap. VI.*

**M**ORBOS quos vel sanguinis vbertas vel eruptio progenuit, præsentibus quidem sanat venæ sectio, impendentes arcet. Eius generis maximè sunt: synochus febris tum ea quæ citra putredinè ex sanguine efferuescente tum quæ ex putrescente eo accenditur, omnisque cõtinaua, cuius putredo in vasis maioribus condita est. In partium autè affectibus numerantur, phrenitis, ophthalmia, parotis, angina, pleuritis, peripneumonia, hepatitis, splenitis, nephritis, vteri, pudendorum, inguinum, alarum, brachiorum, crurum, articularum, omnium denique tum interiorum tum externarum partium inflammationes, dictæ Græcis phlegmonæ. Fiunt enim dum aperta, rupta vel exesa vena dilapsus sanguis in partem abscedit, abundantiorque congestus tumorem parit. His proximè accedunt sputum sanguinis, incipiènsque tabes, sanguinis vomitio & quæ è naribus, ex vtero vel ex hæmorrhoidè plenior fit eruptio. Horum initio vena opposito loco tusa fluxionis impetum sistit, reuulsionisque vi nonnihil ex affecta parte reuocat. Ea igitur legitimũ ac proprium his remedium est, qui ex boni sanguinis plenitudine ortus sui primordia acceperunt. Qui verò ex impura plenitudine emerferunt, quia his plurimũ cognati sunt, vena quoq; secta curari desiderant, quòd eorum materia, etiam si impura sit, in vasis tamen condita est, vel

est, vel ab his emanat. Deinde carbunculus, furunculus, scabies humidior, omnisque rubor per corporis summa efflorescens, & quicumque ad istorum naturam conditionemque accedunt. His ergo presentibus venae sectione medemur. Sic igitur causus, omnisque continua febris curanda, cuius putredo in vasis maioribus coercetur. Nam & interdum circa ventriculum maximeque os ipsius & iocinoris partes simas coaceruatus humor, exardescens febrem parit continuam, quam ut & eius causam non possit phlebotomia tollere. Intermittens vero quae pura sit, siue tertianarum siue quartanarum aut quotidianarum genere continetur, quod eius proxima materia propriusque fomes non in vasis sit maioribus, neque ex his prorumpat, venae sectione haudquaquam recte curatur. At nihilominus in his interdum sanguis conuenienter mittitur, quum aut venae immoderata copia turgescunt, plethoraeque pericula impendent, aut incalescentis sanguinis symptoma quoddam acrius vrget: ut pulsans capitis dolor, corporis iactatio, aertus penes suffocans: quanquam & haec plerumque obrepunt ex bile circum praecordia effervescente. At ne sic quidem venae sectio aut febrem aut causam eius tollit, sed duntaxat symptomatum tum praesentium tum impendentium sauitiam compescit. Ex partium quoque affectibus, capitis & aurium pulsans dolor, lethargus, vertigo, apoplexia quaedam & epilepsia, acris mordaxque fluxio, cordis quaedam palpitatio. Quin etiam impendentibus illis consuetis aut anniuersariis, quum iam plenitudo causaque subesse deprehenditur, anteuertendum occurrendumque est sectione venae, quando quidem praesentium atque futurorum vna communisque est ratio medendi: & quaecumque morbis praesentibus recte peraguntur, eadem sunt aut incipientibus aut imminetibus illis praemittenda. Sed & citra plenitudinem, atque etiam in penuria interdum vena inciditur, quum evidentes causae ut contusio, dolor vel ardor, fluxionem protitatur, quae partis alicuius phlegmonem minatur: quod etiam non praesentis, sed incipientis aut imminetis morbi magnitudine atque metu fit. Hoc loco dubitatio existit non parum controuersa, utri magis ex usu sit venae sectio, praesentine morbo an imminenti. Quae sic tamen explicari potest. Quum maxima & praecipua est plenitudo, necdum morbus ullus genitus est, nullo virium dispendio sanguis abunde educi potest, ut qui copia & potestate naturae grauis erat: protinus enim laborans discrimen effugit morbi imminetis, securusque redditur. Quum vero morbus iam est genitus, vires praesentia eius attenuatae, vix queunt citra detrimentum iustam sanguinis effusionem sustinere. Hinc Hippocrates ex more insilientes vel imminetes morbos iubet anteuertere sanguinis missione, non illorum incursum appulsimumque expectare. Hac ratione in ephemera ex obstructione, in synocho simplici, sanguis copiosè trahitur antequam materia putrescat. Quocirca tutius imminete quam praesente morbo sanguis profunditur: ac vtilius est futurum prospicere atque praecauere, quam prorogare, ut insilientem defixumque profligemus. Nam acrius eiicitur quam non admittitur hospes. Caeterum quum morbus iam grauius hominem exercet, maiore necessitate remedium expostulat, quam quum nondum inuasit. Quocirca genito quam impendenti morbo necessaria magis est venae sectio, quod geniti sauitia, maiore nos necessitate impellit & vrget, quam futuri metus. Itaque praesenti necessitas, imminenti vtilitas ac securitas incit.

Dubitatio  
& eius solutio.

*Quae vena in quouis affectu secanda. Cap. VII.*

**P**LENITUDO cui nullius partis affectio assistit, qualibet ex vena citra delatum detrahitur, commodissime tamen usuque maximo ex interiore cubiti dextri, quae a caua plurimum & a iecore validissime prolicet. Plenitudo biliosa, ex dextri quoque, melancholica ex sinistri cubiti interiore vena: ita enim efflagitat lienis situs. Quae vero ex crudorum colluue suborta fuerit, ex utroque cubito peraeque demi potest. Eadem prorsus lex & in febrium curatione obseruanda. Quapropter synochus tum simplex tum putrida, venam interiore cubiti dextri praecidi postulat: perinde ut febris ardens & pestilens simplex, itemque tertiana & quotidiana continua. Quartana vero quae continenter affligit, interiore poscit sinistri brachij. Eadem propemodum ratione in puris intermittetibus secanda vena deligetur, si quando aut plethora aut symptomatum sequitia hanc aperire postulet. Ex partibus quae supra clauiculas sunt, perspicue reuellit & vacuat incisa vena humeraria, celerius validiusque in cubito, tardius vero & segnius in eo manente ramo qui inter pollicem & indicem

excurrit. Ex his verò quæ inter clauiculas & renes positæ sunt, reuellit secta interior celerius & maiore vi in cubito, tardius verò & segnius in manus ramo qui inter annularem & minimum digitum porrigitur. Ex vtrisque reuellit vena media, siquidẽ ex communibus illa humerariæ & interioris ramis coagmentata conflataque est. Nã plerumque aut latet altius inuoluta, aut alterius dũtaxat soboles est. Subter renes in quacũque parte inhærescet affectus, secta poplitis vena maiore tum impetu tum celeritate reuelligitur, lætius verò & infirmius secta in malleolo saphena. Renes ancipites sunt, medij inter superiora inferioraque interiecti. Sicut definitio non ex partis ordine, sed ex ortu & productione venæ, quæ in partem emittitur. Itaque phlegmone quæ rectos abdominis musculos supra vmbilicũ inuasit, retrahetur aperta inferiore vena. Quæ verò colum 10 intestinum prehenderit, quamuis subter renes sit, reuelletur secta interiore cubiti: ita enim venarum origines deriuationesque commõstrant. Hinc singulas vniuscuiusque partis affectiones persequamur. Capitis ex plenitudine affectus tum interiores tum externos, siue etiam nunc initium faciant siue magnitudinem summam impleuerint, reuelligit secta cubiti humeraria: dextros quidem dextra, sinistros sinistra. At si segnius & ignauius id agendum erit, vt quum anteuertere ac futuros præcauere cõsiliũ est, secabitur quæ directo inter pollicem indicemque manus contendit, nisi fortasse aliunde quàm ex humeraria ducat originem. Eos porrò deriuant scapularũ atque humerorum sacrificatus, iniectionesque cucurbitulæ, & sanguis profusus è naribus, quemadmodũ etiã phrenitidas, deliria & apoplexias. Vertigines verò quæ capitis vitio enatæ sunt, deriuantur præcis quæ ponè aures sunt arteriis: perinde atque inueterati capitis dolores calidi spiritusque pleni. Qui dolores priora capitis obsederunt, deriuantur aperta frõtis vena: qui verò occiput & posteriora tenent, cucurbitulis ceruici humerisque adhibitis aut incisa vena puppis. Oculorum inflammationes & acres lachrymæ, primum secta eiusdem lateris humeraria, deinde humerorum ceruicisque cucurbitulis retrahuntur inhibenturque: deriuantur autem incisa vena quæ in alterutrum fertur angulum. Auribus inflammatis & parotidibus post humerariam secetur vena sub aure. Gingiuarũ, maxillarum & dentiũ calidiores affectus, post humerariã earũ quæ sub labiis extant sectionem desiderant: vt angina earũ quæ sub lingua cernuntur. Pulmonum inflammationem reuelligit pariterque deriuat interior cubiti sinistri potius quàm dextri: quãdoquidem pulmonum venæ ex dextro cordis sinu prodeunt, hic autem in sinistrum parietẽ venæ caua 30 uæ inferitur, qui per alam sinistram in cubitum excurrit. Eadem sanguini qui tussiendo reiicitur, tabi, cordis palpitationi, aliisque eorũ vitiis succurrit. Pleuritidi tũ interiori tũ externæ, itẽmque pectoris, diaphragmatis inflammationibus & vlceribus sanguinem spũto fundentibus, interior eodem latere secta reuellendo deriuandõque confert. Inflammationes quæ vel axillas vel humeros malè habent, nisi ad brachij flexum pertingant, eandem curandi rationem subeunt: quum autem eò peruenietur, quoniã partẽ inflammatione obsessam sectione proritare tutum non est, manus è directo aperienda est vena. Iecore inflammato grauiterve oppresso, interior dextra cæditur: at verò malè affecto lieni succurrit interior sinistra, in cubito quidẽ validius, in manu languidius. Deriuatio è liene, non vt quibusdã videtur in hæmorrhoidas, sed in aluũ fit: & è cauis quoque iecoris in aluum, è gibbis verò in vrinas. Recens renũ inflammatio, quã copia sanguinis comitatur in venis, ex interiore cubiti reuelligitur, dextri quidẽ si ren dexter, sinistri, si sinister affligitur. Cũ verò non immodica plenitudo premit, tutius validiusque ex inferioribus quæ è directo sũt, vel in poplite vel in malleolis. Per vteri affectus si menses præter modum emanant, vena cubiti interior impetũ coërcebit, sursumque retrahet, quemadmodum & cucurbitulæ subter mammas, vel etiam vmbilico infixæ. Suppressos autem menses vena in poplite aut malleolo instante purgationis tempore cæsa mouet: nam sanguinis impetu deorsum conuerso, venæ quæ in vterum pertinent resignantur. At si qua inflammatio subest, per initia sursum retrahetur, idque directo: il- 50 linc quippe tanquam è fonte plenior fluxio irruebat. Nec est quòd inde mensium suppressionem vereare: si modò quàm mox venam in poplitem aut in malleolum directam ferire iubeas, quæ illorum euacuationi deriuationique paratum & expeditum est præsidium. At si quis temerè hoc ab initio experiatur & attentet, fluxionis impetum phlegmonemque augebit. Reuulsio enim quæ fit secta interiore cubiti vena, quia iecur fontem ipsum è quo fluxionis exordium est exhaurit, vniuersalis censetur: quæ verò

Capitis affectibus quæ vena secanda.

Pulmone inflammato quæ vena aperienda.

Vteri affecto vena quæ secanda.

quæ verò ex venis inferioribus fit, particularis, neque forem primariò euacuat: Quum itaque vniuersalia particularibus sint præmittenda, inflammationes quæ subter renes incurrēt, primùm reuellēdæ sunt præcisâ interiore cubiti vena directâ, deinde referatis inferioribus, quæ aliquam etiam reuellendi vim obtinent: has tamen tutum minimè sit primas ferire, maximè si ingens est vasorum plenitudo, fluxionisque incurfio vehemens. Profluentes affatim hæmorrhoidas secta in cubito vena supprimit: suppressas di-  
 10 ducit & euocat secta in malleolo. At si qua inflammatio vel podicè vel partes obscenas vel vesicam vel alterutrum inguen infestabit, modò nō venenatæ cuiusdam perniciæi particeps ea sit, ex superioribus cubiti venis multitudo summouēda inhibēdæque fluxio, secundum quā ex inferioribus, si magna premet necessitas, particularis reuulsio  
 deriuatiōque fiet. Similis est crurū inflammatorū ratio: quoties enim ingens inest plenitudo effrenatæque fluxionis vis & incurfio: ex cubito sanguis primum, mox ex crure vel pede fundetur. Sin leuior exister inflammatio, neque plenitudo extra modū increuerit, superiorū venarū sectionibus prætermisfis, satis superque erunt quæ ex inferis obeuntur. Hæ igitur venæ in factis aut incipientibus morbis incidēdæ. Caterum qui ex præfenti plenitudine futuri morbi metuuntur, sanguinis detractione arcēdi sunt & præuertēdi. Ac si plenitudo ex suppressis mēfibus coagmētata est, quisquis morbus impē-  
 20 debet, cōgruēter propulsabitur inferarū sectione, quæ dū vacuāt, mēfes pariter exciūt, ipsamque mali causam extermināt. Vbi verò ex longa cōsuetudine fluētes hæmorrhoides cohibētur, plenitudinēque inuehunt, si quidem has euocare consiliū est, ex inferioribus plenitudo haurietur: sin illas obcēcare egrotus requirat, neq; velit posthac illis obnoxius haberi, plenitudo ex superioribus erit detrahēda. Quæcūq; autē aliis ex causis nata plenitudo morbos minitatur, eos inhibebit secta iecoraria in flexu cubiti dextri. Pars cuius vasa facilè diducuntur vel rumpuntur, aut illabentem fluxionē promptè excipit, exinaniēda est non per venā finitimam, quum nihil morbi adhuc genitum sit, sed per venam quàm longissimè è directo disiunctam, quæ & futuram fluxionem inhibeat, & eius solitum imperum in diuersam regionem incitet.

Partibus inferioribus venas affatim que secunda vena.

Ad arcendam plenitudinem vena que secunda.

Quid spontanea sanguinis eruptio conferat in morbis. Cap. VIII.

30 **S**ANGVIS è naribus, ex hæmorrhoidæ atque ex vtero plerunque sponte prorūpit: ex ore verò modò tussi modò vomitione: at ex alia corporis parte perquam rarò, nec nisi contra naturam. Quocunque ex loco lentè parcèque sanguis etiam secundum naturam emanat, inutilis habēdus: neque enim morbum soluit neque conuenientē vacationem dehortatur, quam præfertim morbi vehemētia maturare cogit. Qui verò affatim copiosèque profluit tū in grauante plethora tum in synocha febre utilis, vt quam decretorio die plerunque finit. Quum enim vniuersale malum omnes peræquè tum venas occupet, vndecūque obtingat sanguinis imminutio, grauitatis plenitudinisque symptomata cedunt. At in causo atque in omni continua per quam humores alij in maioribus vasis putrescunt, sanguis etiam copiosè & affatim profiliēs non æquè cōfert. E naribus enim qui excurrit licet vigilias, deliria, capitis dolorē aliāque symptomata demulceat, vix tamē propriam morbi essentiam atque radicem euellit, nisi fortè immoderatio succedat profusio, summa virium dissolutione, quæ tamen nusquam videtur optāda. Vitiosus enim sanguis per nares postremus elabatur, nec nisi quū vtilioris magna vis erit effusa. In his igitur febribus tamēsi nares multo stillent sanguine, vena tamen cubiti secūda: quandoquidem sæpe deprehensus est è naribus tum colore tum substantia laudabilis, quum ex cubito impurus sordidusq; detrahitur. At verò qui per hos morbos ex hæmorrhoidæ aut vtero affatim & copiosè exit, quòd proximè è vena caua lumborū decedat, multo quidem vtilior habendus: sed plerunque nec ipsam febris radicem extirpat, quæ in  
 40 venis est cordi proximis. Hinc sæpe profluentibus mensibus, atque etiam in puerperis quæ ritè purgantur, ob febris ardorem sanguis (licet parcius) è cubito demendus. Eadē quoque ac etiam euidentior est interdum ratio mittendi sanguinis è cubito, profluēte hæmorrhoidæ. Iam verò partium phlegmonæ aliūque affectus qui supra iecur & diaphragma consistunt, nihil aut minimum mitescunt sanguine ex vtero aut ex hæmorrhoidæ profuso: nec qui inferiores sedes obsidēt, eo profluēte è narib⁹: quæadmodū nec è nare dextra emanās affectus tollit sinistros, nec è sinistra dextros. Itaq; sanguis spōte  
 50

Sanguis sponte fluēs phlebotomiam si eam morbus exigat non dehortatur.

at non ex ratione profluens, non eam dehortatur venæ sectionem quam ratio vñsque postulat. Morbis autem curandis venæ sectio aut per se aut ex accidente confert: per se aut vacuat aut reuellit, ex accidente verò modò refrigerat, quò calidiore sanguinem educit, modò obstructions expedit, sed eas dūtaxat quæ ex multitudine cōtractæ fuerant. His autem affectibus semper adhibenda est, quibus per se, nō semper verò iis quibus ex accidente medetur. Etenim iecoris calidiore intemperie emendare emissionem sanguinis quò eius est penuria, minimè tutū sit: sed eorum tutior vsus quæ per se refrigerant & proprium sunt intemperiei remedium. Dicti iam sunt affectus omnes quibus remedio est venæ sectio: nunc effundendi sanguinis præfinienda quantitas.

*Quibus signis morbi magnitudo & virium robur comprehendantur pro quorum indicatione mittere aut non mittere sanguinem oporteat. Cap. IX.*



*Magnitudo morbi vnde estimanda.*

**G**VICVNQVE affectui cōuenit venæ sectio, ei protinus adhibēda si magnus is est viris que consentiunt. Leuis autem vsque adeò interdum affectus est, vt vel sponte nullo artis subsidio breui sanescat. Atque interdum licet magnus sit, vires tamen imbecilliores apparēt quàm quæ vllam vacationem sustineant: vt quæ ferè omnem illarum substantiam conuellat, quarum seruandarum gratia curatio instituitur. Itaque vt accuratè & ad vnguem præscribatur in quibus morbis & quantum demendum sit sanguinis, prorsus æstimandum quàm magnus morbus sit, quàmque validæ sint vires. Morbus autem siue factus omnino, siue incipiens siue impendens, magnus dicitur aut ex se aut ex sua continente causa quæ in humoribus consistit aut ex symptomatis cuiusdam sæuitia. Ac primū quidem magnus vehemens que intelligitur ex suo genere: nam cuiuscunque partis sit phlegmone, grauior deterior que censetur quàm simplex eiusdem intemperies. Deinde ex partis vsu atque præstantia, si ex principum partium est ordine, vt cor, vt cerebrum & iecur: aut si contra inter partes abiectas & ignobiles censetur. Præterea ex istarum situ: nam aliæ principibus affinitate iunguntur, vt pulmones, latera, ventriculus & lien: aliæ verò longiore interuallo disiunctæ sunt, vt intestina, renes, vesica, artus, aliæ que in extremis corporis positæ. Ex ipso denique partis sensu, qui aut acer acutus que est aut hebes. At causæ magnitudo ex humoris qui in affecta sede congestus est & continens sit morbi materia, conditione & natura spectatur: quòd nempe benignus sit vel vitiosus, vel putridus, vel perniciosus qualitate contaminatus, is que aut multus aut paucus. Hic enim quicquid perniciosum est & malignum, magnum etiam nuncupare consueuimus. Ex vasorum etiam & viscerum totius que corporis plenitudine vel exinanitione, antecedentis causæ magnitudo deprehenditur: item que ex humorum inibi conceptorū puritate aut vicio. Symptomatis magnitudinem ex vehemētia aut remissione eorum quæ incidunt metimur, nempe doloris, sitis, languentis appetentiæ, vigiliarū & cæterorum quæ vires imminuunt & attenuāt. Itaque si praua quædam morbi species velut inflammatio, iecur, cerebrum vel partes cordi vicinas atque connexas occupauerit, cuius vis latè se fundat, sit que humor putridus & venenatus, quali & corporis vasa conferta appareant, adeò vt inde magna excitetur corporis agitatio, mala appetentia, sitis, dolor acerbus & vigiliæ: hūc profectò in maximorum grauissimorum que morborum numero reponemus, cui & maxima congruit euacuatio. In quo autem morbo diuersa comparent omnia, is certè pro leuissimo minimoque ducendus est, & qui fortasse nullius vacationis indigeat. Inter hos nō pauci interiecti sunt medij ordines, qui pro maioris minoris que ratione, aut abundè aut parcè vacuandum denunciant. Nunc ad virium æstimationem trāsferatur oratio. Facultatum virium que corporis aliæ partibus singulis ingeneratæ sunt & insitæ, aliæ communes & influētes. Insitarum atque innati calidi vnam eadē que haberi essentiam, eam que naturam appellari, & ex innato spiritu & humido primigenio cōflari, cui solida partium substantia tanquā materia substernatur, aliàs planum effecimus. Communium verò vagarū que essentias è tribus principiorum fontibus emanare, triplicique spiritu in totum corpus, animalem quidè è cerebro per neruos, vitalem è corde per arterias, naturalem è iecore per venas effundi ostendimus. Quo loci demonstratum simul est vires partibus singulis ingēnitas ab influētibus illis sustineri, totū verò animal, ab vtrisque gubernari. Itaque si integra sanitate frui debet animal,

*Vires vnde estimandæ & coniectandæ.*

animal, vtrāque tā infitas quā influentes saluas & incorruptas esse est necesse. Quod euenturum est, si earum substantia æquabili & iusta quadam moderatione consistat, quæ in certa quantitate atque proba temperie posita est. E contrariò autem si substantiæ vel quantitas vel temperies inuertatur, illæ necessariò iacturā facient aut imbecilliores euadēt, vnde earū functiones lædentur, totiúsque animalis gubernatio perturbabitur, tandēque vitæ cōsequetur euersio. Ergo valētes & imbecillæ vires ex operibus primū internoscendæ sunt. Vrinæ aut alui excrementa cruda, nēpe tenuia & aquosa, aut loturæ carnis similia, naturalis facultatis imbecillitatē cōmonstrāt, quēmadmodū vel retētio vel alia quæuis oblæsa fūctio. Vitalis facultās ex pulsu paruo, obscuro & lā-

10 guido, similiter ex respiratione parua, difficili atque crebra, ex voce exili & lāguida, quæ neque pulmonū neque pectoris vitio oborta sit, debilis animaduertitur. Horū verò contraria eiusdem robur & firmitudinem ostendunt. Animalē vim imbecillam coarguūt motus sensuūmq; læsio, vigiliæ, deliria, aliæque perturbatæ principes actiones: quemadmodū cōtrariæ constantiā ipsius firmitatēque demonstrant. Ex iis ergo functionibus facultates lædi coniecimus. Læduntur autē & imbecillæ apparent bifariā, vel oppresse vel languidæ. In omni porrò euacuatione maximè refert languidas ab oppressis inter-

20 noscere. Hæ siquidem largam, illæ nullam vacuationem ferūt. Earū distinctio ex causis eidentibus est petēda. Si enim eius generis prægressæ sunt quæ virium substantiā vel mutant vel dissipant, eas verè languidas esse: sin nullæ eiusmodi deprehensæ sunt, & aliæ

30 vrgent suo pondere, opprimi solūm censeto. Externæ causæ & euidētes quibus infitarum virium (ab his enim exordiar) tēperies mutatur, sunt ardentissimæ febres quæ corpus liquant & causę vehementiores quęcunque solidas partes immodicè calefaciunt, refrigerant, humectant, siccantve. At illarum substantia digeritur atque disperditur in morbis longissimis, qui hominem in atrophiam vel in tabem coniciunt. Influentiū autem virium triplex spiritus permutatur, tum ex ambiētis & rerum quarumlibet irruentium intemperie vel venenata qualitate tum ex viscerum aut humorū deprauatis qualitatibus. Aëris quippe feruor & æstus nō solūm quā nos extrinsecus ambit, verūmetiā quā intrò respiratione ducitur, pulmones primū, deinde cor, omnesque spiritus eoufque inflamat, dum plerunque febris incendatur: ex qua spiritus intēperie necessitas

40 est vires imbecillæ languidæque reddantur. Adde per eum feruorē spiritus non modò temperiei mutationē subire, sed & dissipatione minui. Frigoris contra immoderata vis foris incidens intròque subiens, aliàs spiritum omnemque calorem infrigit & debilitat, aliàs prorsus extinguit. Aër dum vel pestilens vel quodpiam venenatū aliud vitium concepit, haustus tractūsque contagione nostros etiā spiritus labefactat, ex quo grauiū morborum in corpus incurso, viriūque non mediocris iacturā. Multo quidē apertius vel lecorij vel rabidi canis vel alterius venenatæ bestię morfu acceptum virus spiritū polluit & inficit. Porrò etiā interiores & abstrusæ causæ spiritus immutare solent. Vbi enim principes corporis partes intemperie aliquapiam conflictabuntur, eadem si longius serpat, necessariò ad spiritus indidem ortos dimanabit, viriūque robur cōminuet. Quodcūque etiam humoris vitium in corpore dominetur, ex eius intēperie grauem offensionē spiritus excipiāt oportet. Crudorum quippe humorum vi qui aut corpus vniuersum aut ventriculum maximèque os eius occupauerint, necesse est tum calor tum spiritus substantia refrigerat & infringatur, animalque prorsus languescat, interdum verò & syncope prehensum corruat. Bilis ardentior calore immodico spiritus cremans, aut os ventriculi vellicās & quasi aculeis compūgens, haud leuiorū malorum fit causa. Est & quum humor aliquis veneni labe & pernicie aspergitur, cuiusmodi est cohibitum putrescēsque semē aut mēstruum aut grumus sanguinis, cuius vapor spiritum labefactans & inficiens aliàs syncopen, aliàs vteri strangulatum, aliàs epilepsiam, aliàs alia incommoda solet inferre, viribus extra modum offensis. Ergo tot tantisque

50 modis spiritus à sua temperie desciscunt. Eorum porrò viriūque substantia imminuitur atque dissoluitur, interdum sponte, quia tenuis & dissipabilis in corpore calido, raro, laxoque concluditur, vt proinde suo tēpe impetu disperdatur & vanēscat. Interdum verò externarum & eidentium causarū occurrence perimitur, quales sunt ambiens aër feruidior & siccior, vacuatio immodica, motio vehemēs, animi pathemata, dolor & vigiliæ. Immodica humoris aut etiā inutilis excrementi euacuatione, hoc ipso quòd spiritus substantia fusā atque profluens est, nō potest nō bonā illius partē è corpore secum

Quæ languidas vires ab oppressis dignoscere licent.

abripere. Quocirca siue aluus nimio opere vel natura vel arte profluit, siue vrina plus æquo profunditur vt in diabete: siue pus aut aqua ex thorace, stomacho, ventre inferiore, aut ex magno quopiam abscessu vniuersè & affatim prorūpit, necessitas est grauem vires iacturam faciāt. Multo autem certiùs & clariùs nimia sanguinis aut salutaris humoris vacuatio spiritus effudit, virésque cōuellit, siue is ex vulnere, siue ex naribus, siue ex ore, siue ex mariscis, siue ex vtero, aut aliunde profiliat. Hac etiam ratione inedia corporis robur frangunt, quòd per has necessario & vtili corporis alimento disperdido & exhausto aliud non sufficitur, vnde vim omnem cōcidere est necesse. Labor ac æstus spiritus calorísque substantiã halitu aut sudore dissipāt. Quapropter qui vitæ suæ cursum in labore aut circa balneas & fornaces conficiunt, quoniam continēter labitur ac fluit eorum substantia, haud æquè excrementis circumfluunt atque ij qui ociosam & inertem vitam traducūt. Qui luxuria & effrenata libidine diffluūt: his (inquit Poëta) frigent effœtæ in corpore vires, quæ nullius medicinæ vim perferunt, hi omnium maximè ex tantula seminis vacuatione flaccescunt & languēt, quòd spiritus plurimum dissipetur. Doloris porrò atrocitas multo amplius quàm labor spiritus disperdit, virésque prostermit. Animi pathemata alia quidem spiritum atque calorem obruunt & strangulāt, vt timor, mœsticia: alia verò dissoluunt atque dissipant, vt gaudiū, læticia. Vigiliæ corpus vniuersum eiusque maximè animale spiritum exhauriunt, quemadmodum somnus vacuationis genus omne præter sudores, & quam ἀδύλον διαπνοήν Græci vocant, cohibet. Atque hæ sunt causæ quarū exuperantia calorē, spiritū virésque dissipat: quæ quoniam euidētes existūt, tanquā notæ & signa fiunt ex quibus vires propriæ substantiæ iacturam fecisse intelligimus. Causæ verò quæ dūtaxat vires opprimūt interiores sunt & abstrusæ, neque adeò nobis expositæ: eius generis sunt obstructio, & immoderata humorū copia. Venarum arteriarūque obstructio quæ à crassis lentisque humoribus fit, spiritus arētē coërcet, neque illos vētilatione refrigerari sinit, vnde præpedito vsu vitæ necessariò grauius cum ingenito calore opprimūtur. Id quidem in pulmonibus, in iecore, in cerebri vētriculis atque arteriis, in ipso deniq; corporis habitu sæpe ac multū euenire solet. Obstructio autem quam humores nimio plus exuberantes induxerunt, nō modò spiritum calorēque premit, verum etiã suffocat & obruit. At multitudo libera neque vlla obstructione præpedita siue simplex siue cacochymix particeps est, vires strāgular: vt in athletico habitu sanguinis, in leucophlegmatia pituitæ, in hydrope cruditarū, in ictero bilis exuperantia. Quotiescunque igitur naturalis facultas ab excrementis, vitalis ex pulsu & respiratione, animalis ex propriis functionibus imbecilla deprehendetur, si qua ex causis illis procatarteticis vehementior antecesserit, direptā & imminutam censeo viriū substantiã. Vbi verò nulla ex causis illis prægressa fuerit, & vires nihilominus inabecillæ comparebunt, nō vtrique dissolutas, sed oppressas putato: maximè si vel plenitudinis vel multæ cacochymix signa fuerint connexa. Sublatis causis opprimētib; protinus vires recreantur & ad sese redeunt, nisi affectionis diuturnitate prostratæ iam sint. Velim igitur affectarū viriū tres à nobis ordines constitui, alias esse prostratas, grauatas aliàs, tertias languidas, quarum signa sigillatim ex antè cōmemoratis elucebunt. Sunt qui vni pulsui tanquam signo minimè fallaci iubent attentos esse de viriū robore iudicatos. Id certè magnum quippiam, at nondum satis esse iudico: quandoquidem pulsus ferè inconstans incertusque est, & externarum complurium rerū interuētū perturbatur mutationēque suscipit. Deinde ingens copiosaq; euacuatio alias vires non minus quàm vitale cōcutit, atque earū occa su haud secus emorimur atque si vitalis intercederet: quare videtur aliarum etiã facultatum obseruatio ad vacuandū necessaria. Si quis enim vehemēti aut diuturno morbo, vt liēteria, atrophia marasmōve extabuit, huic sanguinē non mittes, etiã si pulsus plenus nunc existit & validus. Quocirca non vnius, sed trium vagarum & influētium facultatum, neque harum solū, verum etiam insitarum quibus actio vitæ continetur, robur ad vacuationem æstimandum est.

*Ut vacuandi quantitas ex morbi magnitudine & viriū robore æstimari debeat. Cap. X.*

**M**ORBVS omnis ægroti vires conuellit, vt & vacuatio quæ ad illius depulsionem adhibetur. Ne igitur durum videatur iã afflictū grauius affligere, ea lege tēperāda sūt omnia, vt morbi substantia dematur, viribus quàm fieri potest minimum.

nimum oblati. His quidem tantisper negotium facessere dum malum profligetur, & in maioris commodi spem adducamur, periti in primis est artificis. Quæcunque autem offensio per legitimas euacuationes viribus infertur, leuis admodum & breuis esse solet, vt quæ completa euacuatione mox cõquiescat. Natura siquidem noxiorum humorum pondere deonerata, quo veluti sarcina premebatur, priores vires recuperat, quicquid spiritibus & innato calori fuerat detractum refarcit, factaque morbo deinceps superior, quæ reliqua sunt euincit partim coquendo partim foras dissipando. Si Hippocrates ad pericula prospicienda sagacissimus, cõsultit tenuem victum ægrotis adhibere, haud veritus illorũ vires licet infirmas victus tenuitate debilitare, vt hac simul morbi es-

10 sentiam cõminueret: idem profectò in vacuandi munere tenendum. Cæterum perinde vt in victus ita & in euacuationis ratione cauendum, ne in extremã debilitatem adductæ vires concidant, circumspiciendumque etiam atque etiam & accuratè considerandum, quãtum & quoad perferre queãt. Æqua autem & legitima vacuationis quantitas citra insignem virium offensionem morbum adimit. Hoc morbi viriũque inter se exquisita collatio cõmonstrat. Nam validis constantibusque viribus fidèter quantum morbus desiderat erit vacuandũ: minus validis parcius, prostratis nihil prorsus moliedum. Cæterum hoc ipsum in disceptatione quæstionemque vocatur, possintne vires vsque adeo debilitari, vt ne minimã vacuationem tolerant. Plerunque enim in magna virium deiectione vacuationes sponte, salubriter, euetũque foelici prorumpunt. Deinde vnicuique virium ordini sua quædam vacuationis quantitas proportionem reddi potest: non enim credibile est vncia aut semuncia sanguinis effusa vires etiã prostratas offensum iri. Quoniam igitur hæc obscura sunt, explanationes adhibendæ, vt omnis veterum ambiguitas tollatur. Vacuationũ alia integra statuitur & perfectè absoluta, quæ omnem aut certè plurimã morbi materiam adimit: alia utilis quidem at non integra, quæ parte morbi sublata reliquum facit leuiorẽ: tertia eousque exigua & deficiens, nihil vt laborantẽ leuet. Rarò quidem vires adeò prosternuntur (nisi malo victis & deploratis) vt ne vel minimã quidem vacuationem sustineant: verum huiusce tãquam inutilis veteres nõ meminere, quòd citra ægroti alleuationem viribus incommodet, statueruntque viribus afflictis & prostratis nullam omnino vacuationem adhibendam. Itaque valentes vires integram consummatamque, mediocres imperfectam quidem, sed utilem, prostratæ nullam mali curatricem vacuationem tolerant. Ex morbis autẽ quicunque vehemens ac magnus extiterit, copiosam eãque necessariam exposcit, sine qua aut nullo modo aut non tutò sanari potest. Mediocris moderatam, quæ rarò necessaria, sed duntaxat utilis habetur, per quam citius ac tutius sanatio perficitur. Exiguus morbus exiguæ etiã aut nullius omnino vacuationis indiget. Iã verò morbi magnitudo viriũ robori conferatur. Quũ vires erunt planè integræ, & morbus mediocris, nõ vtique necessaria, sed duntaxat utilis est venæ sectio: potest tamen tutò & quãtum morbus desiderat sanguis mitti. Nõ enim verendum est cõstantes vires aliquãtis per imminuere, dũ morbi sentina funditus exhauriatur: eæ siquidem promptè nullaque mora recreantur.

40 Quum in viriũ constãtia & firmitudine morbus inuadet magnus & periculosus, qui vasa immoderatiore copia distendat, quẽadmodum in habitu athletico & in synochis febribus, tunc vberior vacuatio præscribenda, quæ affectus magnitudini vsquequaque respõdeat, expeditque (inquit Hippocrates) vsque ad animi defectionem ducere, si æger perferre possit. Neque verò de ea animi defectione præcipit, quæ vel timiditate & animi ignauia vel acrimonia humoris accidit, qui os ventriculi pungit & irritat: sed de ea duntaxat quæ vberiorẽ euacuationem consequitur. Hanc enim in morbis extremis statuit tanquã regulam & legitimum vacuationis modum. Est autẽ animi viriũque defectio lipothymia siue lipopsychia, in qua etiamnum ægrotus loquitur, audit, videt, agnoscitque præsentis. Syncope verò est omnium virium præceps lapsus, vt epilepsia animalium: qua certè qui opprimitur nec audit nec videt, & (vt verbo expediã) omnes externas functiones quãsi interceptas habet. Lipothymia leuior est syncope, hæcque solet præcedere. In his igitur affectibus sanguinem vsque ad lipothymiam mittere permittitur: at nõ temerè & sine iudicio. Sed quum iam vires præ vacuatione manifestè fatiscunt & vacillant, & initiũ patiuntur defectionis atque lipothymie, cohibendum: neque vnquam vacuationes ad extremum & vsque ad verã syncopen deducendæ, vt quæ omnino periculosa euadant, etiam si validæ vires erant. Tentandum igitur est ex-

Quæstio  
eius solutio.

Vacuatio  
quantitatis  
tres gradus

Viribus fir-  
mis & com-  
stantibus  
quid agend-  
um.

Ad lipothymiam vacuare.

perantem humorē subducere, quoad vires ferant. Et quocumque tēpore dissoluuntur, etiam si restent superuacua, ab euacuatione nihilominus desistendum cessandūque protinus est. Hoc autem certissimè disces pulsuum mutationi animum mentēque adhibens, quū ex magno paruum, ex æquali inæquabilē, ex vehementi debilem & obscurum fieri, quūque fluētis sanguinis impetum labare, ægrotūmq; iam languere animaduertes. Quoniā igitur syncope mortis est imago quædam quæ astantes perterret, & ægrum in maximū vitæ discrimē adducit, in eam profectò vacuatione ægrotum minimè præcipitabit, quicumque dignitatem existimationēque suam inuiolatam tueri, neque in vllas obrectatorum reprehensiones incurrere volet. Cōducibilius quidem sit ægrum diutius torqueri, quàm vnā cum morbo vitā omnem profundere. Hastenus 19

*Viribus mediocribus quātum vāmandum.*

vires integras valētēque oratio nostra attigit. Mediocres porrò vires si mediocris quoque morbus adoritur, moderatam quoque vacuationem postulat, quæ leui aut exigua virium offensione vniuersam causam detrahat. Atque etiam utilis ea fuerit, quæ leuior mitiorque adhibebitur. At si easdē vires morbus maior inuadat, & cui multa vacuatio fuerit necessaria, nequaquam debet ea semel & vniuersè suscipi: vt quā vires tolerare nequeant. Non enim rectè morbum demit, qui cum morbo ægrum de medio tollit. Quū igitur semel & vniuersè facta vacuatio citra periculum adhiberi nō potest, quod vitiosè se habet, paulatim vacuare expedit, & minutatim salubre quippiā pro eo repone: ac primū quantū vires ferant detrahare, deinde quod defuit iteratione supplere, idque vel bis vel ter vel nonnunquam sæpius: ea curatio Græcis est *ἐπιχρασις*. Prostra- 20  
tis autem viribus nulla vel morbo exigente vacuatio ineunda. Quæ enim ad eò exigua fuerit, vt viribus illis quasi dimensa & par respondeat, quoniam commodi nihil, incommodi verò atque perturbationis plurimum infert tanquam inutilis & superuacua præmittatur. Atque in viribus roborandis confirmandisque omne tum studium collocetur, idque cibis boni succi modicè & sæpius offerendis, quibus etiam facultas insit morbo aduersa, quæ cacochymiam emendet. Quòd si postea vires recreari atque refici contingat, tum idonea afferetur vacuatio, quod in diuturnis morbis sæpius vsuuenit. In acutis verò nimia cunctatio semper anceps est & periculosa.

*Deiellis & exiguis.*

*Præsentium præteritorūque obseruationes, ex quibus certior  
vacuandi quantitas indicatur. Cap. XI.*

30

*Primi & præcipui scopi duo sanguinis detrahendi. Secundarij sex scopi & animaduersiones in sanguine mittendo.*



**M**ITTENDI sanguinis quantitātē ex morbi magnitudine atque virium robore perceptā, exquisitiū atque perfectiū euidētium causarum obseruatio præscribet. Ex his causis tres numerantur interiores & nobis cōgenitæ, temperamētum, corporis constitutio vel habitus & ætas. Totidē externæ & aduentitiæ, ambientis constitutio ex anni tempore, regione & cœli statu profecta: vacuatio suppressa vel immodicè procedens: consuetudo victus vel generis vitæ vel vacuationis. Præteritas hæc causas idcirco suprā exquirebamus, vt ex iis exquisita morbi & viriū magnitudo nobis eluceret. Præsentis & futuræ nondū morbum 40  
aut vires immutarunt: quoniā tamen humoris aliquid è corpore vacuare & vires dissolueri incipiunt, non parum ad euacuationem quam proponimus momenti obtinent. Quas autē hæ vires habeant, sigillatim explicandum est. Calidum humidūque corporis temperamentum, in propria solidarum partium substantia situm, quoniam vi infiti caloris assiduò plurimū dissipatur ac dissoluitur, nō peræquè copiosam fert vacuationem, atq; quod ab illo plurimū diffidet frigidum & siccum. Quodcūque verò corpus inde humidū appellant quòd multo humore abūdet in venis recōdito, id facillimè vacuationē tolerat. Corporis habitus extenuatus, mollis & rarus tum imbecillus tū multæ dissolutioni obnoxius est: cōtrā verò carnosus, firmus atque densus pauca finit è corpore dissipari. Qui autē præpinguis & obesus existit, quanquam minimū dispergitur, 50  
difficile tamen venæ sectionē idcirco sustinet, quòd exilibus sit venis, quas exinanitas pinguedo facile stringit deprimiq; vt inde mētus sit ne natium calorē extinguat. In corporis habitu æstimanda etiam est venarum capacitas: quibus enim amplæ & turgidæ spectātur, tolerabilior est euacuatio, quàm quibus angustæ. Neque verò humorum natura posthabenda est: nam tenues & calidi celerrimè dissipantur ac disfluunt, crassi ac frigidi diutius hærent. Atq; hæc quidem ad corporis constitutionem habitūque per-  
tinent.

*Temperamentum.*

*Habitus.*

tinent. *Ætatum* porrò quæ decrepita nūcupatur, quia efficitur est viribus, nullam venæ *Ætas.*  
 sectionem tolerat: moribundum senem præcipitat quisquis reliquum vitæ calorē cum  
 sanguine profundit. Quæ inter senectutem & pueritiam mediæ interueniūt, quoniam  
 firmis viribus & corpore bene constituto tenentur, nulla vacuandi præsidia metuunt.  
 Puerorum ætas virium quidē substantia abundat, cæterum quia corpus calidum & hu-  
 midum obtinet, molle tenerum ac patens, quod spōte sua assiduò digeritur ac defluit,  
 sanguinis missionē tutò non feret: quantum enim ex incidenda vena vacuandum fue-  
 rat, id vltro ex corporis natura præstat. Has ætates nullis annorum finibus Hippocra-  
 tes circumscripsit. At Galenus neq; ante annum decimum quartum neq; post septua-  
 10 gesimū iis quas protuli causis adductus venā pertundit. Quod profectò de pleniore il-  
 la veteribusque cōsuetā vacuatione audiēdum: nam moderatam quæ tum viribus tum  
 plenitudini aut par aut inferior sit, vtrique pro eo ipso quantulocunq; sunt præditi mo-  
 do, facillè ferent. Sic Rhafes ætate decrepita quæ graui vrgentēque pleuritide vel peri-  
 pneumonia torquebatur, sanguinē emisit. Sic Auenzoar filio suo trimo se vtiliter ve-  
 nam secuisse commemorat. Hoc & ipsi plerunque experimur, sexto aut quinto ætatis  
 anno tres sanguinis quatuorve vncias, pleuritim, interiores inflāmationes, hīsque gra-  
 uiores morbos finiuisse. Sponte naturæ tum pueris tū infantibus lactentibus sanguis in-  
 terdum abundè prodit è naribus, nulla corporis aut viriū iactura. Suis viribus iūque va-  
 lidis prædita est puerorum ætas: cur igitur ad illarum proportionem vacuare nō possu-  
 20 mus, quum præsertim eufarcus est puer, plenè ac liberaliter educatus, cui amplæ venæ  
 bene cocto puròque sanguine tument? Ad extremū verò donemus virium robur lædi:  
 vtrum magis optādum fuerit, vel vt puer seruata plenitudine succique copia intereat,  
 vel vt ea imminuta offensisque quodāmodo viribus à morbo vindicetur? Secūda autē  
 venæ necessitas in pleuritide interioribusque inflammationibus quàm in continuis fe-  
 bribus puero maior existit. Nulla igitur est ætas, quæ nō aliquem vacuationis modum  
 ferat. Hæ sunt interiorum causarum obseruationes, quæ sponte intimòq; motu corpus  
 virisque afficiūt. Præter eas verò euidentiu quoque constitutio tenēda. Regio feruens  
 & arida multum innati calidi viriūque, multum peccātis humoris è corpore haurit.  
 Hinc vires cōminuuntur pauciorque sanguis manet in venis: in ea proinde contractio-  
 30 res parcioreque in sanguine mittendo esse conuenit. Regio frigidior ac humidior, in-  
 natum calidum humorēque intus coërcet, horūmq; minimum dissoluit, quocirca san-  
 guis abundantius profundi potest. Cæterum in extremè frigida quæ plurimum in Bo-  
 ream deurgit, sanguis frigore veluti cōglaciens vacuationi vix cedit, sed & partes in-  
 teriores si à suo calore destitutæ maneat, ambiētis frigoris iniuria extinctionis pericu-  
 lum subibunt. Quæ inter illas intercedit regio temperatior largissimā sanguinis profu-  
 sionem tolerat. In anni temporibus ver tēperatum, succi viriūque abundans, sangui-  
 nem largiūs fundi permittit: estq; vere secta vena præcauēdis morbis idonea. Post ver, *Anni tem-  
pora.*  
 autumnus, deinde hyems, omnium verò minimum ætas. Cæli status qui calidior ob-  
 40 tigerit, vt subsolana vel austrina tēpestate, parciūs: qui frigidior vt valido Aquilone aut  
 Fauonio, is quoque parciūs: largiūs autem quicumque clementior nulla ingenti tempe-  
 statum vi iactabitur, sanguinē mittendum esse suadet. Tria hīc in ambientis cōstitutio-  
 ne perperuò implicita atq; colligata, iam in vnū conferamus. Regione frigida & hyme  
 premēs Boreas prorsus venæ sectione nobis interdicit: solūq; Auster placidior illā  
 admittit. Regione autē feruida & æstate, quum perflat Auster, venam pentundere for-  
 midolosum: at quū Boreas æstum temperat, tutissimum. Hæ igitur causæ tum innati ca-  
 lidi tum humorū substantiam vel cōseruant vel dissipant, sed tamē obscurè ac sine sen-  
 su. Cæterum de manifesta copiosaq; vacuatione, quæ fortè tum erumpit quum venam *Spontanea  
vacuatio.*  
 50 fecare proponimus, ita quidem statuendum. Spontanea vacuatio materiæ morbi ni-  
 hil detrahens, verā atque legitimam non excludit. Quod igitur morbus exposcit, proti-  
 nus vacuandū: præsertim si necessitas impellit, & vires spontanea illa vacuatione non-  
 dum in magnam offensionē incurrerunt. In vehemēti pleuritide, quo tempore fortè  
 fortuna erumpet totius corporis sudor aut vomitio aut aluus, sanguis mitti non debet:  
 at sedatis illis paulūmq; recreatis viribus, vena incidenda. Symptomata enim quum il-  
 la sint, neq; morbi substantiā detrahunt neque vicaria esse possunt phlebotomię. Sic in  
 febre ardente, liēteria quæ ex frigide potu immoderatiore laxato dissolutòq; ventricu-  
 lo inciderit, venæ sectionem non vetat. At quoniā vires inde paulò imbecilliores eua-

serunt, harū seruata dignitate sanguis parcius emittetur. Spontanea autē vacuatio quæ morbi substantiam demit, si iam ægrotum leuet possitque quātum requiris vacuare, prorsus est naturæ committenda: Sin minus id possit, tantum ipse detrahes, quo ex cōiunctis ambobus perficiatur quod postulas. Quæ sponte natura perfectura est, ne tangito: inchoata verò nec ab ea perficienda completo. Itaque in pleuritide, in febre assidua, si sanguis abundantius ex vtero, ex hæmorrhoidē, vel è naribus dimanet, iustaque sit vacuationis quantitas, ex qua æger satis leuetur, venam non incides. Sin verò parcius aut languidius ex his locis profluit, morbūque interim vehementer vrget, quod deficit, etiam si puerpera sit laborans, venæ sectione supplendum. Eadem ex causa in dysenteria purgans medicamentum offertur, vt quod sensim & languidè per anfractus 10 parum idoneos elabitur, affatim perductus conuenientiores deriuetur ac defluat. Consuetudo porrò nobis obseruanda, in victus ratione, in vitæ genere & in euacuatione. Qui frugaliter siue ex consuetudine siue ex morbi impedimento victitant, parcius vacuandi sunt quàm qui liberalius pleniùsque viuunt. Qui venæ sectionem iam est expertus, modò vires crebra vacuatione nondum sint læsæ, alacrius ac leuius eam perferet quàm inexpertus. Consueti quippe mala, minus sunt infensa. Quapropter opinione sua vulgus longè fallitur, qua primam venæ sectionem vt in primis salutarem suscipit, & quasi veneratur conseruatque extremos vsus commodaturam.

consuetudo.

Aphor. 50.  
lib. 2.

*Futurorum obseruatio aut veriùs prouisio præseruandæ quantitatis  
necessaria. Cap. XII.*

20



Quales erūt  
vires in po-  
sterum, inde  
consectan-  
dum.

NON solūm vires præsentēs emeriti, verum etiā futuras prospicere acuti sapientis que est medici. Post vacuationem vires ita tueri atque conseruare par est, vt & aliā deinceps adhibenda remedia ferre, & morbi longitudini atque iudicationi sustinendæ satis esse queant. Quinetiam ne posthac intempestiuè & alieno tempore nutrire cogamur, sanguinis nō nihil retinendum asseruādūque est ad morbi decursum & ad reliquæ curationis spatium. Futuras vires æstimabimus tum ex causis procatarteticis quæ præsentēs sunt & posthac etiā perseverabunt, tum ex symptomatis quæ præter opinionē incidere possunt. In causis procatarteticis præcipuè sunt, cœli cōstitutio & viuendi ritus. Cœli constitutio si calida euaserit & sicca, ac istiusmodi deinceps expectetur, restrictiùs sanguis emittetur quàm si frigidam fore cōiiciamus. Rursum si prospicimus ægrotum tenuiter sobrièque victurum, vel quia potionis & cibi languet appetentia, vel quia morbus deuorare non finit, vt in angina fauces præcludēte, parcius euacuare monemur, quàm si pleniùs is viuat. Seruare tum aliquid sanguinis oportet, tanquam naturæ thesaurum & suppetias in leuamen futuræ penuriæ. Iam verò repētina & inopinata symptomata, quæ vires summopere eneruant & frangunt, sunt dolor vehemens, vigiliæ, vacuationes præter spem erumpētes, & in primis syncope. In hæc siquidē non pauci quàm mox ab aperta vena ex cōsuetudine incidūt, vel quòd natura sint imbecilliores, vel quòd timore magno perculsi, vires omnes offundāt: vel quòd os vētris amara bile perfusum, aut quàm maximè acri sensu præditū & infirmum nacti sunt. Quum igitur aliquid eiusmodi futurū suspicamur, quanquā vires tunc valent, sanguinem tamen vel nullo modo vel præparcè mittemus, nisi fortè huic periculo antè sit occursum. Summæ autē prudentiæ fuerit repentina & inopinata quæcunq; incident, longè prospicere atque præcauere. Hęc iam exēplis illustremus. Esto quispiam natura sanguineus, corpore eusarco, denso ac firmo, ætate florenti, qui multos dies luxuriosum vitæ genus secutus, alimētis se expleuerit solidioribus & valentis materiæ: qui pristinam exercitationis consuetudinem intermiserit, domique otiosè vixerit, cui sanguinis ex naribus, ex vtero vel ex hæmorrhoidibus vetus conseruatque eruptio iam pridem substiterit: adeò vt ex harum concursione eausarū corporis habitus nō mediocre incrementū ceperit, & venæ natura ample præ copia sint distentē. Quocunq; tempore hominem ita constitutum grauis vehemēnsque febris vel inflāmatioprehendet, quàm mox sanguis profundendus est, isque copiosus: quandoquidem tum morbi tum causæ magnitudo id expostulat, ex præteritorū obseruatione confirmata. Quòd si his etiam præsentia cōsentiunt adsitque aëris constitutio ex regione, anni tempore & ex tempestate collatis moderatè frigida & humida, ægrotus verò ad vacua-

30

40

50

ad vacationē procliuis sit: posthac verò morbus non ad multos dies longius producat-  
 tur, nulla calidioris futuræ tēpestatis significatio appareat: nulla item futuri doloris, vel  
 inediae vel vigiliarū vel spontaneæ vacationis comminatio intendatur: his ita in vnū  
 conspirātibus, quis dubitet largissimam sanguinis missionem imperare? At verò hisce  
 contraria omnia, quæ non subito à sanguinis detractōe auocabunt? Permissentur ple-  
 runque ac prorsus inter se pugnantēs existunt obseruationes, ac tum prudenti ac riq̄  
 iudicio est opus, quo ex cōparatis illis vacationi modus præscribatur. Præteritorū re-  
 cordatio plerunque copiosum sanguinem fundendum monet, cuius tamē libertatem  
 nobis præsentium obseruatio subtrahit. Ut si quis pristina exercitationis consuetudine  
 10 intermissa desidīa se & luxuriæ dederit, & alimētis expleuerit, & solennis quæpiā va-  
 cuatio substiterit: sed hinc euaserit corpus pingue & albū, laxum & molle, tenuisq; suc-  
 ci plenum, adsitq̄ æstas, regio æstuosa, cœliq̄ue status calidus ac ficcus: omnino huic  
 sanguinem nō mittes: satis enim ex se ipso non modò obscure verumetiam manifestè  
 vacuatur. Parum verò detrahes in eo ipso habitu, si hyems adsit & regio frigida, cœli-  
 que status Aquilonius. In hac autē rerum permissiōe, non obseruationum multitudi-  
 nem, sed potestatem velim te attendere, quòd vna plerunque reliquas omnes dignita-  
 te præstantiāq; superet. Qui neque artis cognitione neq; longo rerum vsu neque pru-  
 denti synceròque mentis iudicio confidit se posse vacationis quantitatem definire, is  
 Hippocratis consilio potius infrā subsistat, quàm exquisitè vacuet. Hoc autem loco nō  
 20 abs re fuerit perscrutari, sitne vteri gestatio inter obseruationes habēda. Ipsa veritatis  
 species multa probabilitate suadet in prægnātibus graui morbo implicitis tēperandū,  
 ob fœtum qui vtero continetur, Hippocratis patrocinio ac sententia hunc in modum  
 defensa: Mulier in vtero gestans incisa vena abortit, idque magis si est fœtus auetior. At  
 certè hoc perpetuum minimè est, vt neque illud quod proximè antè scribitur: Mulie-  
 rem in vtero gerentē acuto morbo corripī, lethale est. Quū enim purgatio quæ mali-  
 gnis sit medicamentis, cum periculo grauiore fœtus quàm venę sectione decernatur, si  
 Hippocrates grauidæ morbo ex cacochymia tentatæ, purgationē largitur iis mensibus  
 qui inter tertium & octauum interponuntur: nos profectò iisdem multo tutiùs sangui-  
 nem mittemus ei, quæ aliquo plenitudinis morbo conflabitur. Quod si media gesta-  
 30 tione liceat, longè tutiùs in initio factu fas est: quòd sanguis magis redundet, & fœtus  
 minore egeat alimēto. Hoc tēpore si sæpe natura illius superuacui effusionē sponte uti-  
 litérque aggreditur per nares, per hæmorrhoidas, aut per vterum: & nonnunquam  
 menses statis tēporibus salubriter effluunt, cur nō similiter nobis liceat premēte neces-  
 sitate naturam arte imitari? Multæ nisi vena citciter quartum mensem referetur, abor-  
 tiunt, fœtus enim copia obruitur. Neque verò in plethora sola, verumetiam citra hanc  
 quū pleuritis aliāve inflammatio vehementis vrget, prægnanti vena in cubito cæden-  
 da. Inferiores autē prægnantium venas incidere minimè tutum, quod impetu deorsum  
 conuerso menses procedant, præcipiterq; fœtus. Octauo ac nono mēse rarò citra ab-  
 ortum sanguis emittitur, quū præsertim mulier leui ex causa vel ob vteri imbecillitatē,  
 40 vel ob lubricum lentorē abortire consuevit. Hac in re Cornelius Celsus morbi dunta-  
 xat viriumq; magnitudinem animaduertit. Antiqui, inquit, primā vltimāque ætatē  
 sustinere non posse hoc auxiliij genus iudicabant, persuaserantq; sibi mulierem graui-  
 dam, quæ ita curata esset abortū esse facturam. Postea verò vsus ostendit, nihil ex his ef-  
 se perpetuum, aliāsque potiores obseruationes adhibendas esse, ad quas dirigi curantis  
 consilium debeat. Interest enim nō quæ ætas sit neq; quid in corpore intus geratur, sed  
 quæ vires sint. Firmus puer, & robustus senex & grauida mulier valens tutò curantur.  
 Itaque vteri gestatio quemadmodum & ætas inter quantitatis obseruationes habenda.  
 De quantitate mittendi sanguinis hæc quidem satis, deinceps verò de vtendi ratione.

Indicationi-  
 bus contra-  
 rii quid a-  
 gendum.

Prægnatio  
 an inter ob-  
 seruationes  
 mittendi  
 sanguinis  
 habenda.  
 Aphor. 30.  
 lib. 5.  
 Aphor. 31.  
 lib. 5.

50 Quo morbi tempore, qua die quaque hora sanguis emittendus. Cap. XIII.



VORVM morborum causa est plenitudo aliāve humorū labes in vasis, ea  
 incipiētibus illis quàm mox secta vena summoueri debet. Hoc enim pacto  
 quicquid morbi in posterum gignendum est prohibebitur, quicquid verò  
 genitum & procreatum iam est, facilius natura concoquet, euincet atque  
 profligabit. Sic febres ardentiores antequam sanguinis moles feruoris in-  
 cendio torreatur, aut vehementior putredo inualefcat, acceleratum hoc remedium

extinguit. Sic & interiores inflammationes hoc auxilij genus initio radicitus eruit, dum qui in partem confluxerat humor nondum obhærens, profluentis sanguinis impetum cursumque sequitur. Vires per initia firmæ sunt & constantes, nec admodum iis dissimiles quæ pridem erant integra valetudine: si quo igitur tempore, ipso maximè initio hoc præsidij genus tolerabunt. Qui plenitudine aut fluxione permanente alia vult remedia adhibere, peruerso medendi ordine affectum conduplicabit viribusque negotium facesset. Sic tamen maturè vena secetur ut ventriculus primæque venæ nec vlla humoris corruptela, nec cruditate, nec cibo semicocto, cõfertæ sint. Præcepit quidè Auicennas in morborum principiis phlebotomiã prorsus omittere & concoctionem expectare, dum morbus principium statumque præterierit: atque tum demum solum illam con- 10  
ferre asseuerat. Idque non de solis partium morbis quos antè percensuerat, audiendum putat, quum & mox id ipsum de febribus omnibus præcipiat, maximèque de sanguinea, in qua quum aderit concoctio, iubet sanguinè profluentè educere. Quia verò ista mirabiliter dissentanea videtur, perpendendum quibus illa rationibus suadere cõtendat, ut controuersia ad vnguem discussa, veritas ipsa clariùs eluceat. Inquit igitur per initia incisam venã noxios humores extenuare, & per corpus quoquoersum impellere, sanguinèque puro & syncero permiscere: nonnunquam etiã nos expectatione nostra adedè decipi, ut cū salubri nihil prorsus vitiosi humoris educatur. Ex animi verò sententiã atque voto omnia succedere, si expectata concoctione quum iam morbus principium & statum præterierit, sanguinem detrahamus. Sed minimè tam inconsiderata eius ferenda 20  
est sententiã: neque audiendi illius explanatores, quorum dicta quotidie re & euentis refelluntur. Quæ enim absurdior futiliorque sententiã hac excogitari possit, phlebotomiam humores extenuare, quum ex superiorum demonstratione dilucidè cõstet, qua ante eadem & post phlebotomiã proportione humores in corpore retineri atque seruari: Si qua fortè mutatio incidit, quum tenuis humor expeditius celeriusque, crassior ægrius & pigrius emanet, verisimilius est phlebotomiam, sanguinem & humores potius incrassare debere. Cur deinde hæc humores exagitet? si multitudinem demit, quæ perturbationum & morbi causa fuerat, debet eadè omnia mitiora & tranquilliora reddere. At si peccã materia sanguine permiscetur in venis, cur hæc secta vena non pariter foras exiliet? Sed iã plenius æstimata rei veritate, donemus morbum quempiã vehemen- 30  
tem & acutum ex solius sanguinis exuperãtia natum, cuiusmodi sunt vtraque synocha, putrida febris ex plenitudine, angina, pleuritis, peripneumonia, iecoris aliarumque partium inflammationes. Hæc si peracutæ sunt & periculosa præ sanguinis copia præcipites, quis non statim ipso initio venã pertundat? quis quum adhuc vires integræ sunt, non eam plenitudinè prorsus eximat, quæ morbo causam dedit, & quæ in vitæ discrimè adducit? Hoc consilio in synocha festinamus statim initio sanguinem ad animi defectiõnem mittere, antequam materia putrescat. At ille, in ea febre sanguinea principio sanguinè parcè mittit, abundantius verò vbi coctionis signa comparent. At quam quæso cõcoctionem expectet sanguinis optimi & bene cocti, qui sola multitudine peccat? In his igitur ut in valde acutis, Hippocratis cõsilio differre & cunctari malū est: sed statim 40  
si vires integræ & valentes erunt, ad animi vsque defectiõnem ducendum. Si minus acuti & vehemètes erunt morbi, etiam per initia sanguis effundetur, idque pro multitudinis ratione. Nū igitur in his venæ sectionem omitemus, & cum Auicenna expectabimus dum cõcoctio eluceat, & principium morbus statumque præterierit? Siccine morbum sinemus suo impetu proteruire atque ægrotum tam immaniter iactari citra vllam artis opem? Si exitialis is erit, ad cõcoctionem nūquam perducetur: sin salutaris vel anceps, post statum in ipsa declinatione quum iam prorsus euictus erit, & laborans à periculo tutus, quid tum venæ sectione fuerit opus? Sed age hoc loco temporum morbi & coctionis vim expendamus. Natura concoctione impuros noxiõsque humores è purioribus secernit: hos ut conseruet, illos ut tãdem foras exturbet, aut sola per se, aut medi- 50  
camèti ope. Atqui venæ sectio nullo delectu omnes qui in venis sūt, promiscuè & indiscriminatim prolestat. Quorsum igitur ut hæc fiat, humorum concoctionè atque secretionem præstolemur? Ut in phlegmone pus iam factum non amplius secta vena, sed alia ratione per vias breuiores deriuamus: ita in febribus quarum materia in venis coërcetur, concoctus ac iã secretus humor, medicamento deriuandus deturbadusque est. Qua in rerum temporis naturam habebimus adminiculantem, quæ secretos humores foras

*Aduersus  
Auicennam  
non nisi post  
cõcoctionem  
phlebotomiã  
admittitsem.*

foras excludere contendit. At si quis hoc tempore venā autit incidere, non eos solum, sed pariter viles eliciet: quodque grauius est, eos qui vi naturæ secreti fuerāt, puro sanguini permiscebit, hunc inquinabit, omnia confunder, naturæque molitionem optimam interpellabit. Quam igitur concoctionis manifestæ signa comparebunt, non amplius venæ sectione, sed aut purgatione, aut aliis deriuantibus præfidiis reliqua curatio transigenda: nisi (quod interdum fit) cruditatis signa denuò se prodant. In febribus vacuata multitudine vbi quæ putruerant concocta sunt, per aluum, vrinas & sudores ea vacuare tērandū. In pleuricide & in peripneumonia quæ putruerunt & in pus conuersa sunt, per sputa: in hepaticide, caua quidem per aluū, gibba per vrinas, quemadmodum & in nephritide: singula denique per loca proxima & conuenientiora sunt expurganda. Si metu, ignauia, aliisve occasionibus venæ sectio primis morbi diebus administrata nō est, quocunque die etiam vigesimo in ægrum incideris, si plenitudinis atque cruditatis signa permanebūt, hoc prælidij genus adhibendū, modò vires ferāt neque sint morbi diuturnitate collapsæ. Nō enim dierū morbi numerus à phlebotomia per se ac primūm dehortatur, sed quod sapius tēporis progressu vel concocta est morbi materia, vel sunt vires dissolutæ. Ut autem vniuersalium temporū, ita particulariū & dierū quibus morbi recurrūt delectus habēdus, in his potissimūm morbis quorū certa est vel intermissio vel remissio. Vacuatio non excandescenti, sed mitescenti morbo afferēda. Natura quidem plerumque febrium maximèque intermittētiū inuasionibus vomitiones, & declinationibus sudores cōmodè ciet, quo tempore nobis etiam licet eadem vtiliter arte promouere: at non velalui deiectionem vel venæ sectionem. In accessionibus ab his omnino temperandum est, vt quas neque natura tum molitur, sed si quæ fortè incidūt, solius morbi feruore impetūque fiunt. Nulla eiusmodi vacuatio quæ vires supra modū laceffit, in tanta accessionum quasi fluctuū agitatione tutò obiri possit. Quū enim humores tum maximè quodā quasi æstu incitati efferuescant, obrubatique permisceantur, nulla omnino queat iusta eorū fieri secretio. Esto etiā, peccās morbi materia extra venas maiores exardescat, si hoc tempore vena referetur, metuēdum erit ne illa in venas exinanitas è vestigio cōmigret, fiatque ex intermittente cōtinens. At verò maxima morbi tranquillitate vena secta, vix vllum naturæ negotium faceffit, ipsamque multitudinē è venis maioribus eripit, nullo excandescentiæ metu. Maxima tranquillitas est medio remissionis intermissionisve tempore. Si spatia inter accessiones porrigūtur, facile sit mediū ipsum pro rerū cōmoditate designare: sin angustum, difficile, quod interdū vix occasio sese offerat vt vel ante vel post venæ sectionem opportunè ægrum alamus. In quibus morbis vel præcautionis vel curationis gratia, potestas datur sanguini mitendo horam deligere, conuenientior erit matutina quàm pomeridiana. Nam à Solis exortu sanguis suscitatur, viget atque dominatur, ipsōq; diei lumine tenuis fit, serenus & ad fluendum aptior: maximè secūda tertiāve hora. Hac ipsa ne æger sopore torpeat, expectatus insomnem horam saltem vnam duxerit oportet. Hesternum cibū integrò concoxerit, sitque alui & vesicæ munia executus: eoque magis si vna quæpiam ampliorum venarum erit incidenda. Nam exiles è quibus sanguis parcius emanat, nulla istiusmodi obseruatione feriuntur. Astrologica etiam obseruatio vt non parum efficax tenenda. Cæterum quotiescunque vehementiores morbi prement & instabunt, tum venam pertundito. In vehemēti enim & suffocāte pleuricide vel in angina, in sanguinis immoderato fluore, in extrema vasorū plenitudine, in aliis deniq; morbis qui nimium præcipites sunt, nihil istiusmodi delectus habēdus. At verò in febribus aliisve morbis qui circuitibus affligunt, quietis aut remissionis animaduersio multo præstātor quàm matutini temporis. In quamcunque igitur diei noctisve horam remissio inciderit, cæteris in id ritè administratis vena pertundetur.

Quæ ante venæ sectionem præparatio afferenda. Cap. XIII.

**V**T ad venæ sectionem opportuna tēporis occasio, ita corporis idonea præparatio adhibenda, qua neglecta ægroto plurimum offensionis impendet. Partium quæ in prima corporis regione sunt, puritas & expurgatio, potissima est ad venæ sectionem præparatio. Vicia quæ opus impediunt aut certè remorantur, sunt vetriculi primarūque venarum cruditas, noxiorum humorum colluuiēs, alius fæcibus astricta, os vetriculi nimio opere sentiēns vel im-

Post perfectā  
coctionē se-  
ctioni venæ  
locū non esse.

Quo die a-  
fferenda ve-  
na.

Qua hora  
destrahendus  
sanguis.

Quatuor i-  
sta venæ se-  
ctionem re-  
tardant.

becillum : quæ non omnino verant & excludunt , sed duntaxat retardant venæ sectionem, dum arte sint sublata. Crudiore enim vētriculo secta atque exinanita vena, crudi succi plurimum in sanguinis locum rapiet. Et suppressiore aluo si venam eliseris, iecur exhaustæque venæ sordidum quiddam & impurum è fæcibus exugent. Tantū morē in vena pertundenda interponi debet, quantum satis est tum ad crudiorū concoctionem tū vt excrementa descendāt. Hæc spē nisi succedant, clystere vel balano prolicienda sunt: prunis vel cassia aluus emolliēda. Coctus crudusve cibus internoscitur ex accepti eius qualitate & copia, ex tempore quo acceptus est, ex ructu, ex vētriculi pōdere. Corruptus humor in ventriculo aut in vicinis partibus exuperans, siue illic genitus est siue aliūde, velut ex capite, ex iecore aut ex liene procubuit, differre hortatur venæ incisionem, dū sit expurgatus. Secus enim multo maiore detrimēto quàm cruditas rapitur in venas, hāsque impuritate multa polluit. Hinc vel obstructions vel cachexiæ fiunt vel morbi quibus mederi propofueris ingrauescunt, euaduntque eorū symptomata sæuiora. Quinetiam impuri humores impetu ferociæque concitati excandescūt, vētriculū præcordiæque vellit, hinc nausea, cōuulsio, lipothymia, syncope & alia symptomata, quæ terroris & metus plena sunt. Vna bilis in os vētriculi tum effusa, omnium maximè hæc mala inuehere solet. Has autem partes à putridis humoribus occupari portendunt cibi fastidium, nausea, humoris vomitio, frequens alui deiectio, ventriculi grauitas aut dolor, ventriculi præcordiorūve tumor atque distentio. Quæ quoties præter vllā ciborum cruditatem in ægris apparebūt, è prima corporis regione antequam vena sece-  
tur deturbāndus est vitiosus humor, illorum author & velut seminarium. Vomitione id molendum si sursum vergit, hausta potione vel aquæ vel hydrelēi tepescētis pōdo se-  
libræ. Alui autem deiectione si eò declinat. Cassia in id parum efficax, vt quæ sola vile-  
niente & emolliente prædita, tenaces valde & glutinosos humores nec satis detergit  
nec ex aluo subducit. Accommodatior est hiera picra, si febris nō reclamatur, vel rheum-  
barbarum, vel fenna, vel agaricum, vel pro humoris specie aliud quoddam blandum,  
cuius vis vniuersam corporis molem neutiquam exagitet. His nō modò semel, verum-  
etiam secundo & tertio pro rei necessitate expedit vt: sub hæc tamen mox ad venæ se-  
ctionem accingendum. Quandoquidem humorum vitia, quum in omnes corporis re-  
giones pariter irruerūt, methodus summæque artis præceptio est, eas suo quamque or-  
dine vacuare, mesenterij quidem venas ante maiores, atque has rursus ante corporis  
molem. Non autem cōtrā, ne ex primis venis in maiores aut ex his in corporis habitum  
noxij humoris sit traiectio: quod sanè est non expurgare, sed inquinare & labefactare  
corpus. At ex habitu corporis in venas maiores, aut ex his in primas atque in aluum tra-  
ducere consentaneum est. Quæ autem dixi vitia non solū venæ sectionē remorantur  
ac tardāt, sed omnino præpediūt. Hinc neque in hydrope, neque in cachexia, neque in  
scirrho iecoris aut lienis, vel exigēte alterius morbi importunitate, scalpellum admo-  
uemus. Tertium vitiū cui præparatio ante venæ sectionē adhibetur, erat oris ventriculi  
sensus eximius aut imbecillitas. Eximius est sensus quibus nerui è cerebro missi, molles  
sunt, teneri, nudi aut occurfantibus rebus obuij: atque hi vix citra offensionē, acria, aci-  
da aut salsa, quod genus habentur acetum, piper, sinapi, deuorant. Imbecillitas siue ex  
intemperie siue ex ratione fibrarū structura prouenerit, inde noscitur quod nec cibus  
appetit nec facilè fertur, sed eo accepto dolor est, interdūq; vel nausea vel cibi vo-  
mitio. Qui sic affecti sūt, vt ex leuissima occasione, ex inedia, ex ira, ex tristitia vel timo-  
re, ita sanè ex phlebotomia quæ pariter cū sanguine spiritus dissipat & reliquos humo-  
res commouet, vel conuulsione vel comitiali morbo vel syncope stomachica tentātur  
ad internecionis periculū, vel in alia denique symptomata incurrūt, quæ huius partis  
occasione nasci proditum est. His itaque ante venæ sectionē cōsulendū, oīsque vētriculi  
muniendum iis quæ corroborant, quæ humorum acrimoniā retundunt & quæ humo-  
ris influxū arcēt. Id genus sunt succus mali punici, mali cotonei, medici, citrei, limonū,  
oxyacanthæ & vuz acerbæ, acetum aut qui ex his fiūt syrapi. Aut si qua frigidæ intem-  
perici suspicio inest, ex vsu erūt calida aromatica, maximè syrupus mētæ, diacydoniō,  
vinum austerum aut aromatites. Horum tantulum, vel panis optimi momētum his in-  
tinctum cōferetur: mox verò vt æger paulum quieuerit, vena incidetur. Præparatio ve-  
næ sectioni præmittenda, si morbi clementia finit. Immanis verò importunūque mor-  
bus nulla præparatione nullaq; cūctatione festinare cogit. Sic in habitu athletico à quo  
præiens

*Cassia non  
satis aptum  
detergendo  
expurgan-  
doque ven-  
triculo me-  
dicamentū.*

*Quum totū  
corpus impu-  
rum est, qui  
ordo tenen-  
dus in pur-  
gando.*

præfens aut suffocationis aut ruptionis vasorum periculū impendet: in vehemētissima pleuritide, in febre ardētissima eaq; maligna, in casu & prolapsione aut in obritu graui, imminentis periculi euentus magis reformidandus est quàm noxa ex non præparato corpore.

*Quid ipso sectionis tempore faciendum. Cap. XV.*

**E**CVMBENTI ægro, in maxima tum corporis tum animi tranquillitate vena incidēda, potissimum si vires imbecillæ sunt aut syncopes metus inest. Etenim dum vel stamus vel sedemus, animalis facultas corpus sustinens laborat, ipsaque intestina ac viscera ex præcordiis pendentia vitali naturaliq; facultati vim inferūt. Si pars quæ inciditur prona sit, & in hanc facilis directusque sanguinis cursus, ex ea corporis sede quamplurimum exinanire proponimus. Artus confricentur dum incalescant, & proximè supra eum locum in quem scalpellus adiget arctius vinciantur, vt sanguine prolecto vena tumērior in conspectum se det. Infra etiam illi garimos est, quum tremula inconstansque vena ad scalpelli quemuis impulsū subterfugit, aut è sua sede dissilit. Quibus autē dēsa & squalida cutis est, & quibus angustæ venæ aut in altum demersæ multa carne vel adipe obductæ, iis multo arctius vinculū iniici debet, quàm quibus diuersa est constitutio. Minores pedū manuūque venas, quia vinculis nō satis implentur, in calentem aquam demittimus, quæ & profluēti sanguini impetum facit. Si ne sic quidem vena in apertum promatur, eam quo loco inesse solet digitorum impulsu percunctare, dum sanguinis fluxu & incursione, illius sit explorata sedes: hancque signatā, scalpello industrius artifex feriat. Sedulo etiam atque etiam prospiciat, ne vel flatu tumidū locū, vel arteriā, vel tendonem pro vena petat. Interdū enim iniecto arctiore vinculo aliquid venæ simile intumescit: interdū pressa arteria motu vacat, & pro vena se profert. Scalpellū chirurgus visu perspicaci manūq; valida, summis digitis prehēdet, nec plus mucronis proferet quàm ad penetrādum sit satis: manu altera membrū eiusque pollice venā stabiliet, sensim nullaq; festinatione scalpellū intrò suauiter, quod satis erit impellet. Venæ quæ in articulis, in brachij flexu & in poplite extant, in rectum diffusæ tardius coalescūt, quòd articuli motu vulneris labra dehiscant: neque eiusmodi fissio tentāda, nisi quum iteratione est opus. Extra articulos, vt in capite, in manibus vel in pedibus quæcūque emergūt, in rectū fissæ cicatrice celerius obducūtur, quòd labra semper inter sese coeant. Sub inferiore quæ basilica dicitur, serè comes arteria delitescit, & sub media nervus, vtriusq; musculorum tendones plerumque substernuntur. Cephalica licet difficilis, omnium tamen solet esse tutissima. Chirurgus ne in tendonem, in neruum aut in arteriam impingat. Ex neruo aut tendone puncto dolor fit ingens, stupor, resolutio & brachij conuulsio cū tumore. Arteriæ sanguis ægrè cōpescitur: illiusque magna vi effusa virium sequitur exolutio, sed neque incisa arteria coit, neque sanescit, ac pars tandē gangrana corūpitur. Punctum neruum aut tendonem indicant doloris vehemētia & insequens conuulsio atque tumor. Huius si qua erit suspicio, vulnus ne coalescat, dum ab impendente phlegmone vindicatum sit, & dies duo trēsve abierint. Inhibebitur autem coalitus fotu tepentis olei. Lapsa triduo si dolor cōquiescat, nec noui quicquā obrepit, sinatur coalescere: Sin minus, adhibeantur aperientia, attrahentia, & qualia neruis compunctis conueniunt, vt terebinthina, adiecto interdum euforbij momento. Aperta arteria, sanguis emanat tenuis, rubicundus, igneus & pulsu quodam exiliens. Subsidio autē est emplastrū ex aloë, myrrha, thure & bolo armena, quæ oui cādido & pilis leporis sint excepta. His dein lintea ex liquore rosaceo imbuta insternentur. Emplastrū fasciis obuoluetur firmè ac tutò, ne triduo excidat, hoc blandè summoto simile denuò imponendum. Si ne iis quidem arteria coalescat, tota transuersum discindatur, vt extrema vtrinque reuulsa molli carne obducātur. Rursum autem quod ad sectionis modum facit, si crassus aut viscosus sanguis qualis melancholicus inesse putabitur, aut cœli constitutio frigida sit, ampla fiet venæ apertio: sin tenuis & aquosus aut ipsa cœli constitutio calida, angustior. Vena vt decet aperta vinculū à superiore parte laxabitur, quòd inde sanguis vberti⁹ defluat. Si sanguini cursus erit idone⁹, sinatur, si min⁹ abūdè & segnius fluat, idq; sectionis errore, ea emēdetur: si sāguinis crassitie aliāve ex causa, laborāspugnū arctè vehemēterq; adducat, neruos, musculos & latera tussi ac voce valida cōtēdat: vulnus aquæ cali-

*Neruo pñcto  
que auxili-  
liantur.*

*Incisam ar-  
teriam qua  
obstruant.*

da fomento proritetur. Si vecordem cura metusque terreant, hincque parcius sanguis emanet, intermissio fiat dum vires exponendis recreetur modis. Imò etiam si pro ratione sanguis dimanet, vtile est medio cursu digitum vulneri imponere, tum vt vires reficiantur minusque dissipetur, tum etiam vt deterior spurciorque sanguis ex intimis celerius in sectione confluat. Emanatis autem sanguinis quantitas estimanda est, vt is demum opportunè sistatur. Estimatio ex morbi necessitate & ex viribus est ineunda. In plethora simplici, ad imminentiù morborum præcautionem satis sit redundantiã demere, dum mediocritas sit reliqua. At quum iam morbus inest, isque vniuersalis, vt febris, nõ satis illud fecerit, sed si vires toleret, infra mediocritatẽ imminuendum est. Mediocris enim si putrescat, quasi effervescentes intumescit, & tum corpori infestus tum viribus grauis est: minui igitur 10 debet, at parcius quam in plenitudine. In partium autem phlegmonis non vna quantitas, sed tum coloris tum substantiæ mutatio spectanda. Quum vehemens dolor, aut magna quaedam inflammatio locis inest sectioni propinquis, sanguinis cursus non antè sistatur, quam vel dolor mitescere occipiat, vel eius color commutetur. Mutatio quippe indicat sanguinem ex inflammata sede, in qua is est à reliquo dispar, euelli: quod omnino expectandum est, nisi aut parti vehementer impactus humor est, aut euacuatione vires exoluuntur. Hæc siquidem cogunt intèpestiuè suppressere, ac potius iteratò quod reliquum est detrahare, aliàs quidem eodem die, aliàs postero. Vt enim effluenti sanguini, ita & viribus attendendum ne deficient. Vires defecturas præmonstrant, labans floris impetus, pallès faciei color, oscitationes, pandiculationes, aurium tinnitus, oculorum suffusiones, que omnia 20 coarguunt vitales spiritus imminui & cor infringi destitutum calore. Ad hæc singultus & nausea, quæ fiunt irrumpente humore in os ventriculi. Omnium tamen certissima & minimè fallax est pulsus mutatio, qui si ex crebro supra modum rarus euadat, aut ex magno paruus, ex vehemèti debilis & obscurus, ex æquabili inæqualis, vires collapsuras aut perturbationem epilepsiæ nõ admodum dissimilem præsignat. Hæc igitur si ex vacuationis quantitate incidat, protinus intermittendum, ne imbecillitas progressa vel mortem inferat vel iacturam quæ nullo pacto resarciari possit. At si vel metu & terrore vel stomachi demorsu, hæc signa compareant, intercepto fluore laborans recreetur, vt exinde possit reliqua vacuatio compleri. Recreandi multæ sunt rationes. Os atque faciem frigida conspergere: acetum, vinum, moschum, idque genus aromatica ad nares admouere. Ab his verò præ- 30 stantissimum sit ægrum prosternere: partibus quippe omnibus in vnâ situs æquabilitatem adductis, cessat labor omnis, principisque partes caloris & spiritus plus sibi mutuò impartiunt. Si ne sic quidem releuetur æger, vomitus excitetur, aut faucium titillatu aut iniecto oleo: quãdoquidem is impetus stomachi cordisque tædia depellit, suscitaturque robur. Mox vires instaurentur vino, succo mali punici, iure carniū, medicamento diamoscho aliisque cardiacis.

*Signa & præsigna virium labantium.*

*Renocandam virium modi.*

*Ut à venæ sectione regendus sit æger. Cap. XVI.*



ANGVINE vt morbi magnitudo virisque ferebant emisso, vinculum dissoluatur, vulnus exiccetur, ne concrecente sanguine madens aut nõ coalescat aut abscessus metum inferat. His siquidem nõ accuratè animaduertis, die octauo aliquãdo resignatum est vulnus. Adeps si exiliat ne præcidatur, sed intrò molliter referendus est. Detersum vulnus linteo obfignetur vel rosacea vel dulci aqua imbuto: aut etiam oleo, si sanguinem iterum fundere consilium est. Fasciis linteum deuinciatur, quæ nec arctiores sint, nec cutem vlcere siue labra distorqueant. Si iecto tendone aut neruo, fluxionis aut phlegmones metus est, emplastrum è cerussa imponendum est: in ambitu verò cataplasma ex semperuiuo, solano, arnoglossa, aliisque frigidis. Sectus æger supinus decumbat, vt omnibus partibus in spinam dorsi tanquam in corporis basim reclinantibus, summa sit quies, & in quiete partes exhaustæ repleantur, resarcianturque spiritus. Neque igitur ad consueta munia properet, neque celerius 50 inambulet, neque vilo exercitationis genere se fatiget: neque vtatur venere, neque in balneum descendat: quãdoquidem sanguis & spiritus vehementius incitati, ne dissipentur aut incalescant, sedandi comprimendique sunt. Nec verò venæ sectioni continuo indormiendum est, ne aut languidior calor extinguatur aut obruantur imminuti spiritus. Itaque vigilans conquiescat, absitque omnis tum animi tum corporis contentio, quod & in lipothymia præcipimus. Hora vna aut altera à sanguine misso, alimentum licet offerre, exiguum quidem

quidem quodque boni sit succi, quod promptè alat, & quod sit profligando morbo accommodatum. Duabus abhinc horis aut etiã minus, nihil vetat obdormiscere, modò assidentes prospiciãt, ne vel laborans in brachium cãsum se deuoluat, vel vinculũ dissoluat, quo sanguis dimanet, vel aliud sibi incommodum ferat. Reliquus cibus sensim tum copia tum materia deinceps increfcet, neque temerè aut auidè ad pleniorè properandum est, vt quem natiuus calor imminutus non plenè sit confecturus & què crudum multũque exuctæ venæ rapiant, quo demum omnè corporis molem referciant. Esto etiã, integra sit omnis alimenti concoctio, quid tamen iuuat illico se succis largiũs implere, quos animus est vena secta demere? A misso sanguine exquisitior victus ratio tenenda, neque protinus æger ad pristinam diætã perinde vt canis ad vomitum redeat. Intemperantes idonei venæ sectioni non sunt. De iteranda venæ sectione sic statuendum est. Quum ex feruentis sanguinis copia, vel maxima inflãmatio, vel dolor vehementissimus, vel ardentissima febris irrũpit: ipso protinus initio antequã effrænatus sanguis in principem aliquam partem incumbat, non modò quantum illius exuperat, verum etiam multo plus emittẽdum est, idque vniuersè & affatim, etiam ad vsque animi defectiõnẽ, si validæ vires tolerando sunt. Ferè autè valent in plethoricis affectibus, in quibus rarò vacuationis copia deficiunt. Validas quidem & integras vires, non autè imbecillas permittit Hippocrates vsque ad animi defectiõnem deducere. Nã constantibus & integris viribus defectio interueniens, arteriarum duntaxat spiritus exoluit, illas verò persistũt eæ vires, quas cordi, iecori ac cerebro natura cõgenuit. Licet autem in lipothymia illæ dispereant, ex his tamẽ insitis aliæ perfimiles denuò suscitari poterunt, ex quibus impendio recreabitur æger. At imbecillis (quoniã illæ principibus partibus insitæ vires lãguẽt) si lipothymia obrepserit, vix instauratio fiet. Quocirca viribus imbecillis cauenda diligenter est defectio. Ita quidẽ de maximis vrgẽtibũsque morbis faciendũ. At in leuioribus iĩsq; vniuersalibus, vt in plethora, in febribus & aliis morbis, quorum materia coërcita est in vasis, nõ quidem ad lipothymiã, sed tamẽ quantum expedit quantumque affectus expostulat, vniuersè & semel statim initio vacuandũ est, si modò vires annuãt. Ea vacuatio citra vllam virium iacturam, exuperãtem materiam subtrahit antequam vel tota putrescat, vel in nobile partem irrũpat, vel horrenda symptomata suscitaret. Qui metu deterritus in his vacuationẽ partiri proponet, & minus sanè proficiet, & morbum producet in longius. At si per virium imbecillitatem nequit vniuersa vacuatio compleri, quum præstantior virium quàm morbi sit obseruatio, partitione vt cogimur, idque summo iudicio summãque prudentia. Partitio autem sit ex modicis interuallis, atq; vel dissoluto vinculo vel digito indito vulnere, intermittatur tantisper dum modis antè expositis restituantur vires. Interdum hora vna, interdum etiam plures ad virium instaurationem necessariæ sunt. Optimũ autem si nõ vltra diem prorogare, ac bis sanguinem (si vires sinunt) eodem die mittere, idque in morbis vniuersalibus: & (nisi quid aliud vetat) antequam putredo aut alia inualecant mala, quãrum expedit educere. Cãterũ in affectibus partium omnibus præsertimque in phlegmonis, partitas euacuationes oportet lãgiore interuallo seiungi, atque repetitam vel in diem posterũ vel in perendinum differri: vt hoc temporis spatio, corrupti humores ex affecta sede remigrẽt in venas exhaustas, quos exinde altera sectio prõptiũs eripiet. Pars enim laborãs sensim vno alterõve die humores suos eò deposuit, qui corrupti quũ sint, illic relinqui non debent, etiam si dolores conqueuerint. At verò venenatã, malignãque inflammationem, vt pestilentem bubonem vel carbunculum, necesse est eo ipso die festinanter iterata vacuatione demoliri, ne pestilens cõtagio diutius hæreat in venis. Neque tamen confidentius atque audacius crebrior venæ sectio adeunda: non parum enim spiritus calorisque demit, ac in senectutem immaturã & hæc morbis grauioribus obnoxiam præcipitat: cuiusmodi sunt cachexia, hydrops, arthritidis, tremor, paralytis, apoplexia. Impensius enim refrigeratõ natiuo calore, humidõque primigenio imminuto viscera languescũt, cruditas dominatur, quæ tot malorũ causa fit atq; origo.

*Emissi sanguinis obseruatio. Cap. XVII.*

**F**ELVENS sanguis excipiendus mundis tersisque peluiculis, terrenis, vitreis, stanneis aut argenteis, non item æneis, ne ab his vel propriæ substantiæ vel coloris vel alterius qualitatis conuersionem subeat, quæ nostrum de corporis

*De iteranda  
phlebotomia, quam  
epaphrasius  
nominant.*

*Sanguinis  
conditio ex  
substantia  
& colore.*

affectione iudicium peruertat. Sint & peluiculę multę in quibus sanguinis varietas dif-  
pici ac distingui possit. Seponantur loco mundo, quod nec puluis, nec fumus, nec vĕtus,  
nec solis radij pertingant. Omnium prima in his obseruabitur sanguinis substantia. Vif-  
cosus est qui lentę fluxit & tãquam glutinum digitis obhæret, quorum neutrum efficit  
probus atque mediocris. Crassus est & densus, multasque fibras habet, qui ocys con-  
crescit atque conglaciat, hic obstructionum aliorumque inde morborum fit author. Qui  
tardius concrefcit ac durefcit, tenuis est: qui verò iam refrigerfcens minimę durefcit, is  
omnino vel aquosus, vel putridus est, cuius fibrę omnes direptę atq; corruptę vanue-  
runt. Id ipsum planius distinguit fissio. Crassus ac compactus difficilę finditur, tenuis fa-  
cilę: putridus verò non finditur, verum simulatque attingitur totus in partes exiguas 10  
discerpitur. Serum multum tanquam aqua citrina concreto sanguini innatans, vel po-  
tum liberaliorem, vel iecur infirmum quale hydropici, vel imbecillos renes, vel eosdem  
obstructos ostendit: quibus ex causis serum redundans in venas sanguini permiscetur.  
Hunc tamen non eo prorsus destitui par est, velut in his qui frugalius bibunt, aut immo-  
deratius sese exercēt: crassescēs enim sanguis difficilę in tenues venas distribuitur, eas-  
que promptę intercludit. Spuma innatans nisi fluoris impetu nata sit, incēdium atque  
feruorem eius humoris ostendit, cuius colorem prę se fert: rubra quidem sanguinis:  
citrina, bilis: alba, pituita: liuida, melancholicę. Durescentis sanguinis color per summa  
rubicundus, boni vtilisque sanguinis est index: ruber quidem ac lucidus ardētis, qualis  
est arteriarum: ruber verò & obscurus, mediocris, qualis est venarum. Color citrinus, bilę: 20  
albus, pituitam: viridis, bilem retorridam: liuidus aut plumbeus atrę bilem cū pernicie,  
vt disparium colorum permistio varios humores exuperare commonstrat: qui an etiã  
putridi sint necne, sanguinis substantia palam facit. Sanguinis parte summa innatat  
nonnunquam pingue quiddam & adiposum, instar telę aranei cohærens. Hoc, si ad-  
modum pingue & obesum corpus est, ex ipso sanguine causam habet, qui est in adipę  
pronus. Sin corpus strigosius fiat minusque opimum, id ipsum colliquari & marcescere  
portendit. In parte concreti sanguinis subsidet quod terrenum magis est atque fæ-  
culentum. Id quum finditur, sæpius apparet vel rubrum obscurum, vel nigrum vel liui-  
dum vel viride: vnde humoris qui sanguinem perfundit, naturam videre est: atque ex  
coloris copia assequi quantum vnusquisque humor in venis abundet. Si diffusio sanguine 30  
grana quędam arenularum æmula offendantur, aiunt vel elephantiasim vel propen-  
sionem ad hanc notari: quanquã obseruantibus rarò tale quiddã deprehensum est. Ra-  
rum est sanguinę a venis graueolere: quod si contigerit, putredinis corruptionisq; deplo-  
ratę est indicium. Detractum sanguinę nemo degustarit: at si cui in os fortę incidet, dul-  
cisque apparebit, secundum naturam est: qui amarus, biliosus: acidus aut stipticus, me-  
lancholicus: inspidus, pituitosus: falsus, pituita salsa perfusus. Sanguinis substantia atque  
colore animaduersis, conferendę inuicem erunt peluiculę: quę si omnes optimum san-  
guinem æquabiliter exhibeant, credibile est reliquum in venis simile haberi, illum tamen  
detrahendum fuisse, quod multitudine peccaret, quę vna corpus grauat, sensus offun-  
dit, & in putredinem aut in grauiorū malorum pericula conuicit. Si vitiosus & impurus 40  
sanguis cōspicitur, multo etiã vtilius e ductus est, vt qui & copia & qualitate molestus,  
corpori negotium faceretur: sed & posthac diligētius vacuari corpus debet, aut phar-  
maco, aut venę sectione. Non tamē quo impurius sanguis aut crudior alieniorve a sua  
natura longius descuerit, eo plus detrahes, vulgariū & malorum medicorum more:  
sed quanto humores citra vltimę sanguinis naturam longius recesserint, tãto parcius  
& cunctantius hauriendum de sanguine, quumque lōgissimę ab eius forma abesse de-  
prehendetur, in totum erit a phlebotomia abstinentum. Si qui prius manauit syncerus,  
qui autem posterius, prauus existit, multi huiusmodi residēt humores in corpore, pro-  
ba vltis ratione, idoneisque vacationibus exterminandi. At si hoc ex phlegmone ac-  
cidit, bono esse solet, nempe indicium cōpletę & integrę vacationis, quę morbi ma- 50  
teriam ex affecta sede extirpauit. Si postrema peluis purior est primis, consummata est  
vacuatio, quę sanguinem vitiosum omnę detraxit, dum vtilis ac bonus dimanaret. San-  
guis in tepescētem aquam effusus, diuulsis secretisque substantiis multa profert. Serum  
cum aqua omnino confunditur, vt internoſci nequeat: illi etiam permiscetur tenuior  
sanguinis portio, ex cuius colore liceat de humoris natura & specie quodammodo iudi-  
cium facere. Crassior sanguinis portio & fibrosa subsidet in imo: quę pura & secundum  
naturam

naturā esse iudicabitur, si lucida, tenuis, subalbida, & cohærens fuerit. At crassior crassū etiam sanguinem inesse: obscura & nigra aliōve infecta colore, sanguinem vitiosorum humorū fecibus inquinari cōmonstrat, quos ipsa coloris differentia discernit. Si parum illa cohæret, distractaque facile dilaceratur, summæ putredinis est argumentum.

*De arteriarum sectione. Cap. XVIII.*

**M**AIOREM arteriam in cubito venæ substratā, aut eam quæ in poplite sita est, neque ex industria, neque imprudenter incidere sit tutum. Eius enim sanguis ægrè restingui potest, nepe tenuis & calidus impetūque prorumpens: & sanè nonnulli volentibus medicis vinculo quasi hæmorrhagiā sistere, nata partis gangræna mortui sunt. Neque si reprimatur, facile queat vulnus ad cicatricem perducī, citra aneurysina ob assiduū pulsum obque tunicas crassas & præduras. In ipsa verò aneurysmatis chirurgia non pauci periere. Præstat igitur quū necessitas postulat maiorem arteriam totam obliquè in transuersum secare: nam sanguis deinde sistitur, vtrinque ipsius extremis retractis, & vulneri imposito emplastro ex aloè supra descripto. Minores verò arterias quæ in summis artubus, in capite, in manibus & in pedibus extant, licet citra hæc pericula incidere: vt quæ agglutinari possint: præsertim in molli humidōque corpore, quali mulieres ac pueri præditi sunt. Confert autem harum sectio quum vehemens diurnusque dolor circū membranas vim infert, qui pungenti similis est ob membranæ sensum, & qui pulsans est ex arteriarum motu. Sanguis enim multus, tenuis & calidus in affectæ partis arteriis coercitus, fit doloris causa. Itaque si partibus extremis inuestigentur ac secentur arteriæ, quæ à sedibus illis affectis procedunt, dolor omnino vanescit. Pauci hoc tēpore arterias incidunt, quod nō admodum conspicuæ sint, nec facile sit illas consequi. In temporibus tamen sectæ calidas acrésque oculorum fluxiones inhibent, quarum gratia totæ discinduntur, aut inuruntur candente ferro, vel caustico medicamento. Ponè aures secantur in vertigine, in diurnis capitis doloribus calidis atque spirituosus, in faciei rubore & quibusdam aliis capitis affectibus inueteratis. Quæ inter pollicem & indicem excurrit, aperitur in diurnis laterum doloribus inter viscera & diaphragma positis. Iuxta malleolum secta vetustos lenit coxædicos dolores qui iādiu inualuere. Semper autem eius delectus habeatur, quæ è directo affectæ sedis est, ad quam ne accedendum quidem fuerit, corporis totius prouisione neglecta.

*De particulari sanguinis vacuatione. Cap. XIX.*

**V**VUM sanguis aliqua in parte ita inhæsit vt nec secta vena nec medicatione reuelli possit, ab ea potissimū parte quæ offenditur educendus est remediis quæ ei ipsi parti liberandæ insideant. Eiusmodi sunt hirudo, scarificatio & cucurbita, quæ à parte iam læsa sanguinē manifestè exhauriunt. Hirudo morso trifidum vulnus infligit, quod non cutem modò, verum altius quoque, si ea tenella vt pueris & infantibus est, penetrat. Exhausta porrò exinanitāque & accuratè preparata auidius tutiusque sugit, ferèque cōtinenter dum copia turgescat saturaque procidat. Plerunque etiam sublata ea sanguis confertim profluit, si præsertim in prominētem venam erat infixā: ac tum pro scalpello & phlebotomia est. Ita quidem ex hæmorrhoidē tam copiosum interdum sanguinem euocat, vt emplastis adstringentibusque medicamentis sit opus, & puerorum cubito infixā phlebotomiam exæquet. Quæcunque sic è vena caua haurit, pro vniuersali vacuatione habenda est. Quæ verò duriusculæ cuti, aut ei parti cui nulla sit amplior vena subiecta adhærescit, quā solum partem attigerit, euacuat: aut certè minimū è vicinis, nihil verò prorsus ex alto aut ex distantiore loco prolicit. Quocirca iis duntaxat partium vitiis exugendis adhibetur, quæ in summa sunt cute, vt scabiei, vitiligini, imperigini, pano, nasi faciei que rubori & elephantiorum tuberculis.

Scarificatio fit epidermide minutim scalpello discissa: quæ tamē & nōnunquā altius subiens veram cutem ferit. Vacuat è sola parte diuulsa, nisi fortè venam conuulneret: exitū enim facit humori subiecto, nec tamen vi quicquā ex alto aut è longinquo trahit. Quo altius scalpellus adigitur, eo plenior sanguinis est effusio. Expurgandæ cutis remedium est scarificatio, ac eorū quoque affectuum quibus dixi hirudinem opitulari: quin-

etiam eorum qui in cutem irruerunt eique iam contumaciter obherent, vt scirrhii, inueteratae phlegmones, & cuiusuis corruptae materiae. Ad haec gāgrāna, sphaeli & aliorū in quibus natiuus calor strangulatus ventilari desiderat. Largius autē ac vberius scarificatio sanguinem profundet, si protinus adhibeatur cucurbitula. Haec enim vi flāme atque caloris non modò quicquid tenuis fluxique humoris ac spiritus partem circumfundit, sed & quod in locis distantioribus penitioribusq; inest validissimè trahit. Atq; si cutis antè ferro exasperata est, id manifestè in se prolicet: sin verò leuis ea & integra manet, è distantioribus penitioribusq; euocat in cutē, ac in eam sedē transfert cuiusq; fuerit impacta. Itaq; inherens cucurbitula cute iā incisa, corporis summas partes expurgat, multo quidem potentius, quā aut scarificatio simplex, aut hirudo, iisdēque succurrit affectibus. Leuis autē & quae sine scarificatione imponitur, non manifestè sanguinē, sed vnum spiritū extrahit. Cæterum humores ad sese rapit, irruentem fluxionē reuellit, sanguinis profusionem vndecunque factam directo contrariōque loco imposita sistit, quum praesertim ex vena sanguinē mitti reuelliq; imbecillae vires minimè sinunt. Erabundū vterum, fluctuantēque humorem cohibet: eum verò qui parti iam haeret impactūque est deriuat: & eum qui in alto corpore demersus est euocat in summum: vt idcirco stuporis, paralysis, inueterati doloris accommodatum sit remedium. Flatus verò ac spiritus quauis sede coërcitos expeditè dissoluit atque dissipat. Proinde palpitationem, singultum, colicum, nephriticūque cruciatum ocyssimè compescit. Expedi-  
tissimum hoc praesidij genus ac minimè periculosum. Neque enim corpus vlla qualitate labefactat, neque vires infringit.

Haecenus remedia exposui quae sanguinē tum vniuersim tū particulatim detrahunt, ad ea deinceps accingar, quae non hanc illāve, sed nullo discrimine omnem corporis materiam vel absumunt vel dissipant.

*Uniuersalis quae per habitum fit corporis euacuatio. Cap. XX.*

*Inedia eius effecta.*

**F**ORVM quae per summa corpus exhauriunt vacuantq; alia sudores conspicuēcient, alia halitū tenuēque substantiā perspiratu digerūt. Hoc genere continentur inedia, vnctio & frictio: illo exercitatio, balneum, laconicum. Phlebotomiae vires proximè imitatur inedia, sensim ac pedetētim sanguinem absumens quem semel ac repente phlebotomia vacuat: praeterea verò crudos humores aliosque complures dissipat, omnisque generis excrementa propellit. Etenim natura libera nec impedita, salutaria quaeque nobis continenter procurat. Quum igitur cōsuetus corpori cibus aut subducitur aut ex toto circumciditur, huiusque penuria inest, insitus nobis calor omnium naturalium functionum author, per omnia diffusus ac insertus, noui cibi copia minimè implicatus, vbique vim suam exrens, inualefcit. Ac primū quidē vtilem succum & sanguinem in corporis partiumq; substantiam mutat absumitque nutritione: tennes verò humores ac superuacuos in halitum digerit & sine sensu dissipat: crudos cōcoquit, mutatq; in sanguinem alēdo corpori idoneum. Ex superuacuis autem crassos attenuat, lentosque detergit: ac proinde strenuē expedit obstructions, adhuc quicquid cōcoquere nō potest, id saltem praeparat, viasq; omnes corporis quibus excludatur patientiores expeditioresque facit. Tum etiam expultrix facultas quaecunq; praeparata fuerint, in expurgationis vias adducit expellitque foras. Hinc plerunque alius sponte soluitur, vomitiones erumpūt, vrina profunditur vberior, cerebri excrementa defluunt, & quae à purgationis via longius absunt perspiratione dissipantur. His corpus vniuersum sublato quasi onere leuatur, respiratio libera fit ac facilis, mēs sensusque omnes expeditiores alacriorēque euadunt. Haec dū confert inedia, impuro quidem corpori plerunque ventriculum vitiosis implet humoribus: vnde stomachi erosiones, vigiliae, corporis perturbationes & vertigines, quod scilicet insitus calor perinde ac medicamentum noxios humores exagitet in alimenti penuria. At verò perturbatos ea demum subigit, domat atq; depellit, vnde magna sequitur tranquillitas & morborum multorumque symptomatum sedatio, superstite quidem etiamnum & integro naturali calore. Haec sanè moderata efficit inedia, vt quae acres humores exacuit, incendit, calfacitque corpus. Immoderata verò quoniam pabulo atque etiam superuacuo humore absumpto, ipsam quoque partium substantiam dissipat, quae caloris est sedes, corpus tādē refrigerat, viresque comminuit & obterit. Salubris est tem-

est tempeſtiua abſtinētia, & apprimè vtilis quæ per inediaſit euacuatio. Etenim blâ-  
 dè nullâque violenta aut corporis aut humorū impulſione, nullâque aliēna qualitate  
 in corpus inducta ſenſim ac lētè progreditur. Acutis porrò vrgentibusque morbis ſo-  
 la inedia vix tutò ſuccurri poteſt, ſed aut venæ ſectiōe aut pharmaco expeditè vacuân-  
 dus eſt corruptus ac putridus humor, qui de ſua bonitate plurimùm deceſſit, & quē in-  
 ſitus calor neq; amplius in benignum reducere, neque de repēte exturbare poteſt. At  
 leues morbos ex cruditate futuros arcet cibi parſimonia: eoſdem recēns genitos facilè  
 perſanat inedia: inueteratos quoq; eos plurimùm coctiōe lenit, tādēque proſtigat.  
 Ea ipſa ex plenitudine futuros conuenienter inhihet, quòd ſenſim ac tēpore onerantē  
 10 copiam eximat. Qui verò iam præſentes ex copia ſæuiunt, eos non inedia, ſed venæ ſe-  
 ctio expeditè tollit. Sed & in crudioribus morbis materiæ ſitus æſtimandus. Nam quum  
 venis aut ſummis partibus vt capiti, vel plenitudo, vel cruditas, vel pituita grauis mole  
 ſtâque eſt, cibus parcus ſiccusq; confert, ea moderatione vt præcordia primâq; partes  
 ne collabâtur alat, non autē ad corporis ſumma ipſe pertingat. Quum verò aut in ven-  
 triculo aut in prima corporis regione vitiū inherēſcit, multo parcior ſicciorq; victus im-  
 perandus. Inedia appellatur modò abſtinentia modò parſimonia non cibi dūtaxat, ſed  
 & potus, qui magis prōpriusque quàm cibus tum viſcera tum venas implet, iſq; nego-  
 tium faceſſit. Quos igitur morbos inedia non ſuſtulit, medicatione curato.

Exercitatio aliquātum quoque, ſed quàm inedia minus abſumit ac digerit, idq; ma- *Exercitatio*  
 40 gna tum corporis tum humorum perturbatione. Hæc nullum extrinſecus corpori ca-  
 lorem confert, ſed ingenitum nobis & innatū ſuſcitat, qui dein quoquouerſum effuſus  
 corpus humorēſq; calfacit. Vnde alimenti cōcoctio, diſtributio, nutritiōq; ſœlicior. Ea-  
 dem ſanguinē & humores extenuat, mollit, colliquat & diſfundit, atq; ad eò perturbat,  
 vt ſua illi vaſa impleant atque diſtendant, vixque turgentes cōtineri poſſint, ſed vi im-  
 pulſi aut foras exiliāt, aut impetu in partem aliquāpiā irruant. Ipſa etiā cutis ſpiracula  
 laxat & reſoluit, quūque validior ſuſcitat⁹ eſt calor, ſpiritus quoquouerſum in corpus  
 impelluntur, qui ductus omnes referant viâſque expurgant, & oborto ſudore copioſo  
 ſuperuacua propulſant. Non ægrotātium, ſed bene valētium eſt quæ exercitatioſit  
 ſudorū eruptio. Etenim quia vires exoluit corpūſque defatigat, laborātī grauis impo-  
 30 tunaque eſt. Bene valenti ad præcautionem accōmodata, concocto certè ac iam diſtri-  
 buto cibo aluōque ſubducta. Impuriori corpori vitāda exercitatio. Quū enim vitioſos  
 humores cōfundat ac perturber, quos tamen nec euincit nec prorsus depellit, plerun-  
 que morbis grauioribus rudimenta ponit.

Balneum dulcis aque longè quàm exercitatio potentiùs ſpiracula laxat remittitque, *Balneum*  
 humores calfacit, extenuat, fluxosque colliquat. Ex his fuliginosos non modò diſſipatè  
 ſummis, verum etiam ex intimis corporis regionibus tenues & fluxos foras euocat pro-  
 licitque ſudores. Craſſiores verò quos nō diſcuſſerit, colliquat & tāta vi cōcitāt, vt in  
 alias plerūque partes iactati cōfluant. Quocirca balneū iis aduerſiſſimū eſt qui morbo  
 graui tenentur, atque iis qui citra morbū impuro plethoricōve ſunt corpore, & quibus  
 40 nobilioris cuiuſdam viſceris imbecillitas ineſt, aut præcordiorū durus renitēſque tu-  
 mor. Quippe liquatus humor præter naturā in partē languidam decumbens in phleg-  
 mones diſcrimen adducit. Vtile verò & accōmodatum iis deprehenditur, qui ſqualidi  
 extenuatīque ſunt, & quibus iam magna partium ſolidarū ineſt ariditas: atque iis etiam  
 qui ex febris ardore quaſi retorridi euaserunt: melācholicis quoque & craſſo terrenō-  
 que humore oppreſſis. Sed & in iis cautio adhibēda, ne vlla ſubſit in venis primis copia  
 crudi humoris, quæ in omne corpus rapi poſſit: néve inter adminiſtrandū horror vllus  
 incidat, qui febrem prænunciare ſolet. Tāto autem maniſteſtius atque validius hæc ef-  
 ficat balneū, quanto vel natura vel arte calidius obtigerit, ſiue ſulphureū, ſiue nitroſum,  
 ſiue medicamētorum calidorum permiſtione comparatum ſit. Solium verò aque cali-  
 50 dæ in quod reſupinus æger à genibus ad vmbilicū demergitur, non mouendis ſudori-  
 bus deſtinatum eſt, ſed aut molliendo referandōque vtero, aut leniendo dolori, qui  
 ventris imas partes exercuat.

Lacnicū in quo ſiccō calore ſudor elicitur, humores è corpore aliquāto valentius *Lacnicū ſeu*  
 quàm balneū reſoluit. Morbis accōmodatur frigidis atque diuturnis, quorum materia *hypocauſum.*  
 aut in artubus aut in ſummo hæret corpore. At quoniā in eo vapor feruidus, non ſolum  
 corpori extrinſecus occurſat, verum etiā reſpiratione intro ſeſe inſinuans, ac in omnia

diffusus corpus haud mediocriter incendit & exiecat, nec calidis, nec acutis affectibus, nec impenle bilioso, nec extenuato corpori decernendum. Quum verò humores conturbet corpusque vehementer laceffat, iisdem atque balneum obseruationibus vsurpetur. His vacuadi generibus humoris atque spiritus non exiguum ex vniuerso corpore dissoluitur in sudores, qui tamen per febres acutosque morbos, si res exoptulet, leuioribus mouebuntur auxiliis.

*vnctio & frictio.*

Iam verò vnctio atque frictio summa duntaxat corporis exinaniunt, neque humores intus ac penitus abstrusos, neque corpus ipsum insigniter conturbant. Mollis quidem longaque frictio corporis summa excalfacit, cutis spiracula laxat dilataturque, quibus ex causis humores in extrema corporis effusi incalescunt, extenuantur & liquefiunt, qui demum sponte sua dissipantur & euaporant. Vnctio calida eadem, sed aliquanto validius confert. Altius siquidem penetrans non modò cutem emollit, verumetiam corporis interiora & humores cõtatione calfacit, extenuat, disperditque. Leuior tamen est vnctio & tolerabilior frictione longa. Illa quidem in acutis morbis, longa verò neque in acutis neque in crescentibus est ex vsu.

His mihi concludenda videtur de venæ sectione deque omni vacuatione vniuersali suscepta tractatio, quam idcirco paulo pleniorē institui, vt omnia complecterer, quæ in hanc rem pertinent, & quæcunque veterum scriptis ambigua sunt aut controuersa, perspicuam lucem acciperent. Quæ si cui vix licet omnia ad vnguem ipso medendi vsu complere, conandum tamen est, vt ad illa tanquam ad certam legem & regulam opus omne dirigat.

## LIBRI SECVNDI THERAPEVTICES,

DE VENAE SECTIONE, FINIS.

# Methodi medendi liber iij.

## DE PURGANDI RATIONE.

### Quid purgatio, quòtque eius differentia. Cap. I.

*ἡ καθαρισ-*



**P**URGATIO, est eorum quæ sola qualitate molesta sunt euacuatio. Qualitatis genere non eas solùm complector quæ primæ appellantur, sed & secundas & cuiusuis substantiæ corruptionem. Nam corporis excremēta & humores superuacui quum immoderatus exuperant, non multitudine, sed qualitate peccant: quemadmodum & qui aut nimium crassi sunt aut glutinosi aut acres. Præterea tum hi, tum etiam qui propriè succi nuncupantur, si vel intemperiem, vel alienam qualitatem, vel corruptionē sortiti sunt, qualitate peccant, & cacochymia nomine continentur. Quum igitur hæc vitia à naturali constitutione eousque iam recesserunt, vt neque victu neque alteratione sola emendari, neque naturæ calorisque beneficio in pristinam bonitatem reduci possint, auferēda certè sunt, omnisque eorum materia tanquam inutilis prorsus extirpanda. Id autem purgatione fit, quæ vna cacochymiam subtrahit. Venæ sectio eum fortasse vitiosum humorem qui cõsistit in venis, at non syncerum euacuat, sed sanguine & vtili humore permistum. Purgatio verò id solùm quod vitiosum est & qualitate peccat, vtili relicto, nisi fortè immoderatus efferatur. Purgatio alia spõte, alia arte & medicamēti ope fit, quæ propriè appellatur medicatio. Hæc rursus duplex, vniuersalis & particularis. Vniuersalis non quæ omnes humores, sed quæ ex vniuerso corpore aut certè maxima ex parte superuacua deducit. Particularis quæ partem quampiam propriis vitiis expurgat, vt è cerebro per palatum & nares mucideriuatio: è pectore & pulmone excreatio: arenularum aut puris è renibus emictio: vteri per ceruicem expurgatio: & quæcunque rupta cute è quauis particula fit eruptio. Est porrò vniuersalis triplex, alui perfusio, vomitio, & quæ alui nuncupatur deiectio: de quibus sigillatim accuratiùs differendum.

*ἡ φαρμακία.*

## De clystere. Cap. II.

**I**NTESTINORVM præsertimque crassiorum vitii aptè clyster succurrit. Eò quippe integris viribus pertingit, quòd epoti medicamēti vis nō nisi hebetior & lōgo viæ prolapsu fracta, ignauior accedit. Quot igitur in intestinis vitia, tor & clysterū genera: alij dolores leniunt, alij humores acres consopiant, alij vlcera detergūt aut siccant, alij fluxiones cohibēt, alij euocāt. Horum rursus alij flatus discutiunt, alij fæces emolliunt, alij humores eliciunt è vicinis partibus, qui purgantium genere propriè cōtineri solent. Nam præter flatus ac fæces cibique reliquias, nō pauca etiam in intestinis cumulat superuacanea pituita, quæ nō nunquam proruit è cerebro, assiduò autem ex ventriculi & intestinorū nutritione vt peculiare excrementum succrescit: maximè verò quibus ex multa ingluvie aut ex glutinosis cibus magnus est cruditatū proventus. Ea quidem initio aquosa aut etiam mucofa existit, quæ diutius in lōgo viæ anfractu, præcipuè verò in cæco intestino, aut in coli cellulis inhærescens, caloris vi tempore crassescit dum & vitrea & gypsea euadat. Talis interdum modò scorsum, modò fæcibus circūducta sponte redditur: plerunque tenacius intestinis adherescit, vt neq; illabenti excremento, neq; medicamento cedat. Cumulata hæc copiosior, atque tum intestina, tum mesenterium inferciens, caput, sensus corpūsque vniuersum degrauat, obstructionum multorūmq; morborum procreatrix.

20 Similis est & humorum quorumlibet ratio, qui aut sponte, aut purgationis vi è visceribus decussi & in intestina deuoluti, illic subsistunt & herent. Hos ergo attingens clyster incīdit, extenuat, detergit, secūmq; deducit: ac multa sæpe crassa detrahere cernitur, quæ nulla purgationis vis excludit. Sed & inferiora expurgās: superiora consequutione exonerat: etenim viscera pressaque præcordia liberat meliūsque spirantia facit. A clystere omnis est purgationis initium: hic deiectionis viam parat & expedit, vomitionis impedimenta subtrahit. Quūque in intestina defixi humores aliive eorum affectus sanandi sunt, flatus fæcesque clystere in primis excludendæ, vt dein sit in ipsos affectus vis efficacior. In latus dextrum decumbēti facilius celeriūsque subit, fursūmq; excurrens intestina proluit: sinistro decubitu in recto aut in colo intestino, quod aliorum mole premitur, plerunque subsistit. Tepens iniiciendus, idque sensim, ne impetu flatus sursum magnis torminibus compellat. Ad alui subductionem, quòd sæpe conturbet subuertatque cibum, ventriculo vacuo indendus est: ad medicationem verò eo etiam cibus conferto admittitur, diūque continendus est vt tempore vires suas potentiūs exerat. Hoc diutius subsistente potest laborans cibum sumere, aut huic etiā si volet indormire: nā postea licet non syncerus, ingēti tamen scœnore redditur. Rarēter admodum aut in ventriculū subit, aut in mesenterij venas rapitur, licet odore vel sapore os narēve feriat aut etiā vrinas inficiat. Qui naturæ conueniens pro alimento subditur, absorbetur interdum si lōga fuit inedia aut parsimonia cibi. Sæpe etiā quum vehementes cruciatus quales colici ac nephritici torquent, subsistit ac manet fursūmq; repit. Dolor enim omnia quasi absorbens vacationem cohibet. Ferè tamen remorantem clysterem acrior alter aut glans reuocat.

Glans clystere lōgè ignauior est, nihil quippe eorum eluit aut sanat, quæ intestina afficiunt, sed aluum duntaxat idcirco mouet, quòd acrimonia podicem ad desidendum stimulet. Crebrior hæmorrhoidas irritat & aperit, acriorque vlcus interdum excitat. Ad podicis vitia solent omnis generis cōponi, adstringentes, detergentes, lenientes, prout affectus conditio poscit.

## De vomitione. Cap. III.

**V**OMITIO, est impetu ventriculi sursum facta reiectio. Quum immoderato potu vētriculus fluctuat, redundans humor plerunque sine sensu per gulam in os refluit, crebrāq; expuitione redditur. Lumbrici quoq; interdum ex intestinis per ventriculū & gulam in os surrepunt: atq; in nausea & cordis dolore tenuis aqua è vētriculo cōfertim in os cōfluit. Hi motus omnes tametsi sursum præter naturam fiunt, nōdum tamen possunt vomitionis appellatione contineri, sed qui duntaxat manifesto ventriculi conatu obrigerint. Vt enim vterus in partu collectis vndiq; viribus sese arctissimè summis partibus adstringit quòd scœtum ex-

οι δυσ-  
μες καὶ  
εὐμες.

Vomitionis  
facilis com-  
moda.

Ad vomen-  
dum prepa-  
ratio.

cludat: ita & ventriculus rei noxiæ iniuria laceffitus compresso fundo totus sursum im-  
petu fertur, vomitione quicquid infensum est excutiens. Motus hic omnium est natu-  
ralium manifestissimus, quo & ventriculus de propria sede exiliens, affidentes partes  
quibus annectitur magna vi diuellit. Hinc vomitio difficilis violentaque est, aliis tamen  
magis, aliis minus. Quibus pressum angustumque pectus, & quibus cervix gracilis & ob-  
longa, ij raro ac certè violenter vomunt: facile verò & occasione leui qui cōtrario sunt  
habitu. Violenter rursus & periculose asthmatici, tabidi, & ij quos præcordiorū inflam-  
matio aut dolor exercet: metus enim est aut suffocationis, aut cruentæ expuitionis, aut  
ruptionis, quæadmodum & in motu omni vehementiore. Crebrior difficilisque vomitio  
vētriculum, præcordia & quæ sub his sunt viscera, crebra validaque cōcussione debilitat,  
eoque humores rapit impuros: caput implet sensusque degrauat & offundit. Quæ  
verò facilis & moderata obtigerit, saluberrima est & purgationum omnium præstantissima.  
Noxios quippe humores ex ipsis fontibus synceros elicit & vacuat, omnem quæ  
in ventriculi capacitate in eiusve tunicis hæret illuuiem in primis expurgat, è præcordio-  
rum membranis, è cauis iecoris ac lienis, & ex pancrea omnis generis superuacuos hu-  
mores synceros elicit, quos plerunque nec hiera nec aliud vehementissimum vllum e-  
tiam frequens pharmacum in aluum exturbare potest. In ventriculum enim ex his locis  
viæ breues ac expeditæ magis quam in aluum directæ sunt, per quas facilis est vomitio.  
Quamquam autem primùm ab interioribus euellit, cōsequutione tamen caput reliquum  
que corpus leuat. Quocirca omnibus opitulatur affectibus, qui à præcordiorum impu-  
ritate ortum acceperunt, languenti appetentiæ, nausæ, cibi fastidio, crebræ vomitioni,  
ventriculo præcordiisve distentis, ictero, cachexiæ, febribus intermittentibus, hemi-  
cranie, vertigini, incubo, epilepsie, suffusioni, omnibusque capititis affectibus, qui præcor-  
diorum sympathia cōtracti sunt, & quos è præcordiis in reliquum corpus effusa impu-  
ritas protulit. In quocumque igitur affectu languescit appetentia, & nausea vomendi-  
que desiderium fatigat, si pharmaco non satis fit, vomitione curandum. Nam quæ purga-  
tio non eluit, extirpat vomitio, & quæ illinc non facile labuntur in aluum, præter in ven-  
triculum remeant. Tanti igitur vomitionis vis æstimanda. Cui autem ægrè ea cietur, di-  
ligens adhibenda est præparatio. Quum enim vel ex corporis conformatione, vel ex hu-  
moris situ & crassitie, vomendi conatus angere solet, ac faciei oculorumque rubor, ca-  
pitis tensio, sudor multus & interceptus spiritus obtingere, idque citra vacationem vl-  
lam, non nisi adhibita præparatione vomitio tentanda. Primùm igitur attenuandus de-  
tergendusque humor, atque iis viæ molliendæ & laxandæ sunt quæ posthac traduntur.  
Corpore autem conuenienter præparato, quum vomendi necessitas premer, addendus sti-  
mulus vt artis & naturæ cōcursione effectus edatur perfectior. Ferè quidè ieiunos nau-  
sea vomendi que desiderium premit, quum exinanitus ventriculus noxiorum humorum  
incurfione infestatur. Nam pastis benignitate cibi noxius humor demulcetur leniturque  
nausea. Sæpe verò noxius humor ventriculū stimulat cogitque cibum vomere, nec ta-  
men ipse prodit, vt quum extrinsecus vētriculum feriens nondum in eius capacitatem pe-  
netrare potest, aut quum lentore suo intus illi tenacius adhærescit. Itaque synceri humo-  
ris superuacui vomitio ieiunis maximè cieda: quamquam tum leuiusculus cibus pharma-  
co præmitti potest, vt facilius succedat vacuatio. In id etiam corpus turbandum agitan-  
dumque est motu & exercitatione. Atque quum oborto cordis dolore illuuiem copiosior  
effluens laborantem vrget, prono situ collocandus firmato capite & ventriculo manu  
compresso, dum primùm cibus & pituita, deinde bilis varia, quantum necessitas postulat  
eruperit, omnisque impetus sedetur. Si violentior vomitio nimio opere fatigat superueniat-  
que vertigo, estus, angustia, suffocatio, cordis aut ventriculi cōpunctio: aut si immodera-  
tius exuperat atque vel succos vtilis vel sanguinè elicit, vel ramenta, vel nigrum quid-  
dam foetidum atræ bili persimile, lenienda certè & cōpescenda: atque in quiete cōtinen-  
dus est laborans, ventriculus fouendus spongia macerata in aceto repente, atque iis e-  
tiam firmandus quæ posthac dicentur. Quumque sedata vomitione pulsus plenus & vali-  
dus existit, placidus somnus sponte obrepit, facilis & libera est respiratio, appetentia bo-  
na reliquumque corpus leuius, vtilis ea censeri debet & consentanea. Contrà verò inu-  
tilis & noxia, si contraria appareant.

De purgantium medicamentorum viribus, ac primum vt vnumquodque  
familiarem humorem totius substantiæ similitudine  
deducat. Cap. IIII.

**P**URGANs medicamentum humorem communi quodam omnium tractu  
prolicere non pauci censuerunt, eiusque portione detracta aliã dein con-  
sequutione quadam, ei quæ euacuata sit succedere, idque ne vacuũ quic-  
quam & inane in corpore subsistat. Neque medicamētum vnũ quempiam  
humorem, sed omnes promiscuè hirudinis aut cucurbitulæ modo trahere,  
10 eum tamen qui tenuior & ad fluẽdum aptior sit, primũ sequi, ab hoc deinde crassio-  
rem, postremò crassissimum: atque si medicamentum infirmum & inualidum erit, nihil  
præter serum vacuari, si validius, cum hoc etiã bilem flauam, sin valentissimum, tum  
pituitam tum bilem atram. Huic sententiæ suffragans Auerrhois, putauit tennes humo-  
res quia purgationi aptiores, prius quã crassos omni medicamēti genere prolici. At  
si satis rerum peritus animaduertisset rheubarbarum, agaricum atque fennã, etiam  
ex hydropico corpore non aquã, sed crassos humores: scammonium verò & iridem nõ  
crassos, sed tennes serososque vel ex corpore sano elicere, non tam turpi credo errore  
lapsus esset. Si vacuationis ordine tenuia semper cæteris antecedũt, cur non & sanguis  
prius quã bilis atra defluet, quem cõstat multo tenuiorẽ esse? Hæc opinio dũ vnicum  
20 medicamenti genus sola pro vacuandi ratione quantitate mutatum satis fore humori-  
bus omnibus expurgandis statuit, perturbato rerum ordine summam confusionem in-  
uehit. Hæc incommoda circumspectius animaduertēs Hippocrates, rectè nouit medi-  
camentum humorem qui in corpore præter naturã continetur attrahere non cõmuni  
, & promiscua quadam vi, sed totius substantiæ similitudine insitãque familiaritate. Me-  
, dicamentum (inquit) quum in corpus fuerit ingressum, primũ sanè id quod omnium  
, maximè sibi natura respõdet atque simile est deducit, deinde alia quoq; trahit & pur-  
, gat, quemadmodum semina & stirpes terram vbi subierint, id quod in terra secũdum  
, ipsorum naturam est, sibi attrahunt, siue acidum, siue dulce, siue amarũ, siue salsum, siue  
, aliud quidpiã diuersum. Primũ igitur eius quod sibi naturali similitudine cõiunctum  
30 est plurimum arripiunt, tum cætera deinceps attrahunt. Talem quoque modũ & me-  
, dicamenta in corpore seruant. Etenim quæ bilem mouet, primũ hanc meracissimam  
purgant, deinde mixtam. Quanquã igitur attractio aliàs calor, aliàs vacui & inanitio-  
nis vi, aliàs totius substantiæ similitudine fit, quæ tamen à medicamētis purgãtib; est,  
vna similitudinis proprietate completur, qua & stirpes succum è terra sibi idoneum, &  
vnaquæque corporis particula id quod in sanguine sibi familiare & conueniens est, &  
lapis heracius ferrum, & paleas succinum proleat. Hæc autem similitudo nõ tempe-  
ramentorum, sed substantiarum est. Illa quippe attractionis causa statui minimè potest:  
quandoquidem nullum medicamentum esset trahendæ pituitæ idoneum, quũ illa fri-  
gida, vniuersum verò purgantium medicamētorum genus calidũ habeatur. Ergo sola  
40 substantiæ similitudo causa est cur medicamentum hunc illũve humorẽ alliciat. Hęc  
autem substantia non ipsa est rei materia, à qua vnũquodque aut tenuis aut crassæ sub-  
stantiæ dicere solemus: neque huius substantiæ similitudo attrahẽdi causa existit: nam  
neque agaricus, neque colocynthis tenuis substantiæ quũ sit, crassiolem pituitã, neque  
rheubarbarum quòd astringentis & solidæ crassæque substantiæ, tenuẽ bilem educe-  
ret. Sed præstantior est tota illa substantia, à qua tanquam ab intimo principio defluit  
& manat, quæ totius substantiæ proprietates appellatur. Hæc igitur cum neque materia  
sit, neque temperamentum, necesse est rei species & forma sit, quæ præcipua est ac ferè  
tota cõpositæ rei substantia. Admirabiles eius proprietates neque colore, neque sapore,  
neque odore, neque vllis sensuum qualitatibus, sed operibus solis percipi possunt, vn-  
50 de à plerisque cæcæ & occultæ nuncupatæ sunt. Quæ porrò eadem continentur specie,  
substantiam non similem sed planè eandem habere dicuntur: vt ferrum ferro, magne-  
tem magneti, non simili, sed eadem substantia dicimus. At verò magnetem ferro simi-  
lem, non eundem, quòd eorum substantiæ ac formæ affinitate quadam & familiaritate  
coniunctæ sint. Eadem in medicamentis quoque est ratio: censeturque agaricus pitui-  
tæ tota substantia similis. Ea autem substantiæ similitudo attractionis est causa, atque  
vnumquodque id trahit quod simile, non quod eodem est genere. Sic agaricus pi-

Lib. de Nat.  
hominis.

Proprietates si-  
militudinis,  
qua medica-  
mentum fa-  
miliarẽ hu-  
morem alli-  
cit, vnde nõ  
proficiatur.

Medicamentorum purgantium ordines tres.

tuitam, non agaricus agaricum trahit, nec pituitam pituita. Itaque perperam Auicennas colligit, si attractio fit à similitudine substantiæ, oportere ferrum attrahere ferrum, aurumque aurum. In hac autem similitudine quod validius est trahit infirmius, ut agaricus pituitam, non contrà, quòd agarico vis insit potentior, quam & temperamèti calor plurimum impellit. Si quando autem contingat tam exiguam medicamèti portionem exhiberi, ut ab humoris copia obruatur, ea omnino frustrabitur purgandi facultate, & in alienã vertetur substantiã. Vnus enim tres notauit purgantium medicamentorum ordines. Vnus est malignorum, in quibus vis & substantia inest venenata, in quo habetur colocynthis & scammonium. Alter benignorum, quæ minimum ab alimèti natura defecerunt, cuiusmodi sunt pruna, violæ, manna, serum lactis, cassiæ medulla. Tertius mediocrium, in quo sunt rheubarbarum, agaricus, senna, aloë. Itaque in corpore valido atque inedia exhausto, benigni medicamenti exigua portio in corporis substantiã faceffit: maligni verò portio vel exigua in putredinẽ veneno finitimã: mediocris in humorem vacuandum, qui ex superuacaneorum est genere alendo corpori minimè idoneus. Licet igitur agaricus calidus sit, verti tamẽ nihilominus potest in pituitam, utpote qui (quemadmodum & cnicus) tota substantia non temperamèto pituitosus sit. Hac rerum commutatione temperamenti qualitates pereunt, permanente substantia.

*Purgans medicamentum nonnunquam alium quàm proprium, & sibi familiarem humorem retrahere corpore. Cap. V.*

20

Que ad purgationis facilitatem & euphoriam conuenire oportet.



**P**RAM vtilẽmque purgationem efficiunt medicamètum accommodatum satisque validum ut humorem exturbet: natura robusta quæ proritãtẽ humorem expellat & purgationem moderetur: humor tenuis & ad fluẽdum aptus: corporis viæ per quas fluxurus est patentis & liberę. Siquid horũ dedit, aut languida, aut inutilis erit purgatio. Inutilem dico quæ vel alieni est humoris, vel effrenata existit. Quum igitur vacuandus humor corporis parte densa, adstricta, vel obstructa coërcetur, neque huic purgationis viæ patent: aut quũ vel nimium glutinosus crassusque est, vel crudus aliisque humoribus omnino permixtus, vel in longinquas partes dissectus, tamen si natura valens conuenienti medicamento proritetur, languida tamẽ aut inutilis succedet purgatio. Languida quippe ac imperfecta eius humoris qui vacuandus erat: inutilis verò alterius qui paratior occurrerit. Medicamentũ enim quod proprio humore frustratur, quemuis obuiũ & paratiorem impetu adoritur atque exturbar, eum scilicet qui aut ad fluẽdũ est aptissimus aut immodicẽ exuperat, aut in via purgationis subsistit. Is enim quouis medicamèti genere impulsus excidit, ut qui spõte etiam interdum elabatur. Id sanẽ cõmonescit Hippocrates. Si enim (inquit) eidem homini idẽ medicamentũ quater in anno voles exhibere, hyeme pituitosissima tibi euomet, vere liquidissima, æstate biliosissima, autumno nigerrima. Quũ ergo melancholicus humor crassus, sanguine permixtus fortẽ irrepsit in cerebrum, licet medicamentum huic ducendo validũ offeratur, potius tamen quàm hunc eam detrahet pituitam quæ in ventriculo & in intestinis solet inhærescere: aut etiã bilem quæ seorsum pura atq; tenuis vel nimia copia, vel corruptela naturã extimulat. Cacochymiã igitur in venis conclusam, aut in corporis habitum effusam, vix medicamentũ (niũ fortẽ validissimũ) detrahet, quòd quæ circa ventriculũ, circum viscera primasque venas cõsistit in primis occurrãt expurgãda. His ex causis nonnunquã accidit ut purgãs medicamentum nõ proprium & peculiarem humorẽ, sed diuersum plerũque exturbet. Quinetiam si effrenata vis eius fuerit, alienũ quoque trahet: tũ quippe natura vel grauius lacescita, vel iã imbecillitate languens, neque medicamenti vim, neque humoris impetum coërcere potest. Effrenatæ & immodicæ hæ sunt purgationes, ὑπερβάλλουσες Græcis appellatæ, quibus non modò peculiaris humor, sed & reliqui deinceps profluũt. Etenim violẽtius medicamentum proprio humore detracto, in alios dein inuadit, ac primũ tenuiorem ad fluẽdũque aptiorem prolicat, deinde eum qui crassior atque pigrior sit, postremò sanguinem, quem natura tanquam reconditum thesaurum auidius amplexatur ac retinet. Cholagogum exempli gratia in primis bilem, deinde pituitam, tertio loco atrã bilem, postremò sanguinem euocat. Phlegmagogũ primũ pituitã, deinde flauã bilem, postea atrã, nouissimũ sanguinem. Melanagogum atrã bilẽ primũ, deinde flauam, tertio

Cur alium quàm familiãrem humorem interdũ attrahat medicamentum.

40

50

tertiò pituitam, ad postremum sanguinem naturæ familiarissimū. Effrenatio ea & purgationis exuperantia fieri non potest totius substantiæ proprietate, quòd nullum medicamentum possit omni humori substantiam similem habere. Hanc nò pauci ad medicamenti calorem & acrimoniam referunt, quæ tum venarum oscula patefacit recluditque, tum continenter ad eò proritat, vix vt humorem suū coercere possint. Verùm si hypercatharfeos ea causa sit, allium, pyrethrum & piper purgandi facultatē sortientur. Quocirca præter peculiare, quæ sua est cuiusque, necesse est generalem purgandi vim medicamēto attribui, quæ in alios quoque humores incumbat, eosque communiter euacuet. Compertum sit in Dione purgandæ bili flauæ iustam congruentemque quãtitatē esse rheibarbari drachmas tres: atræ bili, sennæ drachmas sex: pituitæ, agarici drachmas tres. Consilium sit triplex humoris genus expurgate, in idque medicamentū componere & accommodare: aptum id efficacique comparabitur si cuiusque triès cōferatur, & rheibarbari drachma vna, agarici drachma vna, sennæ drachmæ duæ permisceantur cōfundanturque. Quod hac ratione compositum foret, nullam vim obtineret, nisi communi quadam & generali purgandi facultate simplicia illa mutuò se fouerēt. Neque enim drachma vna rheibarbari quicquã bilis purgare potis esset, neque drachma vna agarici pituitæ, neque sennæ drachmæ duæ, melancholiæ quicquam: neque igitur permista illa, nisi mutuas operas conferrent. Simile enim hîc accidit atque cum multi nisi communi graue quoddam onus attollunt. Itaque præter propriam, necesse est & generali vi purgandi medicamentum vnumquodque præditum esse, qua cum nimia purgatio erit, alios etiam humores detrahet, idque adiutum calore & acrimonia.

*Purgantis medicamenti facultatem à nostro calore excitari, substantiam verò ad expurgandum humorem non permeare. Cap. VI.*

**P**ROPRIETAS peculiarem humorem expurgandi è tota medicamēti substantia & ex intimis principiis manās ac defluēs, illi non energia & re ipsa, sed duntaxat potestate inest. Etenim si scāmōnio synceræ bilis portio propius assistat, non hanc quemadmodum magnes ferrū alliciet, sed duntaxat quum à nostro calore excitatum prorumpet in actum & ad agendum impelletur. Dum enim ventriculi calore medicamentum teritur, calefit, omnique ratione exagitur, tacita eius facultas quasi solutis vinculis exurgens se promit profertque vires nouas. Ac tum vapor ea ipsa facultate præditus illinc profiliens, per cæcos occultosque ductus in omnes corporis partes quoquouersum effusus, ad noxiū humore pertingit. Atque is humorem iamdiu fortasse parti cōsuerum ac quiescentē, acrimonia incidit præparatque, & aduersa qualitate partis naturā acrius stimulat proritatque ad excernendum. Ipsa verò medicamēti substantia in vētriculo intestinisve etiam nū persistēs, eum ipsum humorem simul prolecat, vt purgatio cōmuniter fiat trahēte medicamēto & expellente partis natura. Non igitur pharmaci substantia ad eū humore concedit ac permeat, qui vacuandus est, vel hoc argumēto, quòd plerūque aluo soluta medicamentum in vētriculo subsistat, aut etiā vomitione reiiciatur, quòdque pilulæ duriores posteaquã abūdè purgassent, visæ sint nondū dissolutæ, aliàs vomitione, aliàs deiectione reddi. Hinc Paulus præcepit lathyridis grana integra vorare si imbecillus est stomachus, eaque etiãsi minimè atterantur minimèque in corpus permeēt, validè tamen purgare. Si, inquit Serapio, medicamentum ad humorem longè diffitum accederet, illi familiaritate iungeretur, neque eū cuius iucunda voluptate perfruitur, detraheret aut exturbaret, quemadmodum neque magnes ferro iunctus id ipsum aliò trahit, sed planè retinet ac seruat. Et hæc quidem cōsentanea iis sunt medicamētis quæ maligna dicuntur, & in quibus vis inest venenata totique corpori infensa. Nam quæ in mediocriū sunt ordine, vt senna & rheubarbarum, quanquam dum agunt, magna ex parte subsistūt in ventre, eorū tamē tenuior quædã portio irrepit in venas, vacuandumque humorem assequitur, illiusque tum color tum odor manifestus in vrinis est. Benigna verò medicamenta in omne fortasse corpus peruadunt, & noxium humorem quasi vinctū reducunt in ventrem. De quibus ita censuit Aristoteles, Medicamenta vbi ventrem adierunt resolutaque sunt, statim ad venas per easdem feruntur vias per quas cibus cōmeat. Mox quum nihilo cōcoqui potuerunt, sed viatrice perstiterūt potētia, relabuntur, & quæ sibi

Expulsio non  
est abstracti  
humoris, natu-  
ralis est.

obstunt, secum detrahunt, quæ res purgatio vocatur. Venter porrò selectum secre-  
túmque humorem vbi pariter cum medicamēto excipit, gemino stimulo acrius lacer-  
fitus, quū diutius ferre non potest, totis viribus vtrumque excutit, dum à se deponat ex-  
pellatque per loca conuenientia. Non igitur quem humorem attraxit medicamētum,  
eundem exigit forasque excludit vomitione aut deiectione, prout scilicet ipsius vis in-  
sita in ventriculum aut in aluum irruerit, sed natura sola. Neque enim hinc solum vo-  
mitio obrepit, quòd medicamentum in ore ventriculi inhærescat, idque infirmet: ne-  
quealui deiectio quòd in ventriculi fundum & in intestina id mox illabatur eaque de-  
biliret, sed quòd medicamento proprietas insit, qua familiarem humorē non ad se mo-  
dò, verumetiam ad certum designatúmque locum impellit ac mouet. Vt enim cantha- 10  
rides scapulis brachiòve admotæ, non solum ad se aquam alliciunt, sed & vrinas abun-  
danter cient, quòd tamen eorum substántia minimè penetrat: sic propemodum medica-  
menta quædam extrinsecus ventri applicata aluum subducunt, quædam vomitionem  
mouent. Quanto igitur expeditius eorum sumpta substántia, etiam in ventriculo aut in  
intestinis consistens, purgandi vires obtineat exerátque?

*Per quos ductus medicamentum humorem detrahat. Cap. VII.*



εισπνοω  
εξ εισπνοω  
το σωμα.

VI porrò expurgatur humor ferè per apertos cõspicuósque ductus tradu-  
citur, & à corporis ambitu in venas refluit minores, ab his in maiores, è 20  
quibus per iecur in intestina deuoluitur. Ceterū in violēta purgatione hu-  
mores non per hos solum, verumetiam per cæcos occultósque ductus vel  
ab extremo corpore magna perturbatione confluunt in vētrem. Extincto  
animante ampliora duntaxat vasa & spiracula cernuntur, plurima in se cõsolidant atque  
conniunt, quæ dum id in viuis erat, vi caloris & spiritus distēta latius patebāt, per quæ  
non modò tenues, sed & crassos glutinosósque humores validioris medicamēti vi dedu-  
ci putādum. Sic hydropicorum aqua ex ingenti capacitāte abdominis aut in intestina  
rapitur, aut in vesicā remeat: sic multa plerūque & è pulmonib⁹ & è cerebri vētriculis,  
neque tamen per venas, neque per manifestos ductus in ventrē illabuntur. Sic & varij  
artuū articulorūque tumores, non œdematosi modò, sed planè scirrhusi aliàs in aluū,  
aliàs in os lenta salua deriuantur ab illitu hydrargyri, cuius vi colliquantur omnia & è 30  
toto corpore in os impetu feruntur: sic denique valētiore apophlegmatismi nō è cere-  
bro solum, verumetiam è ventriculo aliisque partibus pituitā eliciūt, ea interdū copia,  
quæ neque cerebri ventriculis, neque totius caluæ capacitāte cõtineri queat. Horū ni-  
hil mirum videbitur, ei qui præter rerū euentus, Hippocratis quoque sentētiā specta-  
bit, qua is corpus intrò forasque spirabile statuit, & naturā quæ præsertim robusta vali-  
dāque sit, semper viā moliri expurgādis superuacaneis, crassiorésque materias vel per  
angustissima foramina deducere, quin etiā per ossa abscessus fieri confirmat: quemad-  
modum & empyorum & pleuriticorum crassus humor per densam membranā tra-  
ducitur in pulmones, ac demū tussi reicitur. Hæc si natura per se facit, multò certò ma-  
iora & admiratione digniora molietur adiuta trahentis medicamenti vi, præsertim si 40  
conuenienter præparatum corpus, atque humor ad fluēdum cõparatus est. Itaque pur-  
gantis medicamenti quod validū sit facultas in omne corpus subiens ac penetrans, hu-  
morem familiarem (qui coërcitus non sit) vndique detrahit, non modò amplis patēti-  
búsque viis, verumetiam occultis & sensibus incomptis. Hæc de vniuerso purgātium  
medicamentorum genere, deque viribus eorum præmittenda videbantur. Nunc verò  
particulatim medicamenti species quærenda, eiusque quantitas & vtendi ratio: quod  
vt accuratiùs exequamur, explicandum quibus morbis conueniat purgatio, quod cui-  
que adhibendum purgationis genus, clyster an vomitio, anve medicatio: quæ medica-  
mēti species, quàm validū & quo id ordine: vniuersè an partitè: deinde quātū & quou-  
que vacuādū sit, & qua id ratione faciēdum. His enim tota cõpletur purgādi tractatio. 50

*Quibus humorum vitis, & quibus morbis adhibenda purgatio. Cap. VIII.*



ACOCHYMIAE proprium accommodatúmque remedium est Purgatio:  
quicquid enim impurum ad eò corruptúmque est, vt omnino naturæ  
limites transcendat, quoniā arte nulla emendari benignúmque reddi po-  
test, prorsus extirpari eximique debet. Hoc autē purgatione præstandum,  
quæ vna

quæ vna omnem impuritatem seorsum ex quavis corporis sede subtrahit & vacuat, ex  
 hac quidem promptius ac expeditius, ægrius tardiùsque ex alia. Primæ regionis caco- Cuiuslibet  
regionis cor-  
poris caco-  
chymia quò  
vacuationis  
generis  
quibus vi-  
exigenda.  
 chymia purgatione sola cõmodè vtiliterque demi potest: & quæ in intestinis est clyste-  
 re: quæ circum vètriculum & præcordia, vomitione: vtraque etiam pharmaco, sed ma-  
 ximè quæ aut in liene, aut in iecoris cauo, aut in pãcrea, aut in mesenterio, aut in abdo-  
 minis capacitate consistit. Ex his quippe sedibus viæ breues sunt ac directę, per quas fa-  
 cilè ea ferri potest in aluum, quò sponte etiam interdum prona ruit. Venæ sectæ vis eò  
 vix vnquam pertingit, neque hinc humores vacuat: sed graui sanè dispèdio naturæ or-  
 dinem peruertit quicũque impuritate derelicta purum syncerũque sanguinem pro-  
 10 fundit è venis: quicq; venas sectione exinanitas implet fœda illuue rapta è primis sedi-  
 bus, quæ quasi sentina est omnis impuritatis. Quis quæso adeò rudis in medendo sit, vt  
 aut ventriculi cruditatem, aut lienteriam, aut dolorem colicum, aut lienis scirrhum, aut  
 choleram, aut hydropem, aut his affines affectus, audeat aut tentet vena secta curare?  
 Quinetiam venarum caco-chymia sola purgatione, nõ phlebotomia, eximi tota potest:  
 permittitur tamè in hac plerumque venæ sectio, quum tam copiosa accreuit, vt venas  
 supra modum distendens, pericula minetur, quæ ex immoderata impendent plethora.  
 tum enim ad exuperantiam demendam adhibetur. Deinde etiã quum ex ruptis, aper-  
 tis, aut exesis vas, vel foras ea profilit, vel in partem quampiã abscedit: etenim reuellit  
 imperũque sistit. Tertiò quum metus est ne ea concitata vehementius & quasi furote  
 20 corpus exercens, in principem aliquam partem feratur: impetum quippe sedat atque  
 compefcit. Nonnunquam & citra hæc, quum præceptus est morbus, cuius tamè materia  
 in venis conclusa aut cruda est, aut viam expeditam nõ habet per quam facilè medica-  
 mento detrahi possit, eius portionem venæ sectio promptius quàm purgatio demit, à  
 qua & morbi sæuitia sæpe mitescit, & natura quod reliquũ est facilius coquit. Sic initio  
 continuarum febrium, si vires ferant, nec venæ nimiũ exinanitæ sint, sanguis mittitur.  
 Cæterum quæ in his fit venæ sectio, impuritatis quidem portionẽ elicit, at minimè syn-  
 ceram sed sanguine permistam: nec vlla potest phlebotomia omnẽ venarum caco-chy-  
 miam eximere, nisi forè sanguinem vniuersum profundat. Nam vitiosus humor æqua-  
 biliter sanguini permixtus seorsum profluere nõ potest. Quocirca licet his ex causis aut  
 30 necessaria, aut vtilis fuerit venæ sectio, adhibenda tamen est tandem & purgatio, quæ  
 vt proprium remediũ reliquias detrahat. Ea porrò caco-chymia quæ vel partis alicuius  
 substantiam vel corporis habitum occupauit, medicamento in primis non venæ sectio-  
 ne ducenda: deinde quicquid reliquũ fuerit per cutis spiracula, aut per ductus peculia-  
 res mouendum. Sic exhaurienda est cerebri pulmonũve crudior pituita, sic & totius  
 corporis cachexia. At verò in caco-chymia quæ regiones multas æquabiliter infestat,  
 vndelibet vacuationẽ auspicari licet. Vt si vel ab vniuersa obstructione, vel à stipatio-  
 ne cutis, vel à vigiliis, labore, æstu, ira, pestilentia, vel ab aliarum euidentium causarum  
 immoderatione, omnium humorũ putredo corpus æquabiliter inuasit, nõ magni inte-  
 rest à purgatione an à venæ sectione vacuationem inchoes, quãquam tutius primæ re-  
 40 gionis præmittitur purgatio. At quũ inæquabilis est caco-chymia, ea in primis exhauriẽ-  
 da regio, quæ aut vehementius premitur, aut aliis mali initium dedit. Iam verò à causis  
 ad morbos ex caco-chymia ortos me conferã. In continua febre quæ æstu magno & las-  
 situdine fatigat, si neque nausea, neque vomitio, neque primarum venarũ cruditas est,  
 protinus initio vena secari potest. In ea verò quæ aut ex ventriculi iecorisque constitu-  
 tione praua, aut ab esculentorum potulètorũque vitio proficiscitur, quoniam infima Quo quaque  
regio ordine  
expurganda.  
 regio prius ac etiam magis impuritate sordescit, ex eaque in venas & in habitum cor-  
 poris vitium irrepfit, expurganda in primis est, vt pote sine qua cæterarum nulla purior  
 euadat. Hac etiã ratione in cachexia, in leucophlegmatia, in hydrope, in ictero atque  
 in aliis plerisque affectibus, quorum impuritas è iecoris aut lienis vitio corpori toti im-  
 50 pertitur, purgatione sola vacuandum. Nec quoties vrinæ crassæ ac rubicundæ cernuntur,  
 temerè imperanda venæ sectio: nec si ex hac sordidus sanguis ac impurus emanat, con-  
 tinuò vtilis putanda. Impuro enim mox impurius alius ex ipso fonte affluit. Non igitur  
 è riuis, sed ex fonte ipso exhaurienda mali scaturigo: cui nisi sit antè prospectum, vix  
 cæteris dein potest arte succurri. Vt autè in his, ita & in febribus intermittẽtibus etiam  
 atque etiam obseruandum, ne vel confusis vel trãsmotis humoribus corpus euadat im-  
 purius. Nam febres tertianę quarũ causa in iecoris cauo inhærescebat, sæpe intèpestiuè

secta vena in continuas abiêre: & continuæ in quibus admodum impura erant viscera, non parum exasperatæ sunt. Exhausto enim sanguine impurus humor, quauis sede sit derelictus, efferatur ferociusque sæuit. Aliàs bilis flaua circum iecur, aliàs pituita vel in cerebro, vel in pulmonibus, vel in ventriculo quasi subsultans detracto sanguine deiectisque viribus grauiora profert symptomata. Constare hinc iam potest, quibus humorum vitiis & quibus morbis succurrat accommodata purgatio.

*Per quas vias instituenda sit purgatio, quo medicamenti genere, & quàm valido. Cap. IX.*

10



*Aphor. xx.  
libr. i.*

*Inclinatio  
humorū no-  
xi & mo-  
mentum.*

*Medicamēti  
genus ex hu-  
morū specie.*

*Quàm vali-  
dum eligēdū  
medicamen-  
tum ex hu-  
morū situ.*

Vo præcipuè sunt quibus purgationis via indicatur: vitij sedes, & naturæ motus seu inclinatio. Sede perspecta in pròptu sunt ductus omnes qui ex ea aut per ventriculum, aut per aluum, aut per aliud quoduis emissariū foras pertinent, per quos scilicet natura libera nec impedita, vitia sua expurgare cōsuevit. Hi sunt quos Hippocrates cōuenientes appellat. Ventriculus quidem, & præcordiorū summæ partes vomitione: intestina maximèque crassa alui profusione: pharmacia verò cūm hæc ipsa, tum maximè viscera & venæ habitusque corporis commodè expurgantur. Renes & vesica per vrinæ vias: vterus per propriam ceruicem: cerebrum per palatum & nares: corporis summa per cutem halitu & sudore. 20 Si fortè purgationis vias morbus intercipit, aliò motum conuertes: nunquam enim humor noxius in affectam sedem est deriuandus. Quocirca neque imbecillo ventriculo cienda vomitio, neque in intestinorum vlcere, aut inflammatione bilis eò deuocanda, sed aliorum reuellēda: neque renibus inflammatis aut exulcerata vesica ad vrinas, sed ad intestina vitiosus humor conuertēdus. Motus verò ac impetus naturæ sic obseruandus. Humor noxius per conuenientes regiones atque vias delatus sinendus est: atque etiā si segnius progreditur, incitādus. fit enim natura duce, quæ nihil perturbatè, nihil nisi vtiliter gerit. Qui verò insueto nec naturali cursu fertur, inhibendus, & in breuem rectūque tramitē (si commodè licet) reuocandus, vt qui humoris impetu & impedita natura symptomaticè fiat. Iam verò medicamenti genus ex humoris genere petendū. 30 Quot enim peccantium humorum, totidem & medicamētorum genera vsus notauit, vt singulis accommodaret singula. Alia pituitam, alia bilem flauā, alia atram detrahūt, sanguinis serum alia: & in vnoquoque genere alia ex aliis partibus. Ita enim quū arqua laboranti & flaua bile suffuso medicamētum datur demendæ huic accōmodatum, mox totus in habitum naturalem refertur pristinumque colorē recuperat. Si aqua subter cutem fusa turgido medicamentum huic ducēdæ propineretur, aquosus humor excidet, magnaque vi foras erumpet, subsidente ventris tumore. At verò nullo aut minimo emolumento erunt, quæ diuersa humoribus non accommodabuntur. Simili quoque ratione quum vel pituita, vel bilis atra molesta est, si suum cuique medicamentum cōgruenter afferatur, noxium humorem experimur detrahi, laborantēque vindicari 40 à morbo. Ad hunc igitur modum medicamentorum genera ex humorum differentiis distinxit vsus, vt suā cuique purgationē opponeret. In vnoquoque porrò medicamenti genere tum in eo quod bilem, tum in eo quod pituitam, vel aliū quemuis expurgat humorem, quàm validum aut imbecillū deligi oporteat, noxij humoris situs ostendet. Vt enim non quælibet secta vena, ita nec quodlibet medicamentum è quouis corporis loco humorem detrahit, sed alia aliis corporis sedibus expurgandis accommodatiora sunt. Mitiora quippe è prima corporis regione, mediocria è vasis maioribus, valentiora è corporis habitu ex singulisque particulis euocant. Expedita facilisque purgatio est è vētriculo & ex liene, multo difficilior è venis mesenterij, deinde è iecore & ex liene, multo difficilior è vasis maioribus atque etiā è minoribus, omnium verò difficilima ex ipsa partium substantia quæ ad summam cutem atque articulos accedūt. 50 Quo enim pars quæque distantior & minus venis conspersa, eo difficilius medicamento cedit: maior quippe in propinquum vis est quàm in distans. Vt igitur tres corporis regiones limitibus discretæ sunt, ita & purgantium medicamentorum tres hisce ordines accommodantur. Deinceps de medicamenti quantitate statuenđum.

*Ut me-*

## Ut medicamenti quantitas definienda sit. Cap. X.

**P**OST QUAM medicamēti genus ex humoris specie, & quā validū ex humoris situ cognitum fuerit, æstimandum deinde qua id quantitate offerri debeat. Sua autem est & definita cuiusque quantitas, qua id cōuenientem atque moderatū purgationis modum præstare solet, vt proximo libro enucleatius tradetur. Quantitatem vel augere vel minuire purgandi facilitate difficultatēve cogimur. Quando autem facilis & quando difficilis sit futura purgatio, corporis, humoris, atq; cæli status ostendit. Corporis statu continentur tēperamentum, habitus, structura, atque constitutio, & vacuandi consuetudo. E sicco exuccoque corpore atque macilento pauca detrahi possunt: multa ex humido & ex habitu euarcho. Firmum densūque corpus, cuius viscera, venæ, ipsaque intestina natura angusta aut obstruuntur facilè, aut coarctantur, superuacua retinet, nec facilè elabi sinit. Molle verò, rarum ac laxū, quale mulierum est, puerorum & otio diffluentium patientius est, per quod concitati, tractique humores facilè decurrant. Robusti & laboribus assueti leuiuscula aspernantur medicamenta, quemadmodum & quibus sensus est hebetior. Contrā incitatur facilè qui exquisitiore sunt sensu, & qui vel natura, vel morbo, vel vendi ratione deliciaiores euaserunt. Crebris purgationibus assueti, pharmaco minus lacescuntur, insueti magis: alienorū quippe horrida recordatio naturā turbans ad excernendum stimulat, quemadmodū & pharmaci odor grauis, aut intenta cogitatio aluum plerunque mouet. At verò cōsuetudo familiaritatē, familiaritas amicitiam parit, quæ vim omnem lenit. Sic lōgo tempore consueta, etiāsi deteriora sint, minus infestate solent. Quibus ex cōsuetudine liquida est aluus, aut sponte interdū soluitur, purgatio sepe expectationē fallit imprudentum. Humoris porrò species, materia atq; copia medicamenti quantitatē hac ratione præscribunt. Aquosus humor, bilisque tenuis, facilè: pituita & melancholia pigrè defluit. Qui crassus durusque est, & quasi ardore resiccatus, velut fixus subsistit in via. Lentus verò & glutinosus ductibus obhærescit. Copiosus & quasi restagnās vt in obesulis & in his qui se crapula ingurgitarunt, aut quauis ex causa humorum illuuiem cōgesserunt, leui medicamento magna plerunque ventris perturbatione immoderatus profunditur. Nam exuperantia referatis venis quasi ex pertuso dolio sponte effluit, non medicamenti effrænata vi, sed naturæ sese deonerantis robore, quæ interdū nullo etiam irritamento, sed impetu suo id onus deponit & abiicit. Sobriis purisque corporibus purgationes obtingūt exiguæ, nec propterea tamē validioribus ea medicamentis sollicitanda sunt, quoniam qui integro salubrique corpore constant, difficilè ferunt medicationes. Noxiū quippe humore destitutū vehemens medicamentum sanguinem carnēque colliquat, quò proprium ex ipsis humorem magna vi proluciat. Iam verò cæli status ex regione, anni tēpore & tempestate spectādus, purgationes quales futuræ sint ostendet. Sub canicula & ante caniculam, atque in regione æstuosa, acer & paucus inest humor in corpore, qui & foras euocatur, vt proinde haud facilis eius possit esse purgatio. Hyēs media regiōque gelida corpus densant & adstringunt, humorem coarctāt, qui ægrè demittitur. Sic propemodum aquiloniæ tempestates corpora densant coguntque & aluum exiccant. Austrinque soluant, laxant & aluum humectāt. Solo igitur austrino statu, & temporum regionūque moderatione fœlices succedunt purgationes. Hæc si omnia summatim complectemur, corpus siccum, robustum, densum, obstructum, purgationibus assuetum, melancholia pituitaue crassa nō admodum multa confertum, quæ inueterata longè à viis purgationis distita concreuerit: hyeme, regione frigida & tempestate aquilonia difficillimè medicamēto moueri solūque potest. Hisce verò cōtraria fortitum, facilè. Horum igitur obseruatione pharmaci quantitas cōiici decernique debet. Ad hanc præterea magnā vim habet roboris, ætatis & prægnationis obseruatio, quæ non modò medicamenti quantitatē, sed & genus plerunque immutat, ceu mox docebitur. At quoniā nos sæpe multa latēt nullis indiciiis cōprehensa, incognitam laborantis naturam expedit blandis sensim pharmacis explorare, non temerè vehemētoribus impetere & labefactare. Cognitis antè & exploratis naturis tuta decerneretur medicatio.

Quid euphoriam dyphoriam ve in purgando denunciet.

Corporis conditio.

Aphor. 49. lib. 2.

Humoris natura.

Aphor. 37. lib. 2.

Cæli status.

Aphor. 17. lib. 3.

ἢ πείρα, σφραγισμένη.



BI medicamentū & inuentum & iustis viribus & idonea quantitate tum  
 humori tū corpori expurgando accommodatum fuerit, purgationis postea  
 præfinienda est quantitas, atque æstimandum quantum & quandiu sit va-  
 cuandum. Noxius humor quā alienus ac præter naturam sit, siue morbum  
 præcauere, siue profligare consilium est, prorsus eximi debet. Exigua qui-  
 dem eius derelicta portio, exquisita viuendi ratione, naturæ calorisque vi domari ac  
 vinci poterit, vt integra interdū tutaque sanitas succedat nullo metu recursuri morbi. 10  
 Multa tamē si reliqua sit, nisi hanc natura tandē subactam sponte propellat, nulla quā-  
 tumuis exacta viuēdi lege tutus à morbo æger esse potest: nam tametsi purgatione leua-  
 tus appareat, in pristinam tamē valetudinem recidet, modò citiùs, modò tardiùs, aliàs  
 leuiùs, aliàs grauiùs, pro humoris copia, malignitate, atque virium statu & victus modo.  
 Nam autore Hippocrate, quæ à morbis relinquuntur, recidiuos morbos facere consue-  
 uerunt. Quū enim derelicta portio totius conditionem referat, quæ omnino erat præter  
 naturam, nunquam ipsa poterit in corporis substantiam conuerti, sed tempore synce-  
 ros humores, atque etiā recens alimentum inquinabit, rediuiuosque morbos excitabit.  
 Sic impura corpora quo magis nutris, hoc magis offendis. Itaque quicquid noxi inest  
 humoris, id prorsus expurgandum, vt corpus à morbo vindicetur. Id autem vniuersè an 20  
 partitè fieri oporteat, humoris copia laborantisque vires indicabunt: ita enim mittendi  
 quoque sanguinis quantitatem ex morbi magnitudine & ex virium robore dimeti-  
 mur. Constantibus viribus pauca cacochymia vniuersè detrahi potest, præsertim si con-  
 cocta sit aut tenuis, ab eaque viæ pateat in aluum. Imbecillis autem viribus non modò  
 multa, sed & pauca cacochymia partitè eximenda. Non enim vel in leucophlegmatia  
 vel in cachexia humor quoquouersum in omne corpus effusus, potest vllius medica-  
 menti vi ex distātissimis locis per cæcos occultosque ductus vniuersus in aluum cōflue-  
 re. Neque vt sanguis in plethora exuperans, semel & affatim totus ex aperta vena, ita  
 multus humor è corporis habitu elabi proflueréque potest. Atque si id medicamento  
 quopiam præstari possit, necesse tamen fuerit corpus grauiter concuti, humores variè 30  
 permisceri, torsiones molestas inferri ac spiritus dissipari: hinc tandem vires concidere  
 prosterni ac plerunque exolui. Hæc in eos ferè incidunt, qui prauo vtuntur cibo, quos  
 purgāte hausto medicamento statim deficere tradit Hippocrates. Quum enim vitiosis  
 corruptisque scateant humoribus, & pauco perfruuntur bono succo, facillè purgationi-  
 bus soluantur & fatiscunt, atq; venenatis pharmacis, quæ Hippocratis seculū vsurpabat,  
 non parum exagitantur. Neque tamen tentādum leuiorum medicamentorum quan-  
 titate immodica vniuersos semel demoliri: sed assentiendum Hippocrati monēti om-  
 nes euacuationes extremas periculosas esse. Quod nō de sola virium extrema debilitate  
 morti proxima, sed & de peccantis humoris vacuatione extrema intelligendum. Nā  
 alio inquit loco, Empyri, aut hydropici cū vruntur aut secātur, si pus aut aqua vniuersim 40  
 effluxerit, omnino moriūtur. Quanto magis in vitæ discrimē adducuntur si valido  
 aliquo medicamento firmis etiā viribus vno tēpore vniuersa tentetur purgatio? In mul-  
 ta igitur cacochymia tutius est paulo citra modū subsistere, quā vltra procedere. Li-  
 pothymia quæ purgationibus ob humorum vacuandorum acrimoniā & intestinorum  
 torsionem interuenerit, leuis est: grauis verò quæ ob concitati humoris corrupti tetrū  
 vaporem in cor principēsque partes sublatur: grauior ob malignā venenatāque phar-  
 maci qualitatem, grauiissima ob immoderatæ purgationis violētiam: neque tamen vi-  
 res hæc æquè deiicit atque exuperans phlebotomia. Semper horrendū exanimato iam  
 ægro mortis imaginem obtrudere. Itaque humoris copia accuratè viribus comparan-  
 da est. Ex præsentium, præteritorum ac futurorum obseruatione, ex aliisque signis quæ  
 secanda vena animaduertēda esse monuimus, tum morbi magnitudo humorisque co- 50  
 pia tum virium robur exquisitè perspiciēdum. Virium autem obseruatio quum sit om-  
 nium præstantissima, nō hīc, vt in phlebotomia, solum vacuationis modū, sed & quod  
 medicamenti genus, quāque validum esse oporteat præscribit. Tametsi enim morbi  
 species, humorisque vacuandi sedes validum medicamenti genus postulent, aliquod  
 tamen ex mitiorum ordine exhibendum suadet viriū imbecillitas. Eadem quoque est  
 tum

Vnde mor-  
borum hypo-  
strophæ.

Aphor. 12.  
lib. 2.

Aphor. 9.  
lib. 2.

Quid vni-  
uersè  
quando par-  
tite purgan-  
dum.

Aph. 36. &  
37. lib. 2.

Aphor. 51.  
lib. 2.

Extremas  
vacuationes  
omnes peri-  
culosas.

Aphor. 27.  
lib. 6.

Lipothymia  
à purgatio-  
ne.

tum ætatis tum prægnationis ratio. Pueri enim ac seni benigna, non ut ætati mediæ maligna decernes medicamenta, etiãsi humoris species atque situs eorum vim desideret. Prægnans quoque integris viribus, licet horum vim tolerare possit, quoniã tamen fœtui qui intus geritur, quẽ seruare volumus, vehemētet obsunt, benignis solis est purganda. Ad viriũ porrò obseruationem pertinet expēdere quæ corpora grauitè ac molestè, quæ leuiter ferāt medicationes: multis enim quibus integræ vires apparēt, ingens ex purgatione labor, ac plerunque ob suam cuiusque corporis propriamque naturam virium sequitur exolutio. Macilēti acriter feriuntur medicamēti qualitate praua, ut po- Qui facile  
& qui egre  
ferant pur-  
gationes.

10 molestæ torsiones miserè fatigāt, dirique vapores principes partes offundunt. Dolorũ metu non pauci medicationem despiciunt & abominantur, quibus magna perniciẽ vi-  
tiorum colluuiẽ omnem vitã languoribus exercet. Quibus partes circã vmbilicũ & Aphor. 35.  
lib. 2.

imũ ventrẽ extenuantur & contabescunt, ad inferas purgationes tuti non sunt. Mul-  
tòque minus quibus abscessus vel in pulmonibus, vel in iecore, vel in liene, vel in reni-  
bus alijsve sedibus delitescit. His enim cõcussis non modò dolor ingrauescit, sed & eru-  
ptionis & defectiois viriũ metus incutitur. Quocunq; vitio labefactatæ sint interiores  
corporis partes, quia imbecillæ sunt, facilè medicamenti qualitate & acrimonia per-  
celluntur. In summa, corpus aut magna labe aut morborum humorũve copia vehe-  
menter pressum & læguens, medicamenti vi labefactatum concidit, quemadmodum

20 & ruinosæ ædes instaurando fortè cõcussæ, mox vniuersæ corruunt. Itaque in his omni-  
bus qui aut imbecilles sunt aut egre ferūt vacuationes, pro medicatione expedit interdum  
inedia victũque opportuno blandiri, aut ægrum, si nequeat in integrum restitui,  
sublata morbi portione leuare. Vacuandum enim quãrum & quousque vires patiun-  
tur: quũque iã dissolui apparent, etiam si restent superuacua, protinus super sedẽdum  
dum illæ recreentur. At dum vires integræ manent atque persistunt, tum vniuersè tum  
partitè vacuandum couisus est dum nihil reliquum sit morbi, & perfectæ purgationis  
indicia quæ mox tradentur omnia compareant. Ex his ergo omnis præfinietur purga-  
tionis quantitas: nunc quæ illius sit vtendi ratio, explicandum.

30 *Quo morbi tempore, quo die quaque hora purgandum. Cap. XII.*

**S** V M M A purgandi opportunitas ex morbi tum cõcoctione tum impetu spe-  
ctatur. Concoctio est substantiæ in naturæ conuenientiore m statum calo-  
ris vi facta mutatio. Nõ enim qualitates solas, vt quæ appellatur alteratio, Pepsimus.  
sed ipsam rerum substantiã concoctio mutat. Alimētum initio dissimile,  
corpori tandem simile euadit, in illiusque substantiã vertitur coctione cre-  
bra. Vitiosus verò putridusque humor & à natura prorsus alienus, tametsi in corporis Pepsis.  
substantiam nequeat faceßere, cõcoctione tamen in aliquid melius & naturæ conue-  
nientius, vt in pus aut in quippiã quod sit puri finitimum deducitur. Phlegmones ma-  
teria putris, quemadmodũ & vlcera sanies, in verum & exquisitũ pus vertitur, quod  
40 interdum sputo alijsve excretionibus innotescit. Venarũ verò maiorum succus putre-  
scens in aliquid mutatur, quod est puri finitimum, cuius in vrinæ sedimento conspicuæ  
sunt notæ. Superuacui autẽ humores siue putruerint siue nondum putredine tentẽtur,  
nunquam verè cõcoquantur, nec caloris nostri beneficio aut in pus aut in quippiã illi  
finitimum mutantur: sed duntaxat tum substantiæ tum qualitatis moderationem quan-  
dam adipiscuntur. Sic tenuis aquosaque pituita influẽs in pulmones cõcoctione crasse-  
scens facilius expuitur: crassa verò extenuatur. Sic & vtraque bilis circũ viscera (quem-  
admodũ in intermittente febre) putrescens, cõcoctione mitescit, domitãque proprius  
excluditur. Omnis concoctionis insitus noster calor diuinus est opifex, cuius vna ea-  
50 demque vis optimum quiddam perpetuò molitur: atque si varia interdũ opera emer-  
gunt, nõ illius, sed subiectæ materiæ id varietas efficit. Nõ aliter is alimentum, aliter pu-  
tridum humorẽ cõcoquit. Neque (vt quibusdam videtur) pus à duplici calore tum na-  
turali tum præter naturã fit, sed à naturali solo, agente tamen in materiam quæ caloris  
præter naturam est particeps. Hanc neque prorsus vincere neque in corporis substan-  
tiam, sed in pus solũ mutare potest, quod est putredine melius, ac inter putredinem &  
corporis nostri substantiam medium. Vt autem in phlegmones suppuratione, ita & in

*Ocasio purgandi vade captanda.*

*Si humor prima corporis regione habeat quando expurgandus.*

*Si in secunda.*

*Aphor. 27. lib. 2.*

*Aphor. 20. lib. 1.*

*Aphor. 13. lib. 2.*

*Aphor. 22. lib. 1.*

febris corruptus humor dum concoquitur ac mitescit, pariter etiam fluidior euadit fecerniturque à crudis, vt eius dein expeditior esse possit euacuatio. At verò purgandi tempus opportunū præscribetur ex humoris specie & situ, atque etiam ex morbi vehementia. Leuiter affecti naturæ viuendique legibus committendi: quos enim sponte natura per sanat, frustra medicina fatigat. At quibus nec naturæ vis nec proba viuendi ratio satis fuerit, medicina succurrat. Si enim aut longius protrahitur morbus aut vehementius excandescit, opitulandū arte. Ac primū si corruptus vitiosusque humor aut in ventriculo aut circū hunc consistere signis deprehenditur, siue pituitosus, siue biliosus, siue alio quouis præter naturam genere corruptus sit, primo quoque tempore expurgandus est, præsertim si impetu quodam sponte mouetur, neque locis illis tenaciùs adhærescit, alioquin leniter est præparandus: eius verò concoctio haudquaquam est expectanda, vt quæ propriè futura non est, neque eius ab vrinis mutatio quærenda. Qui autem vitiosus humor altius aut in liene, aut circum pancreas atque iecur, aut in mesenterio conditus erit, siue lentam febrem siue intermittentem, siue melancholiam, siue diarrhœam, siue cachexiam, siue ingentem obstructionem protulerit, protinus quoque detrahi potest, nisi aut admodum lentus crassusque sit, aut ventriculi impuritas obsistat. Hæc enim quum adsunt primū quidem leniter detergendus est ventriculus, deinde attenuandus ac detergendus humor, postremò aut vniuersè aut partitè vacuandus. Quum autem vitiosus humor in maioribus vasis conclusus, vt in continua febre, aut circū hæc aliqua sede coercitus, vt in plerisque acutis morbis, putrescit: tamen si corporis adsit præparatio, & ventriculus viæque omnes eò directæ, liberæ, expeditæque sint, haud tamen rectè potest ante coctionem exquisitè purgari. Etenim in morbis acutis tempus perfectæ purgationi accommodatissimum, status est, aut veriùs declinationis initium, quo & perfecta existit concoctio & vacuationes sponte procedunt. Tum enim morbi materia fluida, & à reliqua puriore secreta iam est, simul natura præparatam illā expellere contendit. Itaque quum iam perfecta apparet concoctio, statusque vehementia mitescente nulla succedit vacuatio decretoria, moue tu medicamento. His enim quæ præter rationem leuiora apparent minimè cõsensus, quicquid concoctum præparatumque est expurgabis, vt mox integra sequatur solutio. At si tum natura euacuationem aggreditur ac iudicat, sinenda est dum opus cõpleuerit. Deinde si integrè iudicauit, neque morbi quicquā reliquum fecit, res in tuto est, nec aliud quicquā mouendum. Sin quippiam derelictum esse quasi ex imperfecta crisi suspicio sit, quoniã quæ relinquuntur in morbis, recidiuos morbos facere consueuerunt, medicamento quoque detrahendū. Vniuersa igitur morbi materia nõ nisi cõcocta & post statum quum iã symptomata præter rationem mitescunt, radicatus extirpari potest. Id ipsum est quod præcepit Hippocrates, concocta medicari atque mouere, nõ cruda. At nihilominus morbi incremento quum nondum perfectè, sed manifestè solùm, & in fine principij quum obscure concocta est materia, hanc etiam quodammodo vacuare licet. Quod enim iussit Hippocrates cõcocta medicari, nõ solùm perfectè, sed & quouis modo cocta complectitur, mox ea duntaxat à medicatione remouens atque excipiēs, quæ vt in morborum principijs absolutè cruda sunt. Ita quæcunque vllò modo cõcocta fuerint medicari sinit, obscure quidem cocta parcè, manifestè moderatiùs, perfectè verò cocta validiùs. Vt igitur in phlegmone non vniuersa materia retinetur, dum perfectam concoctionem sit assequuta, sed quicquid suppurat quotidie elicitur, ita sanè & in acutis statuendū morbis, idque siue partium siue graduū ordine fieri putetur materiæ cõcoctio. Ita enim quicquid à purgatione reliquum erit, faciliùs natura domabit. In neutra corporis affectione, impendentē morbum sæpe arcemus purgatione, quæ vitiosos iam congestos humores detrahat. At qui tum maximè multoque magis quàm ipso morbi initio crudi ij sunt. Cur igitur non peræquè initio vtiliter illos purgemus? Et hæc de morbo quidē acuto, sed salutari profusque tuto præcepta sint. Cæterum in ancipiti atque graui cuius semper & symptomata sæua sunt, & minimè tutus exitus, statim per initia non vtiliter solùm, sed & necessariò vtendū medicamento, neque prudentis sit medici concoctionē expectare, quæ fortasse futura non est. Quum enim anceps is sit ac vehemens, sempèrque metus impendeat, ne aut deterior euadat aut laborantem ante statum iugulet, crudæ etiãnum materiæ non nihil purgatione demendum ante concoctionem. Et certè cruda ea materia quum in plerisque acutis morbis turgere soleat, & quasi oberrans fluctuet & fluat refluatque

fluâtque in venis atque visceribus, nō admodum ægrè videtur medicamento cessura. Sic sæpe artis vsu animaduersum est crudioris humoris purgatione, siue sponte siue arte ea contigisset, accelerari cōcoctionē, mōxque vrinas puriores & cum sedimento fieri, & ancipitē periculosūque morbum tutū salutarēque reddi. Id ipsum Hippocratis *Aphor. 29. lib. 2.* est consiliū in acutis morbis inter initia vtendum esse medicamento: & quū morbi incipiunt, mouendum esse, si quid mouendum videtur. Quo autē acutior est morbus, hoc magis acceleranda validiorque decernenda purgatio: vt tandem extremis morbis extrema diligentissimè adhibeantur remedia. His nō solū remedij celeritatē, sed & vehementiam hortatus, concitatam omnem materiam protinus atque eodem ipso die euacuare docet, ne vltro citroque cōcita in principem aliquam partē irruat, repentinōque sit exitio. Itaque licet à perfecta concoctione scilicet semper sit purgatio, ea tamen etiam antè cōcoctionem in ancipiti grauīque morbo est necessaria: in saluari ac miti utilis. Est & alia ratione ante concoctionem purgandi necessitas, si præter continentem acuti morbi materiam, quæ aut in venis aut in visceribus aut in habitu est corporis & cuius expectatur concoctio, alia quædam vitiosa in ventriculo, in intestinis aut circum præcordia obhæret, dolore, æstu, nausea, amarore alijsve signis manifesta. Hæc enim omni tempore etiam nondum vlla morbi apparente coctione, vtiliter potest adhibita præparatione medicamēto trahi. Humor igitur qui publicis viis subsistit, si præparatus est, omni morbi tempore vtiliter deiici potest. Qui verò aut in visceribus inhæret *Aphor. 6. lib. 1.* aut in venis cōcluditur, & proxima est morbi materia, dū concoctus apparet, scilicet: dū adhuc crudus est, vtiliter atque etiā interdum necessariò purgandus. Iā verò de purgationis die deq; hora dicendum. Tranquillo die purgatio tutior, expeditior verò perturbato. Quū enim morbus minus fatigat & collectæ vires melius constant, facilius medicamenti vis & impetus tolerari potest. At quo die morbus exasperatur, agitatq; eius materia in motu est, promptiùs detrahatur. Quocirca si per vires licet, neque ingēs meruitur perturbatio, impari die acutorum morborum, atque etiā decretorio (quo tamen natura decretura non est) copiosior expeditiorque, pari verò tutior fiet purgatio. In febrium intermittentium quiete, medicamentum tanto ante accessionem tempore offerendum, quo possit purgatio compleri. Per accessionem quippe materia nō in aluum, sed plerunque in diuersum ruit, & sæpe accessionis vehementia purgatio subsistit. Præstat nihilominus ante accessionem, quàm mox ab ea, & pridie quartanæ, quàm postridie medicamento vti. Purgationi autem quæ libera est, nullaq; præsentis morbi necessitate ad præcautionem solā suscipitur, aptissimum est ver, deinde autumnus, aut quæ illis non absimilis, sed quodāmodo temperata sit constitutio. Dies non aquilonia, sed austrina humidave, quæ & corpora laxat & humores liquefacit. Tēpestas quoque similis & beneuola syderum commistione salutaris.

*Quæ præparatio purgationi præmittenda. Cap. XIII.*

**V**T in omnibus rebus agēdis, ita maximè in purgandis humoribus antequā *Aphor. 9. lib. 1.* aggrediare, diligens est adhibenda præparatio: qua & viæ pateant & trahenti medicamento omnia cedant ac obtemperent, siantq; vt iubet Hippocrates, corpora ante purgationem fluxa. Est autem præparatio duplex, *Præparatio duplex, vna corporis.* vna corporis, vacuandorum humorum altera. Corpus si præparatum comparatumque sit, vt viæ omnes per quas medicamētum decurret, & per quas noxius humor deriuandus expurgandusque est, liberæ sint & expeditæ. Primum igitur ventriculus humorum copia minimè sit nauseabundus, ne haustum pharmacum nimio opere auerferetur, aut mox reuomat. Nec intestina coarctata obstructave noxiorū humorum cursum impediunt. Etenim concitati si subsistāt, aut ventris torsiones, aut fastidia, aut vertigines, aut animi defectiones mouent, corpusque iactatione multa fatigant. Quod si *50* aut è visceribus aut è venis atque ex corporis habitu eliciendi sunt, nō modò ventriculum & intestina, sed & mesenterij venas & viscera libera esse oportet. Itaque nausea omnis ante purgationē summouēda est, aut inedia, aut vomitione, aut deterfione, atque deiectione per pilulam ex aloë. Suppressa iam diu aluus clystere molliēda: aut si quid aliud intestinis adhærescit, detergendum id eluendūque est. Noxius præterea humor præparandus: qui enim durus crassusve est, nō faciliè per angustas vias profluit in aluum: glutinosus in his etiam obhæret. Quocirca durum mollire, crassum incidere & arte-

*Altera hu-  
moru, primū  
quidem cras-  
si & lenti.*

nuare, lentum glutinosūque detergere oportet ante purgationem. Quęcunq; id præ-  
stant, pariter quoque venarum per quas futura expurgatio obstructiones expediunt.  
Atq; hæc vel alimenta vel medicamenta sunt. Horum autem alia intrò sumuntur, eaq;  
vel arida vel liquida. Arida quum frigidi lentique sunt humores, & magna cruditas in  
primis est visceribus, præfertimq; hyeme. Liquida vt syrups, apozemata & oxymeli, quū  
altius & in exilibus venis cōditi sunt humores, in sicciore corpore, ac etiam æstate. A-  
lia verò extrinsecus præparant, vt fofus & vnguenta. Fofus suo tepore ac vapore per  
spongiam, partem quāuis blandè concafcat natiuūque eius calorem erigit ac fufci-  
tat, humores qui ei præter naturam infident & impacti cōfopiti que sunt excitat, emol-  
lit, attenuat, colliquat, fluxilēfque reddit, vt facilè fequantur quocunq; medicamen- 10  
tum trahet. Hoc quidē præparationis genus diuturnis est affectibus accōmodatiffimū,  
quod tamē & Hippocrates acuti morbi vt pleurididis initio vfurpauit, neque calorem  
veritus neque fluxionem nouam. Sed & quum omne corpus vitiofo humore eoque  
crasso ac glutinofo perfunditur, hunc nonnulli ante purgationem balneo perinde at-  
que fomento præparare iubent, quo tamen minimè proritentur sudores, sed duntaxat  
emolliatur & liquefiat vacuandus humor. Fofui proximam vim obtinet vnguentum,  
at infirmiore, quod non admodum altè subire poffit. Viçtus quoque præparandi fa-  
cultate pollet, quum attenuans detergēfque imperatur: maximè verò tenuis ac par-  
cior. Detraçta enim de confueto cibo portione, natiuus calor crudos humores conco- 20  
quit abfumitque: frigidos verò crassos & glutinosos visceribus aut venis impactos par-  
tim abfumit, partim adè extenuat, vt etiā fponfe nonnunquā procidant: quūque in-  
edia corpus exhaustū excrementis vacat, liberūque est, medicamentum facilè quo-  
quouerfum fubit, ac integris viribus in omnia penetrat. A tenui viçtu medicatio fyncer-  
os ac minimè permiftos humores cōmodiffimè detrahit. Ea igitur crassis lentifque hu-  
moribus vt melancholicis & pituitofis, ante purgationē adhibenda præparatio. Tenuis  
verò vt aquofos & biliofos, non Auicennæ confilio, ante purgationem crassiores red-  
dere oportet. Non enim quod ille existimat, vt fputorum quæ mediocri funt fubftātia  
facilior est excreatio, ita & humorū mediocrium facilior est purgatio. Nā licet pulmo-  
nibus contenta materia fupra modū tenuis, impellentis fpiritus vi tuffiēdo non facilè  
in arteriam fufstuli excreari que poffit, sed tenuitate fua facilè relabatur in pulmones: in 30  
corpore tamen cōuenienter præparato, quo tenuior ac liquidior fit humor, eo fluidior  
exiftet, & præptiūs trahenti medicamento cedit, eiufque impetum fequetur: feruētior  
tamen & acrior is fi fuerit, eius ante purgationem obtundenda est & frenanda acrimo-  
nia, iis præfertim remediis quæ corporis quoque præparandi vim habeant. Licet igitur  
tenuis humor concoçtione aliquantum crassefcet, atq; tum euacuationi fit apparatus,  
non idcirco tamen & nos naturæ imitatione eum ante purgationem debemus crassio-  
rem facere. Nō enim quod crassefcet idcirco coquitur, neque cōcoçtus idcirco purga-  
tioni aptior est quod crassior euafert, sed quod fit à reliquis humoribus fecretus, eūmq;  
natura prorfus vacuare cōtendat. Quo autē tenuior, eo ad effluendum est aptior. Aliud  
præparatio est, aliud concoçtio. Hæc naturæ folius opera calorisque noftri beneficio, il- 40  
la etiam arte tota plerunq; perficitur. Detergētibus enim incidentibufque medicamen-  
tis expeditur obftruçtio, humorque attenuatur, at non plenè cōcoçquitur. Præparatum  
humorem non femper licet exquisitè purgare, concoçtū verò Hippocratis præcepto li-  
cet, quū præfertim viæ patent. Itaque corpus quæ purgari debet, patēs nec impeditum  
efto. In hoc quisquis peccat humor tenuis ac fluidus, fi vt in acutis morbis turget, ftatim  
initio nulla præparatione è quauis regione detrahēdus est: fin verò parti cuiquam is fir-  
miūs inhærefcit, vix nifi deterfus aut cōcoçtus, & naturæ vi fecretus, trahēti medicamē-  
to obtemperat. Crassus verò atque glutinosus humor, nō nifi vi & perturbatione vel è  
parente corpore deduci poteft. Accommodanda porrò vnicuique est ea præparationis  
forma, quæ pariter morbi fæuitiam leniat: vt acutis morbis portio, nonnunquam & vn-  
guentum ex eorū materia quæ attenuando detergēdūque refrigerant, at non impenfè 50  
calfaciunt. Diuturnis atque lentis valentiora, non portionis modo aut vnguenti, sed &  
fofus & balnei forma: vtrifque demum apta conueniēfque viçtus tenuitas.

*Deinde te-  
nuis & bi-  
liof.*

*An ieiunio*

An ieiuno, & qua forma, & quibus obseruationibus dandum medicamentum. Cap. XIII.

**S**ALVERRIMA est quæ sine offensione fit medicatio. Solet autem omnium primus ventriculus offendi, ut qui medicamentum summis integrisque viribus excipiens, primos eius sustinet impetus, neque id nisi fractum retulumque longius penetrare finit. Quum igitur in omni morborum curatione tanti fit momenti ventriculus, summa tum huius tum medicamenti ratio est habenda. Medicamentum omne validum aut malignum nature infensum est, forma quoque omnis liquida ventriculi latera alluit, in illiusque substantiam alius se infert, ac proinde grauius eum ferit: solida vero minus, quod promptè in fundum intacta ferè illius substantia illabitur. Ceterum liquida alius penetrat in omniaque subit, potètius detergit & in fractus expedit. Solida diutius hærens circum præcordia, tardior minusque efficax existit. Ventriculus præterea quum aridior fuerit, atque prorsus vel ab inedia, vel à febre, vel à Solis ardore exhaustus, tum medicamenti vi plurimum laceffitur tum id auidius in se recondens & velut exorbens, neque diffundi neque vim suam exere finit. Contrà verò quum moderatè est humidus. At immoderato humore potève perfusus, medicamenti, quod præsertim imbecillum fuerit, plerumque vim obtundit. Itaque imbecillo quemadmodum & puro ad vnguem ventriculo, medicamentum blandum aptetur: aut si fortè distantiorum partium affectus validius exposcit, ieiuno quidem at non prorsus exinanito detur: quum nempe concoctus cibus descendit, at nihilominus interior ventriculi tunica reliquiarum benignitate etiamnum mader. Sic enim in distantiores partes id permeat, minimum offensa ventriculi substantia. Quum autem malignitatis particeps est medicamentum, ut veratrum, corpora, inquit Hippocrates, ante potionem humectanda sunt cibo pleniore quieteque. Ipsum verò medicamentum seu liquida seu solida sit forma, sacchari, mellis, aromatis aut rei cuiuspiam suauioris permissione condiendum, ut ventriculo præcordiisque iucundum occurrens, quadam odoris saporisque gratia vires suas sceleriter exerat. At robusto atque impuro ventriculo, liquida forma nullius rei suauitate oblita confert, idque longissimè à cibo, ut alius in primas corporis sedes in earumque humores se inferat. Et hæc quidem obseruanda, quum syncera optatur humorum detractio. At verò blanda leuiaque medicamenta, quæ solas alui fæces emolliunt & exturbant, eccoprotica dicuntur, non multo ante cibum, atque etiam cum cibo sumenda. Si cui cõsuetæ est matutina vomitio, ea ante medicamentum cienda. A medicamento quoque ea nonnunquam succedit, vel quod imbecillior sit ventriculus, vel quod pharmaci horrore concutitur, vel quod quum agitari cœpit, humores quorum copia obruitur, excutit, vel quod præcordiorum mole coarctatus pylorus, aut aluus fæce obstructa duriore non id facillè illabi finit. Hæc tamen omnia diligens auertit præparatio. Hausto medicameto, vel aqua hordei vel succo mali punici, vel subaustero vino, vel saccharo reliquiarum è faucibus & è gula detergenda deiciendaque sunt, quum præsertim horrendo sapore grauis suspectaque est vomitio. Surrectum dein corpus in quiete continendum, dum ventriculus medicamentum arctius complectatur: atque etiam interposito semihoræ spatio, si (quod ferè fit) inexpugnabilis dormiendi necessitas premet, vtile medicamento indormire, ut illius vis in sopore plenior exciteretur: quum primum verò in actum id prorumpit, vigilandum penitus est, dum effectum omnem compleuerit. Nam arctiore somno purgationis opus subsistit. Quum enim, inquit Hippocrates, sistendum censueris, somnum molièris, nec quicquam mouebis, contrà quum medicamentum citare voles, corpus mouebis. Motione enim corpus turbari indicio est nauigatio. Cibum plerique putant non antè offerendum quam medicamentum suo perfunctum sit munere: satis tamen sit è ventriculo id ita excidisse: ut nullus eius odor, nullus ructus, nulla nausea, nullaque stomachi rosio subsit, quum præsertim syncera desideratur purgatio. Cibum enim medicamenti permissione corrumpitur. Solida forma, blandumque medicamentum, quod tardius descēdat, longiorem cibi moram, eamque quatuor saltem horarum interponi postulat. Primus autem cibus detergens sit sorbitio, quæ medicamenti reliquias eluat, & quod decet impellat, simulque ventriculi interiora oblinens omnem medicamenti qualitatem tædiâque demulceat. Qui purgatur continendus est temperato loco: nam concitati iam humores æstus

Forma liquida & solida.

Imbecillo aut puro ventriculo conueniens medicamentum.

Aphor. 13. lib. 4.

Robusto & impuro.

A medicamento cur vomat.

Medicamento vtiliter super dormitur.

Aphor. 13. 14. 15. lib. 4.

iniuria, aut rapiuntur in gutem, aut nimium efferuescunt febrémque incendunt: frigore verò torpescunt & densatis coarctatisque viis ignauiter exeunt. Liberior ac vastior aër, aut apertus flatibusque expositus, etiam si nulla est intemperies grauis, difficiles efficit purgationes, quandoquidem corpora præsertimque imbecilla vehementer cõturbat.

*Utilisne & perfecta fuerit purgatio, an contrá. Cap. XV.*



**A**R TIFICIS cuiusque summum est studiũ quorsum opus euadat animadu-  
uertere. Purgationum alia utilis, alia vitiosa est. Vtili talia purgantur, qualia  
purgari oportet, vitiosa verò aut aliena purgantur aut non conuenienti ra-  
tione. Vtilis tres statuuntur differentia, obscura, manifesta, perfecta. Obs- 10

*Aphor. 23.  
lib. 1.*

cura exiguam admodum peccantis humoris portionem detrahit, quæ quia  
conueniens est, confert quidem, nondum tamen ægrotum manifestò leuat. Manifesta  
quæ insignem humoris portionem exturbat. Perfecta quæ nihil illius reliquum facit.  
Signis hæ discernuntur, à deiectionibus & laborantis tolerãtia depromptis. Deiectiones,  
inquit Hippocrates, non copia æstimandæ sunt. Neque enim sæcum neque crudorum  
quæ circum mesenterium exuperant copiosa deiectio, vtilem purgationem facit:  
sed quum talia, inquit, deiiciuntur qualia deiici oportet: qualia nimirum exuperasse &  
morbi causam fuisse, coniectura fuerat. Qualia autem sunt illa, biliosane, an pituitosa,  
an melancholica ex substantia & colore noscendum, nisi quid medicamēti color per-  
uertat. Nam ex rheobarbaro & hiera flauescit deiectio, nigrescit verò multum ex cas- 20

*Ægroti eu-  
phoria perfe-  
ctam purgati-  
onem in-  
dicat.*

fia, aliquantum ex senna. Laborantis verò tolerãtia atque leuamen quàm perfecta fue-  
rit purgatio docet. Itaque si purgatione qualia oportebat, sed admodum pauca exie-  
runt, & quibus laborãs non magnopere leuatum se percipit, obscura est purgatio, quæ  
cõfert quidem, sed leuiter. Si verò noxij humoris copia maiore detracta ægrotus seipso  
iam multò leuior apparet, manifestè utilis est. Si plurimo humore seu vniuersè seu par-  
tite euulso, laborans non leuiorem modò, sed vel ab omnibus vel à præcipuis quibus  
affligebatur symptomatis sese prorsus vindicatum solutumque sentit, idque nõ quum  
adhuc purgatio fit, sed quum ea iam planè desit, perfecta censi debet. Tum somnus  
placidus isque multo quàm antè arctior, citra vllum tamen veternum obrepit: nõ qui-  
dem ex virium imbecillitate, sed inde obortus, quòd ex morbo perinde atque ex labo- 30  
re fatigatum corpus, mox vt peccantium humorum quasi farcina deoneratur, sedato  
spirituum imperu leui somno conquiescit. Sitis quoque si vehemēs præcesserat, exqui-  
sita purgatione mitescit, detracta nimirum materia quæ illum concitauerat: aut si fortè  
nulla fuerat, exquisita purgatione exiccatũ corpus sitire incipit: nec, inquit Hippocra-  
tes, id desinit purgari antequam sitiat. Quinetiam à perfecta purgatione appetētia re-  
stituitur, dolor si quis vrgebat mitescit, atque etiam febris, aut alia quæuis morbi essen-  
tia extirpatur, hinc laboranti vires resurgunt, idque pro eorum quæ vacuata sunt ratio-  
ne. Cæterum nonnunquam accidit vt humor agitatedis periodis conquiescat, aut mor-  
bus persistente intus causa sponte se remittat, ac tum laborans se morbo expeditũ pu-  
tat. At certè minimè tuta est quæ citra vacuationē obtigerit mali leuatio, & vt inquit 40

*Aphor. 19.  
lib. 4.*

Hippocrates, si quid fiat præter rationem, leuius confidendum non est. Perfecta igitur  
purgatio non modò ex symptomatum sedatione iudicanda, sed ex eorũ maximè quæ  
purgata sint tum specie tum copia: quippe quum iis respondent quæ certis signis ines-  
se deprehensa fuerant. Horum igitur contemplatione innotescet quid, quantum &  
quandiu purgandum: & quando absoluta fuerit purgandi necessitas.

*Mala pur-  
gatio.*

Vitiosa autem purgatio, aut inutilis est, aut molesta, aut exuperans. Inutilis est tum  
quæ humorem à noxio diuersum trahit, tum quæ noxium proritat, non autem educit:  
conturbat enim magis quàm euacuet. Vtraque dum infensum humorem euellere cõ-  
tēdit, eum diffundit & exagitat, suscitatóque vapore tetro corpus inflat atque disten-  
dit, ac proinde magis quàm iusta purgatio lacessit. Molesta noxium quidem humorẽ, 50  
sed vi quadam elicit, vel quòd præparatio adhibita non fuerit, vel quòd vehementius  
aut immoderata quantitate sit pharmacũ, vel quòd non correctè malignitatis sit parti-  
ceps, vt colocynthis, euphorbiũ, elleborus, vel quòd externus error sit admissus. Omnis  
quippe eiusmodi ægrotum præter modum affligit atque torquet. Hinc corporis las-  
situdo, capitis dolor, febris aliãque symptomata. Sub hac quidẽ talia exeunt qualia exire  
oportet, sed vires nimium cõuelluntur atque dissipantur. Exuperãs effrenatãq; purgatio  
cum hu-

cū humore noxio naturalis pariter atque necessarij non nihil vi eripit, non citra virium offensionem. Quoniam igitur de propria corporis substantiā nō nihil euellit, vel cruor citra hēmorrhoidas, vel ramentum, vel pingue aliquid liquamini aut loturæ carnis simile in excretis cernitur. Hinc torsiones, cordis dolor, æstus, anxietas, iactatio, corporisque perturbatio, præter hæc animi quoque defectio, & summa virium exolutio: spiritu quidem quasi naturæ thesauro vel vi direpto, vel pharmaci pernicie & malignitate oppresso. Hic iā omnis concludenda videtur de vniuersali purgatione tractatio. Quicquid enim præterea desiderari potest, ab his quæ fusiùs de venæ sectione præcepta sunt mutuari licet.

10

*De purgatione particulari. Cap. XVI.*

**P**RÆTER ea quæ publicas corporis regiones, alia etiam priuatas quasdam sedes exhauriunt ac expurgāt, quorum & hinc tandem meminisse expedit. Eiusmodi numerantur errhina, apophlegmatismi, bechica. Non antè his vtedum quàm reliquum corpus probè exinanitum sit, prorsusque vacet excrementis, ne aliunde noxios humores rapiant in affectam sedem, semper enim vniuersalis curatio particulari præmittēda. Errhina in nares vel immissa vel hausta cerebri superuacaneam pituitam proliciunt. Non eam quidem quæ in cerebri ventriculis (hinc quippe nulla via excurrit in nares) sed quæ circum cerebri substantiā circumque meninges colligitur & fluitat. Hauriatur autem prono capite, vt recta per os ethmoides ferantur nec recidant in fauces. Omnibus medentur soporosis affectibus, obrusosque sensus omnes expediunt, & interiores in quauis sede infixos dolores discutit. Similis propemodum est & sternutamēti ratio: sed quòd vehementer succutiat vis ei maior. Etenim nō modò cerebrum expurgat, sed & quæ in partem eius posteriorum atque etiam in fauces irruunt validè succussu reuellit. Apophlegmatismus vel manus vel gargarisatus saliuam atque pituitam ore deducit. Huic vis maior est expurgādi cerebri ventriculos, quibus via decliuis est in palatū: multò proinde maxima vis erit apophlegmatismi, si resupino capite hauriatur in nares, vt mox per summa palati relabatur in fauces. Ita quippe cerebri basim proluens longè validiùs ex illius ventriculis excrementa detrahit. Et hæc quidem in primis necessaria ars destinauit expurgādo cerebro, quod naturā cumulandis excrementis maximè est obnoxium. Expurgatur autem tutiùs confecto iam cibo quàm quum crudus venter est ciboque turgens. Pulmones interioraque thoracis expurgant, quæ bechica nuncupantur. Quanquam enim ex iis nonnihil detrahi potest in aluum, id tamen perexiguum est, ac maximam superuacuorū partem vel in pulmonum substantia vel in arteriis tum destillatione tum peculiari vitio congestā, necesse est impetu tussis expurgari. In id autem ea conferunt, quæ destinata pulmonibus, modò tenuiorem pituitam incrassant, modò lentam detergant crassamque attenuāt, idque quadā lenitudine: nā exasperātia, vt salsa, acida & acria tussim plerūque frustra ciēt: neque ex vsu sunt, nisi quum pigriorem vel imbecilliolem expultricē vim stimulare oportet. Commodè autem bechica in lentam ac crassam medicamenti formam aptantur, qualis eclegmatis est aut crassioris syrupi, ne liquidior præproperè illabatur in ventrem. Lenta quippe (præsertim si sensim ac blandè quasi lambendo demittitur) quoniam diutius subsistit obhæretque faucibus, maiore portione subit in asperā arteriam. Hanc tamen semper potulentorum liquore irrigari, præterquam quod Hippocratis sententia confirmatum est, cōspicue etiam in eo obseruauimus, cui ex vulnere gutturis sub larynge accepto, nec probè agglutinato inter bibendum sorbendūve nonnihil semper humoris emanabat.

Ita quidem medendi vacuandique ratio summis iam præceptionibus exposita videri potest, quæ tamen quoniam sola in vsu accommodari nequit, par est deinceps singula tum simplicia tum composita medicamenta illi subnectere, quæ tanquam artis instrumenta ad profligandos morbos comparari vsurparique solent.

LIBRI TERTII THERAPEVTICES, DE PVR-

GANDI RATIONE, FINIS.

II ij

# Methodi medendi liber iiii.

DE SVMMIS MEDICAMENTORVM GE-

NERIBVS ET FACVLTATIBVS.

## P R A E F A T I O.



**Q**UONIAM omnis motus & omnis effectio è contrariorũ diffidio at-  
que repugnantia proficiscitur, Natura dum mundi hæc vniuersita-  
tem assidue mutationi subiecit, simul eam necessariò variis diffidio-  
rum generibus quasi seminibus cõsperfit. Atque vt quatuor rerum  
primordia ignem & aquam, terram & aërem contraria instituit, ita  
& vnicuique quod ex iis ortu processit, aliud quippiã opposuit diffi-  
dij lege. Nullus igitur affectus subsistere potest in nobis, cui non pa-  
riter contrarium quiddam tãquam remedium illa protulerit. Nullãque vsquam est re-  
mediorum penuria, sed nostra eorum plerunque turpis ignoratio. Nullus toto genere  
immedicabilis est affectus, sed idcirco duntaxat aut quòd supra modum auctus omnem  
præsidiorum vim aspernetur, aut quòd imbecillæ iam vires curationis prolixitati suc-  
cumbant. Summa igitur sit in inuestigandis remediis sedulitas, & quæ singulis morbis  
profligandis propria & accommodata sint, nobis semper in promptu extet & quasi ac-  
ceruatim occurrant. In remediis quidem numerantur venæ sectio, cucurbitula, scarifi-  
catio, hirudo, vltio, sectio, huiusque generis nõ pauca, at pars eorum maxima ex medi-  
camentis petenda, de quibus nunc mihi iucũda tractatio. Ne quem verò immẽsam eo-  
rum quasi syluam ingressum offundat turbulenta rerum confusio, omnẽ medicamen-  
torum materiam posthac in classes quasdam referendam duxi. Sed in primis vt omnis  
eorum cognitio ex differentiis & generibus stabilita dilucidior sit & luculentior, pau-  
ca de his in vniuersum præmittam.

### Quid medicamentum, quòtque id modis in nos agat. Cap. I.



Quid actu.

Quid pote-  
state.

Quæ actu  
talia.

Quæ pote-  
state.

**M**EDICAMENTVM est quod potestate naturalem corporis cõstitutionem  
quoquomodo immutat. Eorum autem quæ nos immutat & afficiunt atque  
etiam agentium omnium alia vim suam agendi actu, alia potestate dunta-  
xat obtinent. Actu quidem, quæ ita promptam & expeditam illam habet,  
vt primo quoque contactu nos immutent, vt ignis, vt ferrum candens. Po-  
testate verò, quorum vis & facultas intus condita & quasi sopita nondum ita exercitur  
aut depromitur, vt primo quoque cõtactũ agat. Sic piper potestate calidum est & man-  
dragora facultate frigida. Iuuabit autem in hanc contemplationẽ paulò altius incum-  
bere. Prima & communia rerum omnium elementa, terra, aqua, aër & ignis, & quæcũ-  
que cælesti diuinòque calore sunt prædita, vt sol, vt animantes & stirpes, energia actũ-  
que vires habent easque sic promptas vt semper agant, nec vllius externi subsidij ope  
vel irritamento indigeant. Ignis quippe semper calfacit, & aqua semper refrigerat. Sol  
quoque perpetuò calfacit, & animantes quoad viuunt actu calidæ quemadmodum &  
stirpes omnes: quandoquidẽ suis facultatibus alimentũ continenter trahunt, coquunt  
& expellunt supervacua, cæterisque vitæ muniis fruuntur. Ex inanimorum quoque ge-  
nere magnes seu heraclius lapis facultate illa cælesti & quæ trans elementum est, vim  
actu habet alliciendi ferrum, & succinum actu paleas attrahendi. Si qua fortè alia com-  
perientur vim actu habere, vt lapis ferrum ve candens aut aqua feruida, nõ eã quidem  
insitam sibi, sed ascititiam habet, & ab iis acceptam quæ actu talia sunt. Reliqua omnia  
mundi mista & vitæ expertia corpora, præsertim verò medicamẽta, potestate duntaxat  
vires habent insitas, easque ex varia elemẽtorum commistione profectas. Hæ autem il-  
lorum consopitæ vires, ab iis in super excitari debent quæ actu viget: nec vllum potest  
medicamentũ insita facultate sua nos immutare, cirra nostri caloris opẽ. Non hinc qui-  
dẽ quòd calor noster vim vllã medicamento impertiat (oës enim hoc habet sibi cõge-  
nitas) sed quòd tacitas illas & otiosas suscitet & in actum proferat, à quibus deinde cor-  
pus no-

pus nostrum mutatur & afficitur. Calor enim noster medicamentum dum subigit eius naturam, temperamentum & alias quascunque vires detegit & explicat: hoc verò quasi proritatum communi rerum omnium cōditione reluctatur & obsistit, atque vicissim contagione corpus afficiens, omnes in id vires suas expromit. Sic piper aut pyrethrum etiam si actu frigidum sumitur, proinus vt depulso frigore à nobis incaluerit, suo ipsius calore nos acriter vrit: & vinum licet nos plerūque dum bibitur refrigeret ascititio frigore, mox tamen vt incaluit impēse calfacit. At verò lactuca, mādragora & quodcunque frigidum est medicamentum, primū quidem ascititio frigore, deinde quū incaluerit insito quoque nos afficit, quemadmodum & aqua frigida potus: haud absimili ratione quum purgans medicamentum calefit ac subigitur in nobis, purgandi vim suam exerit atque profert, qua dein corpus conturbat & peculiarem sibi humorem prolicat. Deleterium quoque venenatam qualitatem tum primū depromit & nos labefactare adoritur, quū calefit irritatūque vi nostri caloris. Ex his luculentius intelligi potest, nostrum calorem nullam medicamento agendi facultatem conferre. Vnde enim venenatam illam qualitatem fortiretur, aut cur eam sibi aduersissimā deleterio impertiret in suā perniciem? Ita igitur de his quæ actu & de his quæ potestate vim habent sentiendum. Medicamentum autem non ab actu, sed à potestate propriè definitur, piper enim & allium & lactucam & mandragoram propriè quidem: cæterum nec ignem nec niuē nisi fusa nominis appellatione medicamentum dixeris. Quicquid porro calidum frigidum aliterve appellamus, aut simpliciter aut cōparatè dicitur. Simpliciter & absolutè quod vim illam summam & impermixtam obtinet, vt ignis simpliciter calidus est, aqua absolutè frigida. Comparatè verò cuius vis & facultas contrarij quidem permissione repressa obrunditur, sed tamen cæteris adhuc in mixtione superior prepollet actūque profert, vt piper, vt lactuca. Quod huius est generis nec summè nec absolutè calidū vt ignis, sed homine eucrato (qui & vniuersæ substantiæ mediocritatem obtinet) calidius, & lactuca eo ipso frigidior est, ob idque talis comparatè dicitur: vt enim sumptū piper temperatum hominem calfacit, ita & lactuca eum ipsum refrigerat. Quòd si ad vnumquemuis hominem referre velis, quod vni calidum alteri frigidum plerumque videbitur. Ita igitur vires quæ tum actu tum potestate insunt, æstimandæ sunt in iis quæ per se non per accidens agūt. Per se id agere dicitur quod proximè nulliusque interuētū nos immutat, vt ignis, vt nix. Ex accidenti verò quod non proximè, sed alterius cuiusdā interuētū, vt aqua frigida æstuoso cælo corpori moderate effusa. Ea quippe primo occurſu atque contactu, ac proinde per se refrigerat: at certè quoniam cutem dēfat nihilque expirare aut dissipari sinit, insitum nobis calorem cohibens ac etiā intrò cōpellens conseruat atque auget, & idcirco corpus ex accidēte calfacit. Sic rheubarbarū licet occurſu primo aliquantum calfaciat, quòd tamen bilē quæ ardoris febrisque causa est expurget, accidente refrigerat: quemadmodū & calida medicamenta quęcunque febriū obstructions infarctūque expediunt. Hæ præcipuæ sunt & cognitu necessarię agendi efficiendique differētiæ. Nūc quo tota definitio particulatim explicetur, tradendū quot quibusque modis immutetur corporis nostri naturalis constitutio. Hæc quidem in tribus maximè posita est ex hisque cōstat, ex bona corporis & humorū tēperie, ex materiæ commoderatione, & ex formæ seu substantiæ integritate: nam & his tribus continetur humanum corpus, temperamēto, materia atque forma. Trifariā igitur id immutari potest atque triplex omnino statuēdum est nos afficientiū medicamentorū genus: vnum naturalem tum corporis tum humorum temperaturam mutat, vt quod impendiò calidū, frigidū, humidū, siccūve est. Alterū materiæ cōmoderationem, vt quod nimium densat aut rarefacit, adstringit aut laxat, incrassat aut attenuat. Tertiū corporis humorūve formā atque substātiā demolitur, vt quod illam deterit aut diripit ceu venenū, & quod illam detrahit aut pēnitus eximit, ceu quod septicū & purgans medicamentū appellamus. Et hæc quidem simplicia sunt genera. Postremū hoc genus propriè & maximè medicamentū est, alimēto prorsus aduersum. Vt enim alimēti ita & medicamēti propria ratio, ex ipsius substantia seu forma spectatur. Alimentū quidem est quod corporis substantiæ quodammodo simile, in eam tandem facessit atque cōuertitur, quam tum alicum interdū auget. Id si ita simile est vt in corporis substātiā conuersum, nulla interim aliena qualitate illā insigniter afficiat, simpliciter & absolutè alimētū dicitur, vt panis, vt caro, vt ouū. At si substātia quodammodo simile, exuperāte qualitate corpus

*Actu fieri.**Similitudo**similitudo**Quid simpliciter calid.**Quid per cōparationem.**Per se & per accidens.**Humanum corpus quibus constat, & quibus dissoluitur.**Alimentum.*

Medicamentum.

immutat, alimentum est medicamentoſum, vt lactuca, vinum generoſum, meſpilum, cotoneum malum. Quod porro ſubſtantia prorsus eſt diſſimile, ſimulque nulla eſt præditum qualitate qua corpus manifeſtè afficiat, id neque alimentum neque medicamentum cenſeri debet. At ſi in ſubſtantia nobis prorsus diſpari qualitates nimium exuperantes obtinet, ſiue à temperamento vt hyoſcyamus vt pyrethrum, ſiue à materia vt rhus, galla & alumen, ſiue à forma profectas, vt ſcammonium, vt arrhenicum & veneni atque deleterij genus vniuerſum, id prorsus & vſquequaque medicamentum eſt.

*De primis & ſecundis medicamentorum facultatibus. Cap. II.*



Prima qualitas.

Secunda qualitas.

**M**EDICAMENTVM aliud ſimplex, aliud compoſitum. Simplex appellamus quod ſpõte ſoliuſque naturæ beneficio emerſit, cuiuſmodi ſunt roſa & abſynthium. Compoſitum, quod arte & induſtria ex multorum permiſſione conſtat, talis eſt theriace. De ſimplici prior erit tractatio, de compoſito & compoſitionum formis poſterior. Vt igitur paulò antè ex triplici corporis noſtri conſtitutione tria nos afficientium medicamentorum genera ſtatuiſmus: ita & omnes ſimplicium medicamentorum vires atque facultates in tres ordines aut differẽtias diſtribuẽdæ ſunt. Aliæ enim ſunt quæ primæ qualitates aut facultates appellãtur, aliæ quæ ſecundæ, aliæ quæ terciæ. Prima qualitas ſeu facultas ex primorum elementorum permiſſione & qualitatũ ſimplicium tẽperamẽto proficiſcitur, eiũſque qualitatis vim & naturam imitatur quæ cæteris in temperamento antecellit. Ea enim licet contrariarum vi ſit reſpreſſa, quia tamen ſuperior eſt, vim agẽdi præcipuam obtinet, & medicamento nomen ſuum impertit. Aliàs autem vnica dominatur & vincit, aliàs verò duæ. Ab vna & ſimplici quatuor ſunt medicamentorum facultates, à quibus aliud calidum exiſtit vt piper, aliud frigidum, vt mandragora, aliud humidum vt oleum, aliud ſiccum vt aqua marina. Ex duabus qualitatibus quatuor quoque prodeunt coniugatæ facultates, à quibus medicamentum aut calidũ ſiccũque eſt, aut calidũ & humidũ, aut frigidum ac ſiccum, aut frigidum & humidũ. Hæc prima tum ſimplex tum coniugata qualitas atque facultas, elemento quidem actu ineſt, quia nullius cõtrarij permiſſione obtunditur aut impeditur: at medicamẽto illa ſolũ poteſtate ineſt, quia cõtrarij permiſtio impedit & cohibet vincẽtem qualitatem ne promptè & primo quoque occurſu agat. Quocirca piper dum actu frigidum eſt, non temperamento ſed aſcitiua qualitate tale exiſtit: eam autem vim & poteſtatem qua nos calfacit, ſibi inſitã habet & à naturæ primordiis accepit. Quoniam autem eorum quæ verbi gratia calida appellantur, nõ vna eſt omnium vis & æquò valida facultas, quatuor earũ gradus & ordines vſus diſtinxit. In primam ea claſſem referũtur quæ obſcurè necdum manifeſtè agunt, in ſecũdam quæ iam manifeſtè, in tertiam quæ vehemẽter, in quartam quæ ſummè atque extremè, vt quæ in calidorum genere deſcendunt eſcharãmque moliuntur. Deinde etiam vniuſcujuſque claſſis & ordinis, vt cuius non parua ſit latitudo, tres ſtatuantur partes, initium, medium & finis, vt eorum quæ ordine tertio calida dicũtur, alia in huius ordinis initio, alia in medio, alia in fine conſiſtunt. Secunda medicamentorum facultas ex eorum materia temperamenti ſiue qualitatis primæ vi perfuſa ſuſcitur. Eſt autem materia alia tenuis, quæ tum in corpus tum in humores ſeſe promptè inferit & inſinuat: alia craſſa atq; lenta, quæ hæret ac ſubſiſtit nec altè penetrare poteſt: alia mediocriſ, quæ ambarũ medias vires fortitur. Calor verò in quamcunque materiam inciderit, agẽdi vim atque celeritatem auget, quemadmodum & ſiccitas: at frigus & humiditas reprimũt & cohibent. Ex horum porro commiſſione varia, ſecundæ medicamentorum facultates emergunt, quarum hæc ſunt præcipuæ, ex methodo depromptæ. Incidens ſeu attenuãs & in-craſſans, Detergens & glutinoſum quod oblnit vel emplaſticum eſt, Exaſperãs & leui-gans, Aperiens & occludens, Dilatãs & coarctans & coãguſtans ſeu adſtringens, Rare-faciens & denſans, Relaxans & contendẽs, quod aſtringens & corroborãs, Attra-hens, digerens, diſſoluens & repellens, Emolliens & obdurans, Maturans ſeu pus mouens & corrupens ſeu ſepticũ, Agglutinãs & exulcerãs ſeu veſicas excitãs. Sarcoticum & exedens, Epuloticum & diſrumpẽs quod cauſticum vel eſcharoticũ eſt. Sic autẽ materiæ atque tẽperamẽti permiſtio illas profert. Medicamentũ quod tenuis eſt materiæ ſi pariter calidũ eſt, id que citra ordinẽ tertium vt petroſelinũ, hyſſopus, ſumptum quidem corporis

poris meatus exiguos aperit, ex humoribus tenues dissolvit, dissipat seu halitu digerit, hincq; sudores & urinas movet, crassos vero incidit attenuat seu comminuit: foris autem impositum cutem rarefacit & dilatat, ex alto quoq; corpore spiritus humoresq; trahit atque resolvit. At si iam quarto est calidiorum recessu, septicum habetur, quod nimirum aut vrit aut ulcerat aut vesicas excitat aut colliquat. Quod vero tenuis est materia si temperatum, aut etiam si pariter id frigidum existit ut acetum, intro sumptum aperit quoque & attenuat, sed ignavius quam calidum: ac foris indutum corpori quatenus frigidum est fluxionem repellit & eruptionis impetum cohibet, idque validius quam quod frigidum adstringensq; est, alius enim frigoris vim deducit. Quod vero eum media materia frigidum quoque existit, ut omphacium, portulaca, modicam fluxionem repellit ac sistit, hecat & adstringit. Medicamentum medioeris materiae quod una temperatum fuerit ut oleum simplex, relaxat, emollit scirrhus, conecquit, maturat atq; pus movet. At moderate calidum ut chamamelum, quia dolorem lenit, anodynum appellatur. Quod paulo calidius, sed citra tertium est ordinem ut absinthium, sumptum quidem aperit ora vasorum, glutinososque detergit humores, ac proinde venas meatusque omnes expurgat, & eorum obstructions expedit: quod tenuior materia quia celerius & sine detersione penetrat, non effecerit. Quod iam tertium caloris recessum superat ut colocynthis, aristolochia, non solum detergit, sed etiam quia acrius, partes ipsas vehementer exasperat & exulcerat, Eadem quoque praestat si foris corpori sit indutum. Medicamentum quod in crassa terrenaque materia temperiem quandam caloris frigorisque nactum sit, ut bolus Armena aut terra Lemnia, interiores meatus obstruit cutemque obturat, exasperata lenit, & soluta agglutinat: inferciens enim est aut emplasticum aut leuigas aut etiam glutinosum. Quod autem moderate seu calidum seu frigidum existit, ut rosa, ut myrtus laxiores partes contendit atque idcirco corroborat. At immoderatus velut ordine quarto calidum, ut calx, auripigmentum, arthenicum exedit estque septicum, causticum vel escharoticum. Immoderatus vero frigidum atque siccum ut galla, nux cupressi, ora vasorum sumptum non modo obstruit, verum etiam contrahit & occludit, meatus omnes coarctat seu coagustat, ipsos vero humores supra modum incrassat. Foris impositum cutem densat & adstringit, fluxionis impetum cohibet ac etiam repellit, & vulnus cicatrice obducit.

Ita igitur facultates secundas ex medicamento materia temperamento perfusa prodire quibus intelligere possit: quarum tamen singularum rationes luculentius posthac explicabimus.

### De Saporibus. Cap. III.

**V**T autem facultates secundae, ita & medicamentorum sapes ex eorum materia primis qualitatibus instructa prodeunt: quumque horum magna sit ex origine affinitas, optima ratione sapes indices erunt & internuncij primarum atque secundarum facultatum. Itaque calidumne quippiam an frigidum sit, tenuis an crassae materiae sapore internoscitur. At vero tertias medicamentorum facultates, ut purgandi peculiarem humorem, aut obtundendi venenum, aut aliam quampiam ex iis quas mox subiiciam, non sapor ullave sensuum qualitas, sed una patefacit experientia & observandi consuetudo. Novem autem saporum differentiae sunt, nec plures gustus notavit: acer, acidus, pinguis: salus, austerus, dulcis, amarus, acerbus, insipidus. Tres primi e tenui materia prodeunt, medij e mediocri, postremi e crassa atque terrena.

Sapor acer est qui linguam & os acrimonia ferit atque compungit, simulque calfacit & interdum quasi exurit: is maxime conspicuus est in pipere, pyrethro & euphorbio: quorum exemplo de caeteris inferioribus aestimandum. Suscitatur autem ex tenui, sicca calidaque materia, nec in alia consistere potest. Quicquid igitur acre seu mordicans gustu percipitur, id statim igneae naturae particeps est. Atq; si nondum vehemens est, sed citra tertium ordinem subsistit, ut hyssopus, petroselinum, feniculum, thymus, vim atque facultatem habet intro quidem sumptum penetrandi & meatus aperiendi, crassosque humores attenuandi: extrinsecus vero corpori insidens cutem rarefacit, humoresque elicit ac resolvit. Quod vero iam acrius est tertiumque calidorum ordinem excessit, & gustando praeter acrimoniam tenui vapore caput ferit, aut exurit papulasque excitat, ut sinapi, pyrethrum, euphorbium: aut vesicas infert, ut lepidium, cantharis, ranunculus: aut

*Acidus.* colliquat & putrefacit, vt sublimatum, chamælea & thapsiæ succus. *Acidus* sapor gustum quoque penetrat & tenuitate ferit, sed citra vllum sensum caloris: talis maximè in aceto deprehèditur, deinde etiã in succo mali citrei, in quibusdã malis punicis & cotoneis. Emanat hic ex tenui siccaque materia, cuius vel calor insitus putredine expirauit vt in aceto, vel frigidior intèperies tenuitati ab origine comes est, vt in aliis quæ cõmemorauit. Quocirca acidum penetrando & incidendo nihilo est acri infirmius, imò sanè ad hæc nihil quicquam est aceto valentius, præsertim si aut verus est aut stillaticium, hoc enim metalla, quæ admodum & citrei mali succus margaritas dissoluit. At verò non vt acris foris impositum dissoluit atque dissipat, sed contra repellit cohibetque fluxiones: idque validius quàm frigidum adstringens altius enim frigoris vim deducit. Sic acetum experimur & fluxiones repellere, & omnem sanguinis è naribus eruptione atque dysenteriam tum vapore suscitato, tum etiam fori cohibere, ipsasque hæmorrhoidas & immodicas vteri purgationes suffitu in se sive sistere, omnèque sanguinis reiectionem potum vel per se vel admista aqua promptissimè cohibere. Neque idcirco id inter adstringentia numerandum, longè enim ab his materia distat, sed vnus frigoris altè subeuntis beneficio fluxiones repellit, siccitate verò quæ planè valida est, eas atque sanguinis eruptiones sistit ac cohibet.

*Pinguis.* Pinguis sapor nec calore nec acrimonia gustu sollicitat, sed linguam orisque partes lentore quodam oblitit. Is præcipuè animaduertitur in oleo tũ simplici tum amygdalino, in butyro, in adipe qui nec vetustate rãcidus nec natura sit acrior, cuiusmodi leonũ est & vlpium. Pingui quoque sapore est althæa atq; eius & pŷlij mucus & tragacantha. In aliis plerisque tum adipibus tũ oleis, vt in ricinino, in amygdalino amaro, sub pingui alij quoq; sapores existunt: at verò non vnus simplèxque est horũ sapor, ita nec facultas nec materia simplex & vna. Nascitur pinguis sapor ex tenui non quidè ignea, sed planè aërea materia, quæ calore & frigore quodãmodo temperata sit. Atq; ea licet tenuis, sicca tamen nõ est: alioqui pingue perinde atq; acidũ & acris penetraret ac incidere. At certè humoris eiusque aërei particeps magis est: ac proinde præcipua vis eius atque facultas est relaxare, emollire & humectare.

*Salsus.* Salsus sapor linguã non admodũ calfacit, sed acriter siccãdo corradit. Hic in primis elucet in sale atq; in nitro, deinde moderatius in crithmo herba. In mediocri materia consistit cũ calore & siccitate. Aqueæ enim materiæ, (quæ nõ exquisitè simplex est) partes quasdã terrenas permistas calor externus tãdem præassans & vtrens atq; siccans, salsum saporẽ inducit: fitque à terreno sicco quod in aqueo humido caloris vi præassatum attenuatũque est. Neque igitur prorsum terrenus neque aqueus, sed ex amborũ permissione quandã materiæ mediocritatem sortitur. Neq; si ex calore processit hic totus manet, sed permissione obrunditur, siccitas verò maior conquiritur ac persistit. Quocirca falsum moderatè penetrat & incidit, corradèdo stimulat & expurgat, validè siccãdo tenues ichores absorbet, corpora cõseruat & à putredine tuerur: sincero tamè falsorũ esu & nimio, humores & sanguinẽ labefactari constat. Atq; salsus hic sapor secundũ naturam fit à calore nõ admodum acris, sed qui tamè sensim multoque tẽpore terrenas partes quæ sunt in aqueo humido exurit atque siccat: hinc in salso sapore siccitas maior quàm calor deprehenditur. Alius etiã falsus sapor arte præsertim alchymia profertur, ex siccissima planèque terrena materia, quã acerrimus calor extremè tũ exussit tum assauit. Nullũque corpus est in rerum natura è quo & calcẽ & proprium salem non eliciant alchymistæ, quẽ vnusquisque gustu percipiat & agnoscat, vt è fuligine, è vini facie, è nitro, huius enim axungia appellata, sal est. At verò omnis eiuscemodi impèfè calidus est, ac in plerisque causticus & qui pro cauteris vsurpatur.

*Austerus.* Austerus sapor os & linguã moderatè constringit & quadã asperitate coarctat: hinc quadamtenus siccat & refrigerat. Hic propriè crudus appellatur, estque immaturis fructibus peculiaris, vt in succo vuæ acerbæ, pomorum, pyrorum, mespilorum immaturorum, atque etiam in portulaca. Consistit in media materia quæ terrenæ & aqueæ particeps est, in qua nõ calor sed frigiditas dominatur & exuperat. Ac proinde austerum omne strenuè refrigerat, extinguit, cogit atque cõtrahit, fluxiones moderatè sistit atque repellit. Hęc autè frigiditate potius atque siccitate efficit quàm materiæ mediocritate. Quum enim in ea ipsa materia naturalis calor dominari cõperit & frigiditatem hanc euincet, quũque vi caloris terrenæ materiæ aquea exquisitè permista fuerit, & iam matura-

maturatio facta apparebit, depulsa austeritate in eadem materia succedet dulcedo. Sic enim crudorum fructuum austeritas maturatione dulcescit, non tam materiae quam qualitatis mutatione.

Dulcis sapor gustu suavis atque iucundus oblectat, nullaque qualitatis exuperantia molestus est. Eiusmodi conspicuus est in saccharo, melle, glycyrrhiza, polypodio, iuiubis & aliis plerisque fructibus: atque in omnibus lenientibus. Hunc tamen saporem caue ne cum pingui & oblinente confundas: licet enim affinis quodammodo, reipsa tamen diuersus est. Distat autem ab eo non qualitibus primis, quia uterque temperatus est aut obscure calidus, sed vna materia, quae in pingui tenuior est, in dulci paulo crassior, sed quae tamen non ultra mediocritatem procedat. Quocirca dulce quadatenus sed minus quam pingue relaxat, magis vero asperitatem lenit: praeterea quoniae & materiae & temperamenti mediocritatem obtinet, anodynum est, maturat, concoquit & pus mouet. Et hi quidem sapores in mediocri sunt materia: nunc de his qui in crassa consistunt.

Amarus sapor dulci ex aduerso oppositus, in suavis ac tristis sensum ipsum velut corradit aut diuellit. Eo insignis est aloë, deinde absinthium, centaurium minus, & colocynthis: quorum exemplo caetera dignosci possint. Crassa eius est materia atque terrena, quam exuperans calor praesaluit & excitauit: omnique amarum calidum siccumque est. Hinc sane praecipua vis detergendi & meatus expurgandi ei inest, idque cum calore non tamen extremo. Quum enim calor penetrando crassiusculam materiam secum deducit, ea quicquid obuium est seccum rapit, & abradendo expurgat. Et quo amarius medicamentum, eo valentius id efficit. Absinthium quidem moderatè: at aloë, aristolochia, centaurium minus, & colocynthis non expurgant modò & abstergent, sed & partes ipsas immodico usu exasperant atque corradunt & exulcerant. Hinc aloë ora venarum aperit profunditque sanguinem praesertim ab haemorrhoidibus, aristolochia interiores dirumpit abscessus, centaurium & colocynthis exulcerant secumque ramenta detrahunt. His autem ut intro sumptis infarctus expediendi, ita & ad motis fordida vlcera detergendi & expurgandi eximia vis est. Quinetiam amarum quia siccando superuacuos humores aut absorbet aut detergit, & dulcedini quae putredinis parens est prorsus aduersatur, ratione optima putredinem arcet & corpora diu integra conseruat.

Acerbus sapor austero finitimus, eo tamè grauior molestiorque est, ac magis linguam omnemque gustum constringit & exasperat: ac proinde magis tum siccatur, tum refrigeratur. Is luculenter in malicorio, in galla, in rhoe & cupressi nucibus conspicitur: atque in aliis quam plurimis quae acerbitate sunt his proxima. Eorum materia planè terrena est & sicca nec aquae nec humoris manifestè particeps, in qua non calor, sed frigus planè dominatur cum siccitate. Quoniam igitur frigida fluxiones repellunt, ut adstringentia humorum impetum sistunt & cohibent, ut siccantia coarctant atque densant, & vulnera cicatrice obducunt, ut verò terrena humores increassant.

Inspidus ἀπιος dictus, qui proprie sapor non est, sed saporis priuatio, nulla qualitate manifesta gustum ferit. Tali esse videtur farris genus vniuersum, & cucurbita & citrulus, quibus & alia plurima finitima sunt. His materia tametsi crassa quodammodo est, non tamen prorsus terrena & sicca adstringens, sed humore quodam etiam perfusa, qui tamen non exquisitè sicco permiscetur vi caloris. Et quum neque ipsius frigoris vis superet, accidit necessarìò ut nullo gustu sapor, nullo effectu qualitas aut facultas percipiatur. At nihilominus haec eorum materia quoniae verè emplastica est, meatus omnes & intus & foris infert & obstruit, exasperata lenit, & solura agglutinat. Quanquam autem hic sapor dulci affinis est, distat tamen quòd & in paulo crassiore atque crudiore sit materia, & à temperie aliquantum in extremum frigidius deurgat: dulcis verò sapor in calidius. Moderato enim ac miti calore bene concoquente plurima dulcescunt, ut fructus. Atque etiam in dulci non nihil inesse caloris argumento est, quòd dulcia non pauca ut mel vetustate aut coctura amarescunt.

Hi sunt igitur simplices omnes saporibus atque synceri, in quibus dignoscendis seorsum exercitari oportet. Ex sapore autem quae medicamenti temperatura & quae materia sit cognoscitur: ex his demum quibus id tum primis tum secundis qualitibus ac viribus sit praeditum.

Quibus verò saporibus variis inesse deprehenduntur, ut absinthio, quòd praeter amarorè

quæ primus est obuius, adstrictione quoque habere percipitur, diuersæ quoque substantiæ atque facultates, ut detergendi & adstringendi seu corroborandi insunt. E contrario quoque, si cui medicamento ut cichorio, facultates inerunt variæ, ut detergendi & refrigerandi, ex variis id quoque & ferè contrariis substantiis & saporibus constabit. Itaque è sapore siue simplex is est siue multiplex, de materia deque facultatibus medicamenti iudicari potest. Id autè facile ac certò fiet si simplex aut exquisitus sapor erit. At rarò admodum purus syncerúsque & solitarius inuenitur. In quibus igitur sapor non certò poterit medicamento vim atque facultatem exprimere, experientia succurrit ac supplet: atque etiam si gustu aut ratione videberis facultatem assequutus, eam tamen experimento identidem confirma. Multa enim plerunque solitaria meditatio & probabilis ratio 10 suadet, quæ usus & experientia coarguit. At ne te fallax experientia decipiat, etiam atque etiam caue ne effectum, qui per accidens à medicamento processit, primùm ac per se editum esse iudices.

*Quibus obseruationibus statuendi sint facultatum ordines. Cap. IIIII.*



**V**T in primis ita & in secundis facultatibus virium ordines quatuor habendi sunt: atque in adstringentiũ vel attenuatiũ genere, primæ classis existunt quæ obscurè id agunt, secundæ quæ manifestè, tertiæ quæ vehemèter, quartæ quæ summè ac extremè. Rursum vnus cuiusque classis seu ordinis & initium quoddam est, & medium & finis. Multorum simplicium facultates veterum 20 diligentia & obseruatione in ordines digestæ sunt, quarum imitatione & exemplo quæ desunt referri in eosdem possunt. Id autem consideratiùs & circumspectiùs agendum, iis nimirum æstimatis & obseruatis quæ simplicium vires minuunt vel augent. Ea sunt regio, tellus, situs, tempus, cultura & præparatio. Ut enim similes vitis palmites diuersis regionibus atque locis depacti diuersa vina, ita similia semina regione atque tellure varia, stirpes proferunt facultatibus viribusque varias. Regio calida & æstuosa, omnia edit profertque acriora & vehemètiora: hebetiora verò frigidior & humidior. Origanum, hyssopum & satureiam aduectas è Cappadocia aut Creta, iis duplo aciores deprehendimus quas nostra Gallia protulit. Tellus arenosa atque sicca, acriora quoque edit, quemadmodum inculta atque deserta: frigida verò palustris & vliginosa, & quæ multa cultura magnòque labore subigitur vberiora & lætiora, sed multò ignauiora. Collis in austru 30 decliuus præstantiora gignit quàm in aduersum Aquilonem deciduus. Vere & æstate media stirpes omnes dum multo succo eoque maturo & probè cocto turgēt, validiores sunt quàm autūni fine, quum deciduis foliis & exhausto succo effectæ manēt: semperque prior germinatio posteriore vtilior. Adhæc tempore frigidarum humidarumque stirpium vis hebescit quum iam planè inauerint: calidarum verò siccarumque inualescit. Etenim althæa aut malua quæ prorsus arida sit, nec humectat nec probè emollit: neque plantago, aut solanum, aut semperuiuum quum proprio humore destituitur, commodè refrigerat. Origanum verò, hyssopus, aut thymus conuenienter arefactus, dissipato humore aqueo multo magis tum calfacit tum exiccat. Præparatio quoque arte quæsita simplicium vires auget 40 vel imminuit. Nam calida attenuatiã atque detergentia, si sensim arefacta & in puluerem redacta offerantur, multo præstantiores habent vires, & effectus edunt manifestiores, quàm virentium expressus succus: atque hic validior est quàm aqua in qua illa fuerint incocta. Non enim ut quidam prodidit, aqua simplex tãquam communis sit materia omnium quibus permiscetur, cum calidis calfacit & cum frigidis refrigerat, sed perpetuò calidorum & attenuantium quæ incoquantur vim obtundit. Quinetiam coctio 50 omnis eorum quibus tenuis est materia, vim aut minuit aut prorsus dissipat: crassiorum verò ut metallorum, adstringendi siccatique facultatem auget. Lotio quoque incidendi atque detergendi vim aufert, emplasticã verò auget. Horum igitur atque similium obseruatione prætermissa, statui certò non potest quàm valida sit vllius medicamenti facultas. In æstimandis autem simplicium medicamentorum viribus, hisque in classes digerendis, veterum imitatione omnia ex mediocri tum loco tum regione tum præparatione quærenda sumendaque sunt. Hic porrò non minus obscura quàm cõtrouersa quæstio existit, qua quãtitate designati sint in medicamentis facultatum ordines. Quum enim quod secundi est ordinis calidorum aut detergentium copia maiore sumptum, æquè validè vel etiam validiùs calfaciat aut detergat, quàm quod est tertij ordinis copia & quantitate

quãtitate minore acceptum : constat profectò simplicium vires & ordines ex pari eorũ quãtitate cõstituendas esse. Sed quãnam ea quãtitas est atque mensura? drachmãne an vncia? & quod gradu secundo calfacit drachmã pondere, si vnus vnciã pondere sumatur tertio calfaciet atq; necessariò in varias classes erit referendum. Hinc nõ minũ difficilis suboritur disputatio de dosi cõstituenda medicamenti alterãtis, quod nimitũ aut prima aut secunda facultate agit. His dissoluendis nõ pauci vehementer estuant, atque rei tam arduã interpretationem in iusti libri magnitudinem auxerunt, quam tamen ita paucis cõplectar. Medicamenti cuius vim experiri volumus quãtitas ea fit mediocritate, quã nõ protinus exolefeat aut deficiat. Nõ enim scintillã vis & calor quantum sit (summus autẽ est perinde ac totius ignis) percipi potest, quòd prius extinguatut quã in nos agat : neque piperis aut pirethri minima portio. Quum autem moderata & iã insignis medicamenti quãtitas ad experiendum sumitur, mandendo estimandum & perpendendum non quantum aut quã latè, sed quam vehementer aut acriter agat. Piperis enim granum si manditur, os & linguam acrius & vehementius calfacit quã vncia feniculi: ac proinde piper toto genere censetur feniculo calidius, licet vncia feniculi plures oris partes ac latius calfaciat. Quã pari mensura sunt, si pari quoque acrimonia & vehementia agunt, pari statuuntur ordine: si verò impar sit agendi vehementia, diuerso. Sic igitur facultatis robur & ordo designetur, efficiendi qualitas & vehementia spectanda.

20 Iam verò in præstituenda dosi alterantis medicamenti, alterandã seu mutandã partem amplitudo atque situs æstimeretur. Affectionis quã in ea parte est (seu intemperies fuerit seu obstructio) magnitudo, alterantis medicamenti ordinem præscribit: si enim pars frigida sit ordine secundo, medicamentum opponetur quod secundo quoque sit ordine. At qua id quantitate sit offerendum, ex affectã partis magnitudine atque situ decernitur. Si magna pars est quã laborat aut longè ab occursum medicamenti distita, largius: si parua aut medicamento obuia, parcius & minore dosi id offerendum est. Crudum aut refrigeratum ventriculum sex octòve piperis grana calfaciunt, quã ad refrigeratum vterum nihil aut minimum contulerint : & æstuantem oculum aquã rosacã femuncia recreat, quã concalfactum caput nihil iuuat. Horum igitur obseruatione & prudentis medici iudicio, alterantium medicamentorum dosis præscribenda.

30

*De tertijs medicamentorum facultatibus. Cap. V.*

**T**ERTIA medicamentorũ facultas de qua mihi dicendũ restat, non è temperamento, nõ è materia, sed è tota rei substantia atque forma primũ ac per se proficiscitur: ac proinde occulta totius substantiã proprietate appellari solet. Ab hac duã medicamentorũ differentiã prodeũt: alia enim euacuantia, alia duntaxat alterantia. Euacuant quã totius substantiã familiaritate atque similitudine peculiare sibi quiddam proliciunt. Horum rursus alia è toto corpore, alia ex vna quapiã particula trahunt: quã è toto corpore, purgãtia dicuntur: & eorum quãdã attractum humorem vomitione reddunt vt asarum & veratrum album, quẽdam deiectione vt rheubarbarum & scammonium. Quẽ ex vna quapiã parte, aut ex cerebro per os atque palatum vt apophlegmatismi, aut per nares vt errhina, aut ex vtero per ceruicem superuacuum humorem trahunt, vt aristolochia. Ceterũ quẽ vel vrinas cient vt petroselinum, vel menstruas purgationes vt artemisia, vel excreationes mouent vt hyssopus, quoniam non attrahendo, sed vel detergendo vel extenuãdo atque penetrando excrementa depellunt quodãmodo euacuantia, non tamen purgantia ritè dici possunt, nõ enim similitudine trahunt. At verò alexiteria & alexipharmaca, id est quã aut venenũ aut deleterium medicamentũ proliciunt amolianturque similitudine, vt schistum lac, agaricum, dissecti pulli gallinacci calentes percussã parti applicati, scorpius ipse proprii inflicti veneni alexiteriũ, iure inter euacuantia connumerantur, nec tamen propriè cathartica dici debent. Huius quoq; classis sunt quẽ vulnere foris imposita tela atque spicula euellunt & euocant, vt radix arundinis. Hã sunt igitur eorum differentiã quã totius substantiã proprietate euacuant. Quãquam autem quã primis aut secundis facultatibus agunt, alterantia propriè nuncupantur, multa tamen tertijs etiam facultatibus, seu tota substantia alterant. Ea sunt quã abdita proprietate

50

totam rei substantiam immutant, atque rem ipsam demoliuntur ac prorsus corrumpunt. Horum alia sunt deleteria, alia antidota & antipharmaca. Deleteria quidem sunt quæ propriè venena dicuntur. Quum enim venenorum, id est eorum quæ præsentanea vi nos interimunt, alia id manifesta, sed tamen violenta & excellenti qualitate præstent, ut euphorbiū vrendo & opiū stupefaciēdo: alia verò qualitate occulta, hæc sanè non illa veneni appellatione cōplectimur. Hæc igitur rotius substantiæ dissidio nobis infensa noxiæque sunt, ut dryopteris, pityocāpe & hydrargiros: ut venenatarum bestiarum ceu scorpj, phalāgij & rabidi canis ictus. Etenim cū salua hæc virus ictu eiaculatur, quod sensim intrò subiens ac prorepēs, in principes tandem partes insilit earumq; vires ac substantiā dirimit. Priora verò intrò sumpra quum nequeunt à nostro calore do- 10 mari atq; vinci, hunc tandē omniumq; facultatum substantiā peruertunt. Antidota verò & antipharmaca deleteriis planè cōtraria sunt, eaque totius substantiæ dissidio sic immutant & obtundunt, ut ne minimū dein nos queāt offendere. Horum alia haustum vel iniectum venenū aut etiam deleterium medicamentū, totius substantiæ contrarietate ac dissidio frangunt obtunduntque aut prorsus extinguunt, ut citrij semen. In hoc genus pertinent & quæcunq; pestilentes aliòsque epidemios morbos profligāt aut arcent, ut mithridatium. Alia virulentarū bestiarum ictibus medentur, ut alyssum & pimpinella rabidi canis: quorū ampla est tractatio, & eximia vis medēdo. In hoc porrò tertiarum facultatū genus referenda sunt quæcunque vnicuiq; corporis particulæ aut iu- 20 uandæ aut lædēdæ addicta creduntur: pro quibus nōnulli frustra quartas medicamentorum facultates indixerunt. Etenim salua cerebrum idcirco iuuat & corroborat, quòd illi totius substantiæ similitudine familiaris sit: qua ratione & buglossum cordi, & eupatorium iecori, & scolopendrium vel asplenium lieni gratum familiarēq; est. At verò rotius substantiæ dissidio atque repugnantia, lepus marinus solos pulmones, cantharis vesicam solam exulcerat. Tertia hæc medicamentorum facultas, quia extra sensus est humanos, nec sapore nec odore nec tactu, nec vlllo denique sensu nosci deprehēdive potest: sed vna obseruatione & experientia, quæ vsu longo & artis exercitatione bene stabilira confirmatāque sit.

το δ' αρω-  
παυ, unde  
η δ' αρω-  
παυ  
experimen-  
tum.  
η δ' αρω-  
παυ.  
ο δ' αρω-  
παυ.

Hic autē appositè de experiūdi ratione pauca subnectere videbor. Experiri est quippiam effectu probare. Alia enim sensu aliquo cōprobantur, quorū est certissima cog- 30 nitio: alia ratione probabili, quæ tamen è sensibus ducta deriuatāque est: alia vsu & effectu atque euentuum obseruatione. Hæc igitur rerum notio quæ ex crebra euentuum obseruatione habetur, propriè dicitur experientia: ut alia cognitio sensu, alia demonstratone vel opinione, alia experiētia percipiatur, & experiens qui experientia doctus euasit. Ea autē experientia nosci debēt, quæ nec sensus percipere nec ratio vlla cōsequi potest: atque hæc sorte sola vel casu deprehenduntur: ac sæpe diūque quæsitæ, fortuitò plerunq; inueniuntur & occurrunt nobis. Sic sanè & purgātium medicamentorū & alexipharmacorum cognita vis est. Nō quod semel duntaxat, sed quod identidem atque similiter & eadē rerum omnium concursione sæpius euenerit, experientiā gignit. Quumque effectus aliquis sæpius obseruabitur ex causā quapiā proficisci (cauēdum ta- 40 men ne causarum similitudo nos eludat) vis huius atque facultas erit experimento cognita. At nihilominus ex aliquo experimento interdum affinitate rerum ducimur in alterius experimenti inuestigationem.

*De medicis ponderibus, & mensuris. Cap. VI.*

**R**ERVM omnium æstimatio aut numero fit, aut pōdere aut mensura. Numeri vna est & eadem apud omnes vbique gentium ratio, non etiā ponderis aut mensuræ, sed maxima horum varietas, & vniuscuiusque ditionis suum pondus suæque mensura, patrio nomine insignita. Sed tamen quoniam rerum omnium maximè quæ ad medendi vsū comparantur, certas & 50 communes esse leges oportet, certa quoque & omnibus communia decet esse pondera, ut vna lege vna sit omnium gentium consensus. In id autem stabiliendum in primis est pondus minimū seu minutum, è quo (velut in numeris ab vnitæte) additione continua aucto prodeant cætera pondera. Id quidem est granum omnium ponderum minimum, è quo fiunt obolus, scriptulus seu scrupulus, drachma, vncia, libra: & quæ ex his componuntur, semuncia, sescuncia, selibra, sesquibra. Granum igitur cui tanquā basi reliqua

reliqua innituntur pōdera, raturum cōstānsque esse decet: neque id granum esse hordei, neque tritici, neque ciceris, neque frugis vllius aut leguminis, quòd nullius par sit vbi- que gētium pondus. At verò numarium minutum, quod aurifabri granum appellāt, & Latinè momentum dici potest, omnibus mundi nationibus vnum idēque est & stabi- le: quod auti sacra fames & opū furiosa libido, inuiolatè & incorruptè seruat, idque si- gnis & exemplaribus vndique identidem collatis. Hoc igitur nobis sit omnis ponderis initium: è quo medicinarum pondera recepta nunc lege stabilita sunt hoc pacto.

	Obolus	ϑβ	pendet	gr.x.
	Scriptulus seu scrupulus	ϑj.		gr.xx.
10	Drachma	ζj.	ϑ.iiij.	gr.lx.
	Semuncia	ζβ		ζ.iiij.
	Vncia	ζj.		ζ.viiij.
	Sescuncia	ζj.β		ζ.xij.
	Quartarius seu quadrans	quart.j.		ζ.iiij.
	Selibra	ιββ		ζ.vj.
	Libra	ιβj.		ζ.xij.
	Sesquilibra	ιβj.β		ζ.xviiij.

Ita numarium pondus quod non modò numularij, sed & mercatores vsurpant, vul- gare medicū superat quincunce: estque ad id proportione sesquiquinta Geometris ap- pellata. Nam drachma numaria pēdet gr.lxxij. & vncia quæ drachmis quoque his octo constat, pendet drachmas medicas ix. & gr. xxxvj. siue vnciam medicorum vnam cum drachma vna & granis triginta sex: libra verò numaria quæ vnciarum est xij. (nam est vbi xiiij. est vbi xvj. aut xviiij. aut xx. vncias habet) pēdet medicorū ζ xiiij. ζ ij. & gr. xij.

Atque hæc ita licet pharmacopolarum & recentium medicorum vsu recepta cōfir- maraque sint, certiora tamē & iniquitati ac fraudi minus opportuna pōdera retinere si velimus, in ea re præsertim in qua vel leuissimum detractum momentum non solùm errorem, sed etiam periculū create potest, præstitit vt momentū numariū, ita & cetera inde prodeuntia pōdera vsurpare, vt vna eadēque sit vbi que gentiū certa & constās medicis & pharmacopolis pōderū mēsurarūque regula, quæ & aliis omnibus. Itaque obolus grana xij. semiobolus sex, scriptulum xxiiij. drachma septuaginta duo pēdebit, cæteraque ad horū proportionem. Quæ pōderis ratio veteribus medicis vsitata fuit, in scriptulo xxiiij. gr. constituentibus: quod τὸ γράμμα vox pro scriptulo Græcis vsurpata a- pertè demōstrat. Propterea enim γράμματα ipsis appellantur, quia tot minutis scriptulū constat, quot nimirum apud eos sunt literarū figuræ. Idem ratio quoque ipsa cōprobat. Quū enim scriptulū siliquas sex pondere æquet, & siliquā πέντε quatuor æquent, scri- ptulum quatuor & viginti frumenti grana pendeat necesse est. Antiquū autem pondus imminutum & adulteratum propolarum auaritia fuisse credibile est, qui quàm possunt maximo coëmunt pondere, quæ postea diuendant quàm minimo.

Hæc igitur pondera sunt, quibus hodie omnia referuntur ad lancem, vt aliis frustra sit opus. At ne iis deesse videar qui veterum ponderum interpretationē desiderāt, illa quoq; paucis cōplectar atque subiiciā, quæ Græcis, Latinis & Arabibus vsurpata fuere.

### Pondera.

Granum numarium basis omnium ponderum, tanquam minutum & λεπτόν, ob id mi- nutia appellatum.

	Chalcus siue	} pendet gr. ij. siliquæ dimidium.
	Æreolus.	
	Siliqua Latinis, cera- tion & dichalcum	} pendet gr. iiij. Chalcos duos.
	Græcis, kirat Arab.	
50	Semiobolus,	} pendet gr. vj. æreola tria. Siliquam vnam & dimidiam.
	ἡμιόβολον, da- uic Arab.	
	Obolus	} Scriptuli dimidium, pendet gr. xij. seu siliquas tres, chalcos sex.
	Onolofat Arab.	

Scriptulū, gram-  
ma Græcis & δισ- } pendet gr. xiiij. seu obolos duos, chalcos xij.  
βολον dictum.

Semidrachma siue *σείδιον*,  
ilarium Oribasio, victoriatus } pendet gr. xxxvj. Sescuiscriptulum.  
Scribonio & Celso.

Drachma Attica,  
holce quoque Græcis di- } pendet gr. lxxij. scrupulos tres, obolos sex.  
cta, vnciæ pars octava.

Denarius Romanus paulò grauior est drachma, vt denarij duntaxat septem sint <sup>10</sup>  
in vncia. Hinc que Celsus & Scribonius qui pro drachma vertunt denariū, septē solūm  
drachmas ponūt in vncia: Plutarchus tamen, Galenus & Plinius dum Latina aut Græ-  
ca transferunt, denarium drachma, & drachmā denario quasi nil differant reddide-  
runt, pro vnciæ parte octava.

Sextula }  
Hexagium } pars sexta vnciæ, pendet scrupulos quatuor.  
Aureus }  
Solidum }

Sicilicus pro didrachmo apud Scribonium pendet 3 ij. Assarius & *ἀσάριον* quoque ap- <sup>20</sup>  
pellatur quod duodenis obolis, sicut as vnciis constat.

Duella sextulas duas 3 viij.

Stater est semuncia 3 β, seu 3 iij. Dupondium quoque dicitur, pendet-  
que Assaria duo.

Vncia Attica libræ pars duodecima pendet drachmas octo, seu tradente Celso de-  
narios Romanos septem.

Romana libra }  
Pondo } pendet vncias xij, siue drachmas xcviij.  
As }

Mna siue Mina Attica paulo grauior est, pēdetque drachmas centum, seu vncias <sup>30</sup>  
xij, cum dimidia.

Quamquam autem propriè ac libra dicitur, plerumque tamē & rem vnamquam-  
que solidam & integram significat: vt que libra ita res quæque in partes xij, distribuitur  
quæ totius sunt vnciæ: aliæ verò partes sic Latinis appellari solent.

As, libra, res ipsa tota.

Vncia pars est assis seu totius duodecima.

Sextans	} vnciæ	duæ
Quadrans		tres
Triens		quatuor
Quincunx		quinque
Semis		sex
Septunx		septem
Bes & octunx		octo
Dodrans		nouem
Dextans		decem
Deunx	undecim	

#### Mensura.

Iam verò de mensuris: quoniam magna in his & incerta est varietas, rectè quidem <sup>30</sup>  
videntur exoleuisse, ac pro illis concauis quibus tum arida tum liquida veteres dimeti-  
ri solebant, libras & pondera nunc passim medici vsurpant: nisi fortè quum virètes her-  
bas præstituunt quarum non adeò exquisitum pondus desideratur: has enim pugillis  
& manipulis mensurant.

Manipulus m. quantum manu comprehenditur.

Pupillus p. quantum digitis tribus capi potest.

Potest tamen quisquis volet cōcauas mensuras ad liquores præsertim sibi cōparare,  
easque

easque ponderibus coaptare, vt alia sit libræ vnus, alia duarum, alia trium, aliæ que aliorum ponderum capaces.

At nihilominus veterum mensurarum quæ tum aridis tum liquidis accommodabatur, hîc interpretationem subiiciam.

Cochlearium mensura minima, capit vini mediocris substantiæ seu flauis 3. j. & 3. β.

Cheme, mediocre seu minus Cochlearium, capit cochlearia parua ij. seu 3. ij. 3. j.

Mystrum seu cochlearium magnum ligulæ par, cochlearia parua ij. β. seu 3. ij. β.

Concha mystra ij. chemas ij. β. cochlearia v.

Cyathus conchas ij. mystra iiij. Cochlearia x. seu 3. i. β.

10 Acetabulum Græcis oxybaphon sesquicyathum, conchas ij. mystra vj. cochlearia xv. seu 3. ij. 3. ij.

Quartarius τέταρτον ή μικροτύλιον, sextarij pars quarta, cyathos ij. Cochl. xxx. 3. iiij. β. oxybapha ij. mystra xij.

Hemina seu cotyle seu tryblium & ή μέσησον, dimidia sextarij pars, hemisextarius Parisiensis: continet quartarios duos seu 3. ix. cyathos vj. oxybapha iiij. mystra xxiiij. cochlearia lx.

Sextarius Græcis ξέσης, mensura omniũ vfitatissima, congij pars sexta, heminas duas, quartarios quatuor, cyathos xij. seu 3. j. β. cheopina est Parisiensis.

Chœnix Græcis, modulus Latinis, sesquiseptarius est, 3. ij. 3. iiij.

20 Congius Græcis, Chus, sextarios sex, 3. ix. quartarios xxiiij. Pintæ tres sunt Paris.

Vrna congios quatuor, sextarios xxiiij.

Amphora } idem, urnas duas, sextarios xlviij.

Quadrantal }

Merreres & Ceramium Græcis, } capit congios seu choas xij. sesquiamphoram.

Cadus Latinis, } sextarios lxij. seu 3. c. viij.

Culeus capacissima Romanorum mensura, continebat amphoras xx, sextarios 960. congios 160. urnas 40.

Aridorum verò mensuræ Romanis hæ fuerunt, quæ & liquidorum communes erant præter modium:

30 Ligula par mystro.

Cyathus capit ligulas iiij.

Acetabulum ligulas vi.

Quartarius acetabula duo.

Hemina acetabula iiij. ligulas xxiiij.

Sextarius heminas duas, quartarios quatuor, acetabula octo.

Semodius sextarios octo.

Modius sextarios sedecim.

Medimnus chœnicas 46. sextarios 72.

40 Hæ liquidorum mensuræ vino præsertim dicatę fuerunt, quod si mediocris est substantiæ, referetur ad id quod dixi pondus. At quoniam oleum leuius est vino parte nona, mel verò grauius vino parte dimidia, quæcunque mēsurā capit mellis vncias xv. capit vini vncias x. & olei ix. Eaque proportio in mensuris omnibus obseruanda: quæ si iniquæ fuerint, pondus quod minimè vnquam fallax est, iis erit pro lege.

*De componendorum medicamentorum causis. Cap. VII.*

50 **V**T morborum ita medicamentorum genus duplex statuendum, vnum simplex, compositum alterum. Simplex medicamentū appellatur, quod spōte sua tale exortum est, nihil nostra adeptum industria. Hoc autē aliàs vnica, aliàs pluribus tum substātiis tum facultatibus præditum est: vnica vt piper, pyrethrum, euphorbium, quorum substantia omnis prorsus tenuis calidæque est: pluribus vt rosa & absynthium, quæ mediocri substantia detergant, crassa & terrena corroborant: & rheubarbarum quod tenui purgat, terrena aluum & sanguinem sistit. Hoc eorum genus possis quodammodo, nempe naturâ & prima origine compositū appellare, quod varias illas tum substātiis tum facultates ortu sint nacta. Cæ-

*Compositum medicamentum quale.* terum hoc loco compositum dicimus quod nō ipso ortu, sed arte operaque nostra tale euasit, vt theriace, mithridatium, & quodcunque ex multorum permistione cōstat. His tamen nō ars vires contulit, sed duntaxat simplicia cōuenienter miscuit, e quorū actione mutu naoua & incomperta vis tandem emerfit. Miscendorū autē & cōponēdotum medicamentorum magna fuit tum ad simplices tum ad cōpositos morbos necessitas.

*Cōpositionū medicamentorum necessitas.* Simplicem morbum simplex plerumque medicamentum, quod paribus sit viribus tollit. Quūque simplex aliquod existit, quod citra vllam corporis & virium offētionem morbum prorsus depellat, quia omnium præstantissimum, nulla compositio permistione quærenda: neque quod simplici effeceris, composito tentandum. Etenim cōposito prius est simplex & certius & exploratius, neque eius quod vel optima ratione compositum sit, ante experiētiā tutus ac certus vsus esse potest: nā multa plerūque nos consentanea putamus, quæ permista tacitis sese viribus perimunt atque demoliuntur. Optimum igitur & in primis cōducibile sit, ad vnumquemque affectū simplicem præstantissima simplicia tanquā remediorum bases accommodare, & in promptu habere, non gustu modò & ratione, sed experimento quoque & vsu longo cōprobata. At verò quoniam non semper cuique morbo peculiare remediū licet opponere, ad simplices etiam affectus multis de causis necessaria fuit medicamentorum permistio.

*Prima componēdi causa.* Prima quū, vt dixi, simplex medicamentum deest curando morbo prorsus oppositum, eius enim penuria compositū vsurpamus, cuius vires sint morbo pares. Vt quū intēperies affligit numeris duobus à mediocritate distans, si nullum in promptu medicamentum sit frigidū ordine secūdo, duorum quæ primi & tertij sint ordinis pares portiones temperatæ, cōpositum efficient ordinis secundi & depellendo morbo accommodatum. Eadem in detergētibus, attenuantibus atque cæteris permiscendis est ratio.

*Secunda.* Altera componēdi causa ex simplicis medicamenti vitio depromitur, quod aut imbecillum est, aut malignum. Imbecillum seu ignauum ac pigrum, acrioris permistione excitatur, vt rheubarbarū spica vel cinamomo, senna ginzibere, agaricus & turbith ginzibere quoque aut sale gēmeo: aloë asaro, spica, xylobalsamo: absinthium cinamomo: & quorū vis in crassiore materia fixa inhærescit, si altiùs aut longiùs deducenda est, attenuatium aut acrium adiectione impellitur. Nonnunquam tamen & hæc agendi celeritas præparatione cōparatur, præsertim trituravel coctione. Asarū enim aut piper aut calaminthe diligēter trita cribròq; tenui creta, longius penetrat, validiùsque aperit ac digerit. Æs quoq; chalcārū, alumen aliāque metallica vltione tenuitatem acrimoniāque nāciscuntur. Quod porrò malignū aut prauū medicamentū fuerit (si qua eius vtēdi necessitas est) benignioris permistio obtunditur: vt scammonij atque etiam aloës acrimonia, mastiche, tragacantho, cotoneo malo, rosis, phœnicobalanis: venenata qualitas, dictāno, scordio: ellebori nigri malignitas, aniso, dauco, cumino: æruginis ad malignorū vlcerum deterfionē acrimonia retunditur olei & cerę permistione in Ægyptiaco, aut aquis astringentibus: vis opij narcotica ne quid officiat, castorio & croco emēdatur: hæc quoque correctio interdū præparatione fit, vt ne aloës acrimonia venas exedat lotionē eximitur, & æs vltum lauatur, vt sine morfu cicatricem inducat.

*Tertia.* Tertia cōponēdi causa ex affectæ partis substantia, situ, præstantia atque sensu existit. Quū enim pars densa longēque à remediis distita fuerit, vt ren & vterus, plerūque attenuantia basi permiscemus quæ eò penetrent, plerumque alia quæ substantiæ familiaritate basim, id est præcipuum simplex medicamentum eò dirigant: vt medicamentis cephalicis betonicam, pulmonicis hyssopū, cardiacis buglossum, hepaticis agrimoniū, splenicis scolopendrium, hysterics artēmisiam. Pars quoque nobilis aut exquisiti sensus (si basis vehementior fuerit) aliud quiddam sibi tota substantia familiare misceri postulat, & quod se suūque robur conferuet. Ea propter quæ visceribus accommodantur medicamenta, corroborantibus fulciuntur, & quæ sub alimenti sunt specie, vt medicata vina, quia minus molesta, cæteris antecellunt. His igitur de causis simplex affectus compositum plerumque medicamentum postulat.

*Quarta & postrema.* Quarta & omnium maximè necessaria componēdi causa est affectuum varietas. Quot enim simplices ij fuerint, totidē facultates iis opponētur, neque vlli simplici vis est depellendi compositū affectum: quandoquidē simplex simplici, non autē cōposito contrarium est. Si quod ortu simplex varias tum substantias tum facultates sortitū est vt satis sit composito affectui tollendo, bene est: sin minus, permiscenda tot erūt simplicia quot fa-

quot facultates expetuntur. Si simplex quidem est morbus, sed quæ vel sua interior causa, ut humoris lentor, vel symptomatis grauitas, ut doloris sæuitia comitatur, necessaria est medicamenti cõpositio, quæ in singulos affectus referatur atque pertineat. At multo magis si multi iique dissimiles morbi, ut intemperies & obstructio in eadem partem concurrant: aut etiam si partibus ij diuersis infideant, ut iecoris calida intemperies, renum calculus, & vteri obstructio menses supprimens. In his igitur necesse est medicamentum ex iis componatur, quæ sigillatim vnumquæque affectum depellant. Quum multæ cõpositionis bases collectæ fuerint, addenda fortassis his rursus erunt quæ singulas illas vel adiuuent, vel emendent: ut iam inde non paruus simplicium numerus accrescat. Sic enim fiunt quæ polychresta medicamenta veteres appellarunt.

Hæ igitur causæ quatuor, nempe simplicis medicamenti penuria, eius peruersitas, affectæ partis conditio, & affectuum varietas, efficiunt ut necessaria sit medicamentorum cõpositio. Sunt & aliæ quædam causæ non eę tamen necessarię, sed vel vtilis vel iucundæ, utilis quidem est medicamenti forma, quod solida potētius trahat, liquida commodius penetret & eluat. Quocirca medicamentum in catapotiorum formam accommodamus, quum potentius è capite & è distantioribus locis trahere: in potionem verò quum ventriculum & præcordia expurgare, & in omnia penetrare consilium fuerit: sic quoque si dolor leniendus est, aut emolliendum quippiam est, vnguentum: si verò euocandum quippiam aut dirigendum est, emplastrum potius vsurpamus. Adde quod quadam utilitatis specie medicamenti formam vtētis cõsuetudini aut naturæ plerumque aptamus, quod alij catapotia, alij bolos, alij potiones penitus auersentur: ut etiam vtili medicamento formam demus, quædam interdum adiicienda sunt, ut potioni hydromeli, vnguento oleum, emplastro cera vel lithargyros, quæ nullas vires, sed formam duntaxat exhibent. Iucunditas porrò quoad licet medicamenti comparanda, modò ut illorū vim & facultatem non tollat: tristitia enim & horrenda nec sumuntur facile, nec continentur, sed ventriculum euertunt, corpus conturbant, ac plerumque animi defectione vires exoluunt. Comparatur autem medicamento iucunditas colore, odore, sapore. Ad colorem & tenuitatem, purgans medicamentum in tenui & puro liquore maceratur, quædam foliis auri integuntur, cerusa vnguentis additur ut albescant. Ad odoris gratiam medicamenti addimus anisum, daucum, cinamomum, caryophyllum, nucem moschatam, & ipsum quoque moschum, aut ambarum. Externis quoque spicam nardi, iridem, cyperum, malabathrum, amomum, costum. Hęc enim odoris iucunditate non modò oblectant, sed & corroborant, & corporis spiritus vehementer reficiunt, animumque exhilarant. In saporis suauitatem (qui quàm odor magis ventriculum & præcordia recreat) amara medicamenta melle vel saccharo leniuntur, nimium dulcia succo limonum, vel aceto, vel succis austeris, ut nempe expetet laborantis gustus: cathartica in vino, & liquore rosarum stillaticio macerantur, additis aromaticis: eadem quoque ex carniū iure sumuntur.

Hæ igitur causæ sunt omnes quæ medicamento quod basis appellatur, nonnulla ad iicere cogunt, ex quorum permissione & coagmentatione quædam fit cõpositio.

40 *Lex & methodus componendorum medicamentorum. Cap. VIII.*



**V**T methodo quadam apta fiat medicamentorum cõpositio, basis in primis constituenda est, id est medicamentum simplex in cõpositione præcipuum, & velut cõlumen cui cetera innituntur, profligando affectui accommodatissimum, eiusque tum qualitas tum quantitas designanda. Qualitas quidem ex affectus qui præter naturam in corpore fuerit specie: magnitudo ex illius magnitudine, & ex laborantis partis natura atque conditione præscribetur. Ut quum frigidus erit affectus, medicamentum pro basi statuatur atque eligetur calidum: atque si ordine secundo frigidus est, id à mediocritate in contrarium pari ordine recedet. Si pars quoque affecta profunda fuerit, aut longè distita, densa, obtusi sensus, atque ignobilis, hinc basis facultas augenda erit, ut vires omnino pares in ipsam affectus substantiam exercent. Partis quoque dignitate æstimata, medicamentum quærendum quod ei consentaneum sit, eamque singulari quadam familiaritate iuuet. Horum obseruatione basis designabitur affectui contraria, eique par viribus, & affectæ parti consentanea. Oportet igitur medicinam facturo, selecta omnis generis remedia ad vnumquæque

*Secundaria  
quædam causa  
cõpositionis.*

*Basis quid.*

affectum & ad partem affectam accommodata, vndique ratione & experimento cognita comparentur, vt quasi in promptuarium recondita ac seposita suppetant ad vsus. Atque in primis si simplex & solitarius morbus sine causa interiore, sine symptomate proponetur curandus, simplex depromatur medicamentum quod depellendo illi par sit viribus, & partem iuuet, aut saltem non offendar. Si simplex nullū par morbo suppetet, ex multis vnum tale comparetur, quæ aut similitum, aut etiam contrariarū sint viriū. Si basis quæ sit arte cōstituta omniumque optima, fuerit nihilominus vel ignaua nimis, vel maligna, vel minimè ad partem sit accommodata, aliorum permistione iuuetur, & reliqua, vt dixi, attextantur, quæ illius effectum opusque prosperent ac promoueant. Basis si non quantitas, vis saltem summa atque præcipua in cōpositione esse debet: neque enim theriaci pastilli, neque euphorbium, neque scammonium in cōpositionibus quæ ex iis constant, cæteris quantitate, sed tamen viribus antecellunt. Cæterorum quæ basis effectum fælicitant, tum quantitas tum vis minor sit, vt neque in affectum neque in partem insigniter agat, sed in solam basim, cuius tamē vires minimè peruertat. Eorum verò quæ melioris vsus vt odoris saporisque gratia induntur, multo quidem minus vis elucere debet aut basi obistere. Iam verò si morbus simplex quidem est, sed quæ interior quædam causa fouet, aut aliquod graue symptoma comitatur, vniuscuiusque profligandi constituenda quoque basis est, cuius etiam quæritas ex affectus magnitudine designetur, vt quo vehementior is fuerit, validiorem quoque basim sortiatur. Atque si vno eodémque tempore his omnibus quæ præter naturam concurrunt pariter occurrendum est, confusæ bases in quandam compositionem referantur, quæ vna vice sit omnium. Si quid verò eorū magis videbitur virgere, in id quoque magis ac præcipuè remedio valentiore incumbendum. Si præterea morbi cōplures in vnâ eandémque partem concurrāt, cum omnibus vnū æquè possit remedium opitulari, multo magis compositū id esse oportet, & ea ratione quæ dixi ex variis basibus atque ex iis quæ illas constabulant ac vndique perficiant, cōstitui. Si in varias longèque distitas partes variij morbi inciderunt, nō æquè necessaria est compositio, cum sua cuique remedia seorsum pura aptari possint. Hæc componendorum medicamentorū methodus est, ex ipsa quoque methode medendi deprompta, quæ morbo depulso, corpus in naturalem habitum restituit. Hic autem obiter dubitare licet, vtilisne sit multorū eiusdē facultatis simplicium permistio. Empiricorum vetus is mos fuit, in eundem vsus & effectum multa vndique simplicia congerere, vt vnum saltē ex multis in cōpositione existeret, affectui curando proprium, & laborantis naturæ consentaneum. Hanc & nunc rationē plerique sectantur, qui neque affectus speciē, neque magnitudinē inuestigāt, neque laborantis naturā, neque remediorum vires aut ratione aut vsu compertas habent. De his verò ita statuendum, Si prima aut etiam secunda medicamentorum facultas, vt calfaciendi, refrigerandi, molliendi, incidendi, detergendi, aut similis quædam compositione quæritur, cōplura hisce facultatibus prædita aptè commisceri possunt: atque tametsi compluriū vires non sint quàm vnius efficaciores, in eundem tamen effectum consentiunt, nec sese perimūt: vt plantaginis, solani, lētis palustris & semperuiui cōmissio: aut ex malua, althæa & helxine compositio. Cæterum si tertia quædam qualitas cōpositione expetitur, non equè certò aut tutò multa & varia permiscueris. Cum enim eiusmodi qualitas obscura quodammodo sit, nec sensibus deprehensa, quæ ex multorum confusione emerget, admodum incerta atque anceps erit, nec nisi experimēto & obseruatione cōprobari potest. Tametsi enim quædam seorsum comperta sint similes effectus edere, plerūque tamen tacitis etiam quibusdā viribus omnino dissentiant, vt idcirco si in vnâ eandémque compositionem concurrant, non sese iuuet atque corroborēt, sed cōtrā perimant atque peruertant. Non igitur possunt compositionis tacitæ vires ex simplicium viribus coniici, nisi etiam vsu compertum sit ea sibi omnino consentire. Vt enim non omnia quæ dulci sunt sapore, si concurrant dulcem iucundumque saporem proferunt: neque vini Cretici & pomacij & lactis & mellis (quæ seorsum singula palatū iuuant) permistorum suavis est & gratus sapor: neque omnium quæ seorsum suauem spirant odorē, si cōfundas, suavis quoque odor euadet: ita neque omnium quæ aduersus venenū seorsum deprehensa sunt vires habere, permistio atque compositio ratione censerī potest pristinæ aut æquè validas vires retinere. Quod enim fuerat in singulis, rarò deprehenditur in mistis: denuòque debet compositio etiā obseruatione cōprobari. Existit huic affinis & alia

Questio.

Solutio.

Questio altera.

& alia quæstio, an quæ diuersarum virium permiscetur, singula pristinas in cõpositione vires retineant eâsque adhibita nobis exerceât. Constat quidem veteres phlegmonarum incremẽto adstringentia discutientibus miscuisse, vt simul pares vires exererẽt. At quî fieri potest, vt contraria illa confusa non sese mutuò retundant? Hæc igitur diluenda sunt. Cùm recens est eorum permistio, vtraque pristinas suas vires integras retinent, eâsque adhuc vt antè exerunt. Neque in his modò quæ foris adhibẽtur, sed & in his quæ intrò seu potionis seu antidoti forma sumuntur. Nõnulli vim quandam in nobis statuerunt discrettricem, quæ singula illa antequam sint perfectè cõfusa, secernat in nobis, & quæ singula suis aptet partibus atque affectibus, eâque in proprios vsus referat  
 10 & accomoder: quemadmodum & iidem sentiunt vim illam discrettricem ex simul permistis diuersis alimentis quid parti cuique conueniat attribuere. At verò eùm multorum in cõpositione iamdiu facta est confusio, atque ea quam iuniores fermentationem appellant, mutua actione omnium quædam coitio atque concursio euaserit, pristina singulorum vires non amplius integræ manent, neq; illas potest facultas vlla discretrix in nobis seiungere: sed pereũtibus & extinctis singulorum viribus, nouæ prorsus emergunt, ex illarum tamen concursione profectæ. Quæ autem hæ sint nouæ vires, ex primis quidem atq; secundis qualitatibus quæ nã fiunt, potest ex simplicibus ipsis cõiici. Ex tertiis verò quæ nã summa facultas oritur, quæ totius compositionis formã atque totam substantiam comitatur, cùm ex simplicium occultis viribus illa prodeat, nõ nisi experimẽto dici cognoscique potest.

*De medicamentorum formis eorũque eliciendis viribus. Cap. IX.*

**F**ORMAE tum sumendi tum ad mouendi medicamento quàm cõpositionis longè diuersa est ratio: magniq; refert qua forma quoduis seu simplex seu compositum medicamẽtum administres. Nam præterquam quòd alios alia formæ delectât, alia etiã formæ tum ad partes affectas, tum ad morbos accommodatiores sunt, neque formarum pares sunt omnium vires, quandoquidem ad extenuandum atque penetrandum conuenientior est liquida, ad corroborandum & adstringendum solida. Quæ talia sumuntur qualia spontè prodierunt, siue recentia, vt holera & acetaria, siue arefacta, vt siccæ radices vel stirpes, nondum formæ cuiusquam dicuntur conditionem adeptæ. Primæ formarum differentia inde depromptæ sunt, quòd medicamento tum simplicis tum compositi aliàs ipsa substantia & materies, aliàs vis eius præcipua atq; facultas arte elicitæ suggeritur. Vim ipsam atq; facultatem interdum ipsæ materiæ permisceri, in eâque contineri confert, vt in medicamentis adstringẽtibus, corroborantibus & siccatibus: interdum verò à materia secerni, vt in medicamentis attenuantibus, diaphoreticis & purgantibus, quòd crassior illa & compactior materia viribus obsit. Itaque forma omnis aut solida est, aut liquida. Solidarũ prima atque simplicissima est puluis, qui deinde & ipse in alias coaptatur formas: quales sunt pastillus, electariũ tum liquidum tũ solidum, catapotiu, bolus, eclegma seu delinctus, antidotus multiplex recentioribus confectio appellata, partim enim aromatica est & analeptica, partim opiata & anodyna, partim cathartica, partim antipharmaca, cõditum simplex, cõditum compositum, ex quibusdam autẽ horum liquore quouis solutis potiones fiunt medicæ. Quæ verò solam medicamento facultatẽ retinent formæ ferè liquidæ hæ sunt, liquor stillaticius, infusum seu dilutum, & vniuersum factitiorũ vinorum genus, ius seu decoctũ, emulsio, medicatus succus, sapa seu rob: è quibus & alia comparantur, iulepus, syrupus, apozema. Ex his quoque variè commistis potiones fiunt medicæ, clysteres, glandes, pessi, noduli.

Externorum medicamentorũ formæ eadem possunt methodo institui: puluis in spergendus, fomentum siccum, sacculus, fomentum humidum, inessus, balneum, epithema, collyriũ, mucilago, embrocha, oleum, ceratum simplex seu illitus, vnguẽtum, puls, cataplasma, emplastrum. Cauterium autem, errhinum, gargarisma & apophlegmatismus, facultatum potius quàm formarũ sunt nomina. De singulis ergo hisce formis particularim tradendum, & explicandum qua ratione, & qua simpliciu propotione præscribi tẽperarique debeant. Simplicium autẽ cognitio, collectio, delectus, expurgatio, conseruatio, præparatio, correctio & miscendi industria, seorsum ad pharmacopœos referuntur ac pertinent: quorum tamen in primis & medicũ gnarum peritũque esse

oportet, siquidem apud artis ministros auctoritatē dignitatēque suam retinere ac tuē-  
 ri velit: quos docere hęc ipsa debet, quę admodum componendorū medicamentorum  
 formula ad pharmacopolas ostēsi sumus. Formarum ergo rationes atque vires expo-  
 situri, à liquidis auspicemur. Quas veteres olim medicamentorum facultates memorię  
 prodiderūt, eas in integris illis primū quidem sunt experti, alij postea vt laborātium  
 delitiis subscriberēt, eas variē à crassiore terrenaque materia seiunxerūt: vt destillatio-  
 ne, infusione, decoctione & succi expressione. Quum autem in physiologia demonstra-  
 tum sit, stirpis cuiusque materiam humorem continere alimētarium, & alterum primi-  
 genium, in quo præcipua vis inest, aqua stillaticia alimētarij humoris portio est tenuior:  
 quę si sine odore & sine sapore est, nullas, sin odorē saporēque stirpis retinet, exiguas 10  
 illius vires habet. Oleum verò humidi est primigenij portio aëria, atque vt illius odo-  
 rem saporēque, ita & vires plurimum refert, quarum tamen nō parum ignis vidissi-  
 patur & euanescit. Exilatione facultas (quę præsertim in crassiore materia inheret) ma-  
 nifestius euocatur, atq; in ius ipsum transfertur: quę verò in tenuiore cōsistit, tota ple-  
 runq; dissipatur ac disperditur. Infusio vim multo maiorem trāsfundit in quemuis ac-  
 commodatum humorē, nihilque aut minimum dissipat tenuioris substantiæ, quòd sen-  
 sim blandēque fiat, nulla vi immodici caloris. Expressione qui quasi plantæ sanguis ci-  
 tra liquoris alieni permissionē succus extorquetur, nulla videtur illius facultate desti-  
 tuti. Sed hęc rursus planius ex facultatū discrimine distinguā. Refrigerandi, humectan-  
 di, emolliendi atque relaxandi facultas, in solis virētibus & humore multo præditis, & 20  
 in fructibus atque seminibus inueniri potest. Neque enim plantago, neque solanū, ne-  
 que semperuium si exaruit, manifestē refrigerat, neque althæa, aut malua, aut helxine  
 arefacta manifestē humectat vel emollit. Neque profectò facultas ea admodū destilla-  
 tione sincera euocatur, quòd empyreuma siccitatēque conquiratur calore. Exilatione ve-  
 rò ac infusione efficacior manet, multoq; magis expressione, vt in iure, in mucilagine,  
 in succo vel oleo. Calfaciendi autem, siccādi, attenuandi, detergendi, penetrādi & ad-  
 stringendi facultas in arefactis quoq; integra consistit, & aliquāto valentior quàm in vi-  
 rentibus, quandoquidē in his ex humoris alimētarij eiusque aquosi & crudiusculi per-  
 fusione ea facultas obrunditur. Hęc è virentibus stirpibus destillatione aliquantū exi-  
 mi potest, sed expressione plurimū, infusione atque decoctione siue ex virentibus il- 30  
 lis siue ex aridis, mediocriter elicitur, si præsertim è liquore accommodato, vt ex hy-  
 dromelite fiat, nam aqua calidorum & attenuantium quę incoquuntur vim habebat,  
 atque remittit, neque potest integras illorum calidorum vires assumere aut adipisci:  
 sed est necesse decocti ius mediam & mixtam naturam aquę & eorum quę incoquun-  
 tur, obtineat. De singulis qua ratione fiant, rursus summatim tradendum.

*Liquoris destillatione eliciendi ratio. Cap. X.*

**L**IQVOR stillaticius duplex comparatur, aqua & oleū. Aqua elicitur è flori-  
 bus, herbis & radicibus virentibus, quę tēpore legitimo lectæ & expurga- 40  
 tæ, in vaporariū integrę coniiciuntur, si tenuior substantia in qua præsertim  
 vis inest odoris, expetitur: cui deinde blandus lentusque ignis subdendus.  
 At si medicamentosa facultas desideratur, recentes herbæ atque radices  
 minutim concisæ, atque etiam tunsæ, suoque succo immersæ ac madentes, in fictile vas  
 omnis alienæ qualitatis expers recōdendæ & operiendæ sunt loco tepido, dū vno aut  
 altero die insita earum facultas, olim tacita & penitus recondita sese expromat. At si  
 multarum stirpiū, & quę diuersæ sint facultatis vis quædā summa extrahenda est, con-  
 fusæ illæ contritæque, suo sinantur liquore madere atque macerari, dum fermentatio-  
 ne omnium in quandam vnitatem facta sit coitio. Postea verò omnia promiscuē in va-  
 porarium coaptentur vitreum, aut plumbatum, & inducatur stillans capitellum cæ- 50  
 mento vel luto tenaci obseratū, ne quid expiret, è cuius oblongiore canaliculo & qua-  
 si ceruice receptaculum propendat, diligenter etiam obseratum. Vaporarium porrò  
 in cacabum æneū, cinere, sabulove, aut aqua plenum, fornaci superpositum & coapta-  
 tum sic mergitur vt ne fundū eius attingat, ignisque succenditur è prunis aut carboni-  
 bus aut è stipulis, qui minimè tetra fumo opus inquinet: isq; initio acrior, deinde lāgui-  
 dior & ignauior, qui duntaxat moderatā caloris vim conferuet. Quę per cineres aqua  
 elicitur

elicitur acrior est, magisque empyreuma redolet, ac minus vernaculæ & insitæ facultatis retinet quam quæ per aquam, asseruatur tamen diutius, & tardius corrumpitur. Vtraque tamen ratione & modo stirpiû pars tenuis in qua tum odoris tum saporis vis inest, dissipatur, simulque facultatû pars maxima exolefcit, vt non temerè illis sit fidendum. Quapropter tertia destillandi ratio solius vaporis vi inuenta est, quæ vna omnium maximè stirpium odorè, saporem, facultatèque retinet citra vllam empyreumatis insuauitatem: quæ tamen vt diutius conseruari possit, postea octo circiter dies insolatur. Ad hanc comparandam lebes æneus aqua plenus fornaci inducitur, & lebetis labris amplæ ollæ vel vrnæ labra quoque coaptantur, & luto agglutinantur. Olla verò circû quaque in ambitu amplis foraminibus pertusa est, in quæ vaporaria herbis plena inferuntur & agglutinantur, vt cum accensus ignis fuerit, feruentis aque solus halitus in ollam subiens vaporaria contingat, & blandè è stirpibus aquam suscitet. Ne tamen coerciti atque conclusi halitus copia calor obruatur, vrna vel olla summo fastigio exiguû foramen habeat, quo halitus partem expiret, possisque calorem pro nutu moderati. Liqueoris huius stillaticij si quam cæterorum vis aliquanto ignauior est, iucundior tamen, suauior & ad multa accommodatior existit. Id autem minimè silendum, earum stirpium quarum tenuis est & rara materia, vt ocymi, florum violarum, roris marini, vires cum odore & sapore quauis destillatione exolefcere: earum verò quarum crassa est & densa materia magis retineri ac conseruari.

Olei autè è stirpibus elicendi diuersa est ratio: neque in id virentes, sed conuenienter arefactæ sumuntur, patim vt humoris alimentarij & aquei minuatur portio, & oleagina (quæ humidi primigenij pars est) sincerior & purior eliciatur, partim etiã vt herberetari possint. In primis enim eas tundere & terendo in tenuissimum puluerem redigere necesse est. Is immisus in cucurbitam vitream, quæ protractum collum habeat & tanquam longam proboscidem exactè, ne quid expiret, Hermetis sigillo obseruandam, in diplomate per octo decemve dies sinitur, dum per medium vitrum quandam conquirat substantiam macerationem. Deinde proboscidis summo naso detruncato, collocanda transversim cucurbita est in perforato amplo fistili in id adaptato, & tenui cinere vndique ad duos tresve digitos aggesto operienda, & viuo carbone fumi experte desuper dato paulatim calfacienda, dum in aliud agglutinatum vas profluat oleum primû pallidum, dein flauescens. Hac ratione Alchimistæ ex lachrymis, resinis, atque etiã metallis per humectationem oleum extrahunt purius & odoratius cum peculiari phlegmate, quod nec odore nec viribus oleo cedit. Sed ad id longo opus est tempore & maxima diligentia, atque in moderando attemperandoque igni dexteritate summa: & ad postremum pro impensa opera ex pulueris libra dimidia vix puri & sinceri olei vncia elici potest.

*De infusione, elixatione & succorum extractione. Cap. XI.*

**N** FVSIO quod calor vi nihil dissipet, simplicium vires puras syncerasque transfert in liquorè: at non omnes: sed eas præcipuè quæ intenuiore sunt substantia: eas verò quæ in crassa ac terrena, non æquè validas. Purgandi etiam vim summam elicit, quum præsertim tenuis ac penetrans liquor fuerit, aut simplicium naturæ consentaneus. Rei autem infundendæ conuenientes liquores sunt multiplices, quorum præstantissimus est aqua vitæ, quæ tenuissima cum sit, in omnes commissæ materiæ partes sese insinuans, cœcretum illius succum attenuat, incidit, colliquat, secumque rapit: ab hac deinde sunt vinum album ac tenue, aqua tum simplex tum stillaticia, tum in qua attenuata simplicia sunt incocta, hydromeli, mel & oleum. In his quæ maceratur materia exarefacta sit & aquoso humore destituta, expurgata, minutim cœcisa aut tusa, vt liquorem omni ex parte cœbibat. Tandiu autem maceretur dum contabescat, & sapore deprehendatur vim omnem suam exuisse: aut si multa variæque permiscueris, dum omnia fermentatione vnam eandemque communem naturam sint adepta, quod ferè triduo fit. Liquor autem in quem eorum materia coniicitur vel tepidus sit, vel tepido loco asseruetur, vel insoletur, vt blandi caloris beneficio adiutus vim præcipuè exorbeat. Hac igitur rationes comparantur potiones catharticæ, & aceti, vini, mellis atque olei complura facticia genera. Vinum autem vt cœmodè fiat, stirpium materia quum viribus excellit legitur, & in umbra siccat: deinde in mustum

coniicitur dum deferuescat, ac post duos tréve menses quum iam vinum de ferbuerit & fuerit defæcatum, transfunditur reconditurque: nec si stirpium materia diutius macerari sinatur, corruptionem subit, nisi vinū fortè vapescat dolio nimium vacuato, aut non conuenienter obthurato. In vetustius etiam vinum macerata stirpium materia, non parum id efficax reddit. Quū autem vinum nature iucū dum sit ac familiare, quascunque vires acceperit, eas per omnia sese insinuans, promptè in singulas & abditissimas corporis partes diffundit atque impartit, estque optimum medicinae vehiculum. Vis ei præcipua hyeme ad crassos lentosq; humores, ad obstructions, ad morbos frigidos ac diurnos, qui sine febre fatigant, ad quæ quouis est syrupo vel medicato liquore præstantius. Aceti, aut mellis aut olei conficiendi nõ admodum dissimilis est ratio, 10 de quibus seorsum particulatim trademus.

*Liquor seu decoctum.*

*Montanus.*

Liquor in quo iam stirpes incoctæ sint, quod & earum ius appellatur, non paruas earum vires elicit, & coctio ea quæ propriè elixatio dicitur, rerum facultatem atque speciem à materia sciungit. Elixantur autem quorum vis & facultas cum quadã tenui substantiæ portione transfertur in liquorem, vt ligna, pulueres, radices, herbæ, germina, fructus, semina, flores. Lapidés & metalla elixari nequeunt. Liquor verò, aut aqua simplex est, aut hydromeli, aut lactis serū, aut succus, aut simile quippiam: rarò vinū, quòd promptè acefcat aut vapescat, rarius aqua stillaticia, quòd vis eius exolefcat. Nõ igitur, vt quidam memoriæ prodidit, simplex aqua omnium eliciendarum virium cõmunis est materia, neq; vt ea cum frigidis frigida est, ita cum calidis calida, neque si seorsum diutius excoquitur (quod ille putat) incalescit, sed frigida semper tamen si minus, persistit. Itaque calida tenuiãq; medicamenta quorū vires integræ desiderantur ad frigidos crassosq; humores attenuandos, aut lentos detergendos, aut ad expediendos veteres infarctus, ex hydromelite tenui coquenda sunt, quòd eorum vim aqua simplex nimium obtundat: frigida verò, vt biliosos feruētēque humores ac febrium ardores validè restinguant, ex aqua coquenda, addita etiam sub finem interdum aceti parte octaua, si cum refrigeratione extenuatio quoque & penetratio expetitur. Facultas porrò quæ in tenui atq; dissipabili est substantia, vt penetratio, extenuatio, apertio, resolutio, coctio pauca euocatur, multa disperditur: quæ verò in crassiore est materia, vt abstersio, adstrictio, repressio, in crassatio, non nisi coctioe pleniore educi potest, altiùs enim demersa 30 est. Quin & eorum quæ coquuntur materia æstimanda, crassane sit, dura, sicca atq; compacta, vt lignorū, radicum aridarum & seminum: an è cõtrario. Cùm igitur singula selecta expurgatãq; fuerint, seorsum moderatè (vt supra de infusione dixi) arefiant in umbra, dū aquosus humor fuerit absumptus. Ita enim vt odore atq; sapore sic viribus efficaciora fient: dein quum coquēda erunt, quæ compactiora sunt & diutius coqui postulant, prima in tepidã aquam coniicienda sunt, deinde quæ mediocriter, post emò quæ leuiùs: vt primùm ligna, deinde radices, semina, lignorum cortices ac fructus, postremò flores, qui nõ nisi macerari debent. Igne lento qui terri & alieni fumi sit expers, sensim ea serie coquātur, dum arida atque dura mollescant: cætera verò planè cõrabescant, & in liquorem vires suas odore saporeque noscēdas singula deponant, quod nec, vt quidam putāt, hora vna, nec vllò tēporis certo spatio, sed vno periti artificis iudicio, defini- 40 ri potest. Percocta omnia quinq; sexve horis macerāda sunt in tepido liquore, & antequam penitus refrigescāt, excolandum est ius, atque in vsus recõdendum. Vt autem virium quædã prodeat æquabilitas, nihilq; cætera viribus aut sapore nimio perè superet & obrundat, simplicis vniuscuiusque vis atque sapor seorsum ante permissionem æstimandus obseruandusq; fuit. Moderatus tamē atque conueniēs virium saporisq; modus iuri impartietur, si recentes herbæ, radices, cortices, seminãve, quibus præsertim vis saporque validus inest, ex liquoris sextuplo pondere coquātur ad dimidias, vt stirpium recentium vnciæ quatuor aut manipuli quinque, ex aquæ libris duabus dū libra vna superfit: aut aridæ ex octuplo liquore ad tertias, vt arefactarū stirpium vnciæ quatuor ex 50 aquæ vnciis duabus & triginta, dum vndecim vel duodecim restēt. Has enim quòd aridiores sint & humoris non parum combibāt, ex copiosiore liquore, & quòd in sicca earum materia vis firmiùs inhærescat, diutius elixari par est. Et hæc quidem ad iulepi aut apozematis vsu: nã syrupis, quòd pluri melle & saccharo condiantur, efficacius reddi decoctum oportet, & parem serè mensuram relinqui iuris atque herbarum. Recens enim herbarum radicūque materia ex quadruplo liquore coquitur, dum ad tertias re- deat:

deat: sicca verò ex sextuplo liquore, dum ad quadrantem redeat: vt libra vna materiae aridae ex libris sex aque, dum sesquilibra superfit. Manipulorum is modus esto vt singuli paulo minus quam singulas vncias pendeant. Ea igitur mediocritate nec crassum nec insuaue nimis ius fuerit, atq; moderata dosi integras vires fortietur. Quamquam autem hæc communes sunt coquendi leges, sciendum tamen peculiariter est, quã simplex vnumquodque decoctionem ferre potest, vt vis integra elici possit: quorundam enim etiam si dura sint, vt asari, iridis, pyrethri & cyclamini vis coquendo perit: quorundam vitentium & mollium manet, vt sennæ, maluæ, cichorij, buglossi: in id quidem simplicis cuiusque natura pernoscenda. Et hæc quidem ad quasvis potiones comparandas. Ad fomenta  
 10 verò ex aliis etiã plerisque liquoribus stirpes coquuntur, vt ex lacte, si leniendus est dolor ex oleo, si quid emolliendum, ex aqua aluminosa, si adstringendum, è lixiuio si validè digerendum siccandumque est.

Succus è viridi stirpe aut fructu expressus, vt illius ferè omnem substantiam atq; saporem, ita & summas vires obtinet. Exprimitur autem ex minutim concisis tuisque radicibus, herbis, floribus, atque seminibus, quæ tusa vtiliter sinuntur biduo aut triduo macerari: dein in linteum rarum coniecta, vel manibus, vel prælo, vel torculari subiguntur, dum succum profundat: alia quidem facillè, vt quæ humida sunt & succulenta, vt plerique fructus: alia difficile, vt quæ exucca sunt & paucioris succi, vt thymus, polium, laurus, saluia, sampsuchus, & quorundam lenta viscosaque est materia, vt buglossum, borrago, portu  
 20 laca: ex his enim vix nisi ignis tepore liquatus succus prolicetur. Omnium efficacissimus est qui recens sit ac turbidus: qui autem iam inclaruit puriorque redditus est, licet gratior iucundiorque sit, vt tamen facillè ita & facultatis portionem deposuit, neque vllius purgantis medicamento quod defæcatum sit, vis admodum valida deprehenditur. At nihilominus ad syrupos & potiones qui accommodabuntur, expressus phialaque reconditus leniter insolari, aut tepida loco reponi debet, dum vinorum ritu deferbuerit fecemque deposuerit, & quicquid crassum inest subsideat. Ita deinde quicquid purius & clarius innatat, secretum in potiones confertur. Hac ratione comparatur limonum succus granatorum, & cotoneorum, pomorum, pyrorum, cerasiorum, oxyacanthæ & ribes, hi enim diutius sine coctura persistunt. Recentium quoque herbarum succi eadem possunt ratione  
 30 elici. At plerunque protinus vt extracti sunt, in rem presentem clarescunt, idque vel sepius colo denso aut pano transmissi, vel ex oui candido scopulis agitati, vel leniter feruefacti, dum omnis crassior sordes ipsi candido tanquam visco adhærescat. Cœcreti porro & obdurati succi plerique asseruantur in varios vsus, qui aut mox vt expressi sunt & colo transmissi lento igni coquuntur dum crassescant, vt sapa, defrutum, miua cydoniorum, robur ex ribes: aut insolantur concrescuntque in solidam formam, vt aloë, scammonium, elaterium, lycium, acacia, mororum succus.

Emulsio iunioribus dicta huc etiam pertineat. Ex fructibus enim & quibusdam seminibus contusis elicitur, quæ quod succi minimum fundat & ne attritu pinguescant, inter conterendum liquore asperguntur, qui deinde simplicium viribus perfusus colatur & exprimitur, hac ferè ratione: ℞ amigdalorum dul. expurgatarum vncias duas quatuor seminum frigidorum maiorum recentium & mundatorum an. drachmas duas, seminis lactucæ & papaueris albi an. drachmam vnam, pariter omnia terantur in mortario marmoreo, affusa sensim libra vna aquæ coctæ quæ iam refrixerit, aut aquæ decoctionis hordei vel glycyrrhizæ. Huic quidem non parua vis est ad refrigerandum, ad renum ardores extinguendos & ad leniendam vrinæ acrimoniam. Ad pectoris quoque & pulmonum vitia, conteruntur pinei nuclei, pistacia aut strobili: nonnunquam & syrupus aliquis permiscetur leniens atque refrigerans.

*De iulepo, apozemate & syrupo. Cap. XII.*

50 **P**OTIONVM formæ ad simplicem intemperiem, & ad corporis vel humorum præparationem & ad alios plerosque vsus, tres nunc præcipue vsurpari solent, iulepus, apozema & syrupus. Iulepū iuniores Græci iulapiū appellant, idque è quouis liquore stillatio, aut succo defæcato addito mellis saccharive triplo conficiunt, coquuntque sensim expumando dum toto ferè liquore absumpto mellis consistentia fiat. Nunc verò simplicior sit atque liquidior, quodque simplex sit ab apozemate, quod liquidus à syrupo distat. Accommodatur autem is præcipue

intemperiei corrigendæ, leniendæ siti & compescendo atque frenedo humoris ardori, & malignitati frangendæ. Fit proinde vel è cardiaco liquore stillaticio, vel è puro defæcatóque succo, vt limonũ aut granatorũ, vel è iure vnius paucorumve simplicium, cui mellis saccharive quadrans permiscetur, leniterque coquitur, ac deinde clarescit, & conditur aromate, vt citra aquæ vlliúsve liquoris permissione, omnino iucunda fiat potio. Interdũ etiam nulla ignis vi ex his fit que coqui nõ possunt, vt ex aquis stillaticis, & succo limonũ: quæ omnia saccharo expurgato affusa, colo denso subinde trãfiguntur. Ferè autẽ sacchari quadrans aut sextans inditur, cinamomi verò ad vnamquãque dosim scriptuli dimidiũ. Est & alia iulepi ratio cùm hyeme, aut in virentium herbarum penuria, quiuis syrupus duplo aut interdum quadruplo stillaticij alteriúsve puri liquoris diluitur, nullo ignis beneficio.

Apozema æquè ac iulepus liquidum est, sed ex cõplurium simplicium decocto compositum, que in multos variósq; vsus accommodantur: atque id ferè ad tres quatuorve doses instituitur. Id autẽ quoniam ferè iulepo insuauius est, rarò in eisdem vsus destinatur, sed maximè in humorũ attenuationem, atque detersionem, in corporis præparationem, & in reliquiarũ expulsiõnem. Olim quidem veteres modò virètes, modò aridas herbas mullæ incoquebant, propinabantque ius colo transmissum: hyeme verò earum pollinem tenuissimum mullæ inspergebant: hæc que vice erant apozematis. Nunc verò decoctarum stirpiũ ius assumitur ea quam supra dixi ratione, in quod sacchari aut mellis aut cuiusvis syrupi quadrans, si non admodum insuaue, aut triès si insuauius est, soluitur: rursũq; leniter & parcè coquitur, aut solũm calefit vt clarificetur & aromate condiatur ea dosi quam nũc in iulepo dixi. Hæc quidem portiones in tẽ præsentem usurpari solent. Solet exigendis quoque humoribus præparatis è simplici apozemate catharticum ex tẽpore fieri, incoctis scilicet in eo aut dilatis medicamentis purgantibus. Syrupus quòd in herbarum penuria recondatur, asserueturque diutius, crassiore fit cõsistentia, in eos præcipuè vsus in quos & apozema, quanquam plerunque iulepi etiam commoditatem habet. Ex iis cõparatur quæ vix hyeme suppetunt nobis, aut quæ æstate non facile fit aut prõptum, cùm necessitas postulat, ex variis locis tã multa congregare. Fit haud secus ac apozema, è stirpiũ succo, vel ex earum coctarũ iure, in quod adhuc tepidum pro libris ternis singula ouorũ candida iniicies, diũque scopulis agitabis dum fordes omnis spumę adherescat. Deinde in id ipsum mellis saccharive par pòdus dissolue, & rursũ coque dũ feruẽdo sepositaq; spumę portione, sub hac detecto humor clarus apareat. Tũ denuò coletur & leuiter exprimatur reddaturq; igni lento, dum percoctus sit in syrupi consistentiã, & in singulis libris binæ dũtaxat liquoris vnciæ supersint. Quũ tamẽ ius ipsum ex admixtis fructibus, vt ex prunis, ficibus, myxariis, zyziphis, aut ex quibusdã mucosis seminibus, vt althææ, cydoniorũ, aut pýllij, aut ex tragachãto vel gummi Arabico crassum lentũq; euaserit, vt cõuenienter coletur, mellis saccharive minus indendũ est. Accuratius is clarificatur vt diutius asseruetur, nec putrescat facillè, percoquiturq; in mellis consistentiã, ac dum extracta guttula atq; refrigerata, non amplius perfluat, & diluti mellis crassitudine indurescat. Quoniã autẽ plus sacchari quàm apozema habet, liquorisq; minimum & vix sextantẽ retinet, vt valida integrãque eius facultas transferatur in saccharũ, ius, vt supra dixi, meracius atq; efficacius assumendum est. Omnium autem validissimi sunt ij syrupi, qui è defæcatis expurgatisque fructuum succis comparantur, in quos par quoque sacchari modus additur, expurgatur coquanturque vt superiores. Aut si fortè succi vis coctione nimia disperditur in sacchari iam expurgati & perfectè cocti libra vna, succi crudi & residẽtia defæcati selibra sensim dissoluatur atque coquatur. Si metuitur ne hic syrupus ob succi cruditatem situm contrahat, insoletur dies aliquot. Hi enim si vel blãdo igne, vel diplomate lentè ac sensim coquantur, tota & integra succivis transferetur in saccharum: ex melle cõfectus syrupus: quia diutius asseruetur, minus neq; ad consistentiam coquendus est: is quoque magis incidit ac detergit. Ex saccharo autẽ suauior, sed non æquè efficax: percoquendus is est, at ferè tandem candescit, quod tamen vitium præcauetur, si mellis quadrans permiscetur saccharo. Harum compositionum formulas hĩc nullas descripsimus, quòd multæ posthac omnisque generis passim occurrant.

*De clystere & balano. Cap. XIII.*

**C**LYSTER siue clysmus est alui & intestinorum diluuium atque perfusio siphone in podicem indita. In variis vsus comparatur, ad molliendas faeces obduratas, & intestina oblinenda, ad flatus dissipandos, ad expultricem vim proritandam, ad crassos & pituitosos humores detergendos qui intestinis adhærescunt, ad humores è locis distantioribus euocandos, ad compescendos dolores, ad coërcendam aluum & corroboranda intestina, ad naturales vires instauradas. Cōstat ferè clyster omnis ex libra vna iuris vel cuiusuis liquoris, in qua  
 10 sextans, aut quod summum sit quadrans medicamentorum diluatur cum olei quadrante. Pueris aut pusillis infra subsistitur, grandioribus supra trāscenditur ad sesquilibram, simili cæterorum ratione seruata. Omnium primus atque simplicissimus ex hydromelitis libra vna, olei quadrante & salis drachmis duabus constabat: deinde verò compositiores redditi sunt. Qui emolliēs dicitur, ex iure fit coctarum herbarum emolliētium, vt radicis althææ & liliorum, maluæ, helxinæ, violæ, mercurialis, acanthi, seminis lini, althææ & scœnigræci, ficuum, in quo soluta sint interior pulpa cassiæ, mēl violatum, butyrum salis expers, oleum simplex aut violatum. Interdum ex oleo simplici tepefacto, vel ex oleo & butyro, additis mucilagibus vt prorsus intestina oblinat. Ad flatus dissipandos confert ius origani, calaminthæ, rutæ, chamæmeli, anethi, cū semine anisi, carui, cumini, feniculi & cū baccis lauri, quo dissoluatur mel anthofatū, cōfectio è baccis lauri,  
 20 cum oleo rutæ, lauri aut chamæmeli. In eundem vsum fit ex oleo nucum puro, vel addito vino Cretēsi. Proritabitur expultrix facultas, si salis cōmunis drachmæ duæ, vel salis gemmei drachma semis liquefiat, vel hiera simplex, vel composita, vel diaphanicū, vel confectio Hamech, vel aliquid ex his quæ potenter stimulat. Detergēs ex hordeo, furfure, rosis, plantagine, absinthio, beta, agrimonio, centaurio minore & cōtritis lupinis, admista hiera & melle rosato. Euocabuntur quoque humores è superioribus sedibus, si istis pulpa colocynthidos ad duas trēsve drachmas incoquatur: aut tantūdem dissoluatur pilularum cocciarum, aut quoduis acrius medicamentum, quando quidem diutius intestinis obhærens, viscera reliquūque corpus vi sua conturbare expurgarēque potest. Cū dolores leniendi sunt, melilorus, chamæmelum, semen lini & althææ, aliæque  
 30 anodyna coquantur in lacte, addunturque vitelli ouorum duorum. Aut si doloris causa perspecta est, induntur quæ illam summeant, vt exin dolor mitescat. Si concitior aluus, cohiberi adstringique debet & intestinum corroborari, conuenient rosæ rubræ, plantago, portulaca, sanguinaria, tapfus, cauda equina, additis granis myrti & cupressi nucibus: in quorum iure interdum mastiche, bolus armena, sanguis draconis, amyli, farina fabarum, aliæque eiusmodi quæ quandam pultis speciem exhibent, permiscuntur sine oleo. Recreantur porrò intestina, si iu sculo capi carnisve alterius bene succulēto, aut vino rubro generoso subaustero proluantur: exinanita quippe auidius hæc plerumque retinent, & in corporis commoditatem referunt.

40 Balanorum seu glandium vsus est ad proritandam vim intestinorum excreticē, cū enim subditus vix supra sphyncterem musculum ascendat, hunc solum acrimonia stimulat, & desidendi cupiditatem infert. Fit autem teres & oblongus quatuor sexve digitos: infantibus betę vel mercurialis cauliculus, melle vel butyro salso oblitus pro glāde est: quemadmodum & sapo albus in eam coaptatus formā. Cæteris mel coctione in crassescens, & in eam quam dixi formā redactum: cui si acrior desideratur, salis vulgaris drachma dimidia, vel gemmei scrupulus dimidius, vel pulueris hieræ scrupuli duo, vel pulpæ colocynthidos pulueratæ scrupulus vnus inspergitur. Frequentior porrò balani vsus sæpè hæmorrhoidas, interdum vlcera & condylomata proritat. Quocirca non solum ad aluum ciendam, sed ad hæmorrhoidas quoque referandas aut sistendas, & ad  
 50 tenasum ex idonea fingitur materia.

*De potione purgatoria. Cap. XIIIII.*

**A**THARTICA potio quòd latius sese diffūdat subeātque tenues venas, ad humores quosuis expurgandos efficacior est bolo, pilullis & quauis solidiore forma: & pilularum drachma vna liquore soluta, non minus purgabit quàm duriorum duæ. At verò quod medicamentum vel acrimoniæ, vel malignitatis est, par-

ticeps, liquidū id magis quam solidum partes principes ferit atque vellicat. Purgantis potionis dosis rarò excedit tres vncias, ne copia ventriculum subuertat. Fit autē interdū ex simplicium purgantium infusione, vt cū reibarbari drachma vna & semis, agar, trochismati drachma vna, & drachma dimidia cinamomi electi macerantur in hydromelite, aut in aquis stillaticis betonicæ & endiuix, & in expresso diluuntur sex drachmę syrupi capill. ven. Interdū ex iure coctorū fit purgantium, vt quū polypodij quercini, seminis carthami, radicis petroselini, vuarū passarū expurgatarū an. ʒ ij. foliorū sennæ emundatorum ʒ iij. epithymi ʒ j. decoquantur in vnā dosim, addendo sub cocturā finē cinamomi ʒ ʒ. & in expresso diluuntur syrupi de scolopendrio ʒ vj. fit que potio. Interdū mixtura quadam iunguntur decoctum & infusum, vt si ad varios expurgandos humores præscribas. ʒ. Endiuix, lupuli, betonicæ, buglossi an. m. ʒ. foliorū sennæ emundatorum ʒ iij. fiat decoctio ad ʒ iij. in qua colata infunde rheibarbari lecti ʒ ʒ. agarici trochiscati ʒ j. cinamomi ʒ ʒ. in expresso dissolue syrupi violati vel capilli veneris ʒ vj. fiat potio. hac quoque formula apozemata fiūt in plures doses, atque syrupi in varios atque multiplices vsus conseruandi. Interdū verò ipsa purgantium materia vel in tenuem pollinē redacta, vel ab antidotis accepta, aquis stillaticis alioue liquore diluitur: vt cū rheibarbari drachmæ duæ pulueratæ dantur ex aqua rosarum & syrupo rosato ad dynteriam: aut pulueris hieræ simplicis vncia semis ex hydromelite, aut catholici drachmæ decem ex decocto hordei, aut diaphœnici semuncia ex iure radicū cichorij, oxalidis, petroselini & polypodij. Purgantium porrò aliæ quædam solidiores formæ sunt, bolus vt qui fit ex drachmis decem pulpæ cassiæ cū saccharo vel cum puluere Ducis, & qui ex catholico vel ex diaprano. Electariū quoque solidiore forma, vt quod è succo rosarum est, & diacarthami, & quæ cūque ad horum imitationē solēt in rem præsertē præscribi. Pilullæ his solidiores existūt, quarum varia genera, & cōficiendarū rationē posthac exponemus.

*De solidioribus formis, ac primū de puluere. Cap. XV.*

**S**OLIDIORES formæ præcipuam è medicamentorum puluere nascuntur materiā, qui vt rei necessitas postulat, variè in illas coaptatur. De eo igitur tanquam basi in primis dicendum. In puluerem teruntur quæ aut natura duriora sunt, aut prorsus exaruerunt, vt quædam radices, complura semina, herbarum folia, surculi, flores, plurimæque aromatum genera. Hæc igitur mortario teri possunt, alia quidem tenuissimè & in exquisitissimum læuorem, quorum nempe vis & facultas in substantia nō admodū tenui posita est, & quæ altius penetrare desideramus: alia verò crassiusculè & minus accuratè, vt flores & aromata, quorum nimis attenuatorum vis facillè disperditur. Aluta itaque tegendum mortarium, ne pars tenuissima attritu euolet atq; vanescat in auras: neve acrimonia astantes feriat offendatque, vt ferè fit in thapsia & euphorbio. Si tenuissimus puluis expeditur, deſo cribro cernendus est, ac subindè mortario reddendus dum totus traici possit, ac demum sedulò recondendus. Quæ multò sunt duriora, vt corallium, margaritæ & alia complura tum lapidū tum metallorū genera, quæ præsertim in collyria vsurpari solent, mortario primū crassiusculè trita, marmorī deinde vel porphyrio solidissimo inducuntur, & laboriosè læuigantur dū nihil asperum aut durū subsistat. Quæ porrò minus dura sunt aut arida, quia puluerari nequeunt, vt radices quædam & semina atque fructus, seorsum pila contunduntur pilo mundo, deinde cernuntur & aliis permista ficcioribus promiscuè teruntur atque puluerantur. Amygdalæ, pinei nuclei, cucurbitæ, melonis & aliorum quorūdam semina, quia trita pinguescunt & tempore rancida euadunt, minutissimè cōciduntur. Glutinosa vt gummi ammoniacum, bdellium & myrrha, quòd minimè contundantur, vino, aceto, aut alio quouis liquore soluuntur & expurgantur. Hæc igitur aut seorsum singula, aut confusa puluerantur, sed quadā serie, primūque durissima, postremò tenerima. Pulueres tum cardiaci tum corroborantes, ampulla vitrea reconduntur in vsus: quibus nunquam pinguis semina, vt quæ diuturnitate rancescant immiscenda sunt, sed quum apparabitur electarium illa postulans, tum recentia addentur opportunè.

Pulueres ad varios accommodantur affectus, non solū ad venena & vulnera aut ad vires corroborandas, aut ad iuuandam cōcoctionem, sed præterea ad sistendas destillationes, ad aluum vel cohibendam vel subducendam. Is si non admodum insuauis est, purus

purus datur: sin insuavis, addito sacchari triplo aut quadruplo. Extrinsecus quoque in varios vsus pulueres tum capiti tum aliis partibus inspergi solent.

Pastilli quos *προζυμους* & *κυκλικους* seu orbiculos complanatos Græci dixerunt, ex pulueribus quoque ac plerumque ex metallicis fiunt. Arida quippe medicamenta diligenter contrita, humore aliquo nõ pingui iunguntur excipiunturque dum coeant, vt liquore stillaticio, vino, aceto, herbarum succis, aut quadam mucilagine. Humore absorpto concinnantur formulæ orbiculares lupinorum specie, propterea que *απτιοκοι* Græcis & nobis pastilli ceu parui panes dicti, qui aut blando igni exiccantur, aut sensim in umbra exarescunt recondunturque. Cũ vsus requirit, conuenienti humore diluuntur, aut ce-  
 10 rato molli, aut in alias coaptantur formas. Hoc tantũ distat à puluere, quòd huius soluti putent vires promptius dissipari & vanescere, pastilli verò vt pote solidioris atque compactioris, melius retineri & conseruari.

Antidoti non solum aduersus venena, quæ vel per morsus, vel per cibos, vel per portiones, vel per inspiratum contactumve inferuntur, sed aduersus viscerum interiorumque partium affectus omnes, ad vires quoque corroborandas, & ad expurgandos humores datur perinde ac pulueres: ex his enim fiunt vel melle vel passo exceptis. Mel optimum infictilem patellam coniectum aquæ vel alterius liquoris quadrante diluitur, sensimque moderato igne coquitur atque despumatur, cumque expurgatũ planè fuerit, deponitur, & feruore sedato per ducto que ad teporem qui immissum digitũ admittat  
 20 (nam calidius puluerum vim absorbet) in libras singulas ternæ confusorum puluerum vnciæ paulatim insperguntur, paulatimque ligneo pilo melli permiscuntur, dũ vbique substantiarum quædam sit æquabilitas. Cũ mixtura prorsus infrixit, eximitur & pyxide reconditur, nec liquida nimis nec solida, vt deinde mutua simplicium actione melior succedat fermentatio. Si amygdalæ, dactyli, aliive fructus, aut saccharum etiam indendũ fuerit, aut cassiæ aut thamarindorum pulpa, aut mãna, minimè debet istorũ causa mellis pondus augeri. Et hæc conficiendæ antidoti summa est ratio, in qua simplicium vires integræ persistunt admodũ efficaces, probèque fermentantur, & diutissimè conseruari possunt, huius innumera posthas exempla suppetent.

Electuarium formæ solidioris iuniores antidoti vice in laboratium gratiã substitue-  
 30 runt, idque saccharo concinnatum, sed commodo & effectui minori. Neque enim simplicium æquè validæ vires manent, neque par est fermentatio, neque conseruatio. Pulueres eadem ac in antidoto ratione triti cretisque confunduntur: saccharũ verò liquore stillaticio, aut quouis alio qui tamen acidus minimè sit (nunquam enim vel limonum, vel mali punici succo, vel aceto solutum denuò obdurescit) igne diluitur, despumatur expurgaturque, coquitur lentè supra syrupi crassitudinem, atque dum extracta guttula soliditatem prorsus adepta videatur. Tum demum aliquantum refrigerato, paulatim puluis inspergitur, & accuratè pilo agitatur, confunditurque dum æquabilis omnium sit vnitas. In singulas expurgati sacchari vncias, pulueris nõ admodũ ingrati drachmas  
 40 sæ inducitur, pilo dilatatur atque cõplanatur, & refrigerata discinditur in tessellas vel quadratas vel quadrangulas vel rhomboideis, ponderis duarũ triumve drachmarum, *Rhõboideis.* quæ in sacchari duritiem siccescant. Quidã mixturæ adhuc calentis guttulas excutiunt quæ mox concrescunt in orbiculos, vt in electuario cui manus Christi nomẽ indiderunt.

Pillullæ ex aridis quoque sed minus laboriosè contritis medicamentis finguntur, quibus plerumque arefacti succi, & lachrymæ gummi accedunt. Omnia conuenienti pon-  
 dere permista, humore excipiuntur non pingui quidẽ, sed neque tenui vt pastilli, lèto tamen & glutinoso, vt in massam iuncta aptius cohæreant, nec tempore exiccata massula dehiscat, nec simplicium expiretur facultas. Humor igitur aut mel erit coctum & expurgatum, aut syrupus crassiusculus, aut lèta quædam mucilago ex idoneo succo vel  
 50 liquore cõparata. At nihilominus si vel lachrymas, vel gũmi, vel succos, vt aloën, scammonium, lagapenum, ammoniacum, tragacanthum compositio habeat, tenui quouis liquore cogi satis ea poterit. Ac primum quidem gummi aut lachrymæ expurgatæ subiguntur pilo calido dum mollescant, pulueres paulatim induntur, ac postremò liquoris affunditur quantum mistura postulat. Molliuscula sit initio, vt simplicium concursione fermentatio proba fiat, exacto biduo aut triduo recondenda massa oleo amygdalino oblinatur, obuolutaque aluta vel tenui membrana referatur in pyxidem.

*De medicamentorum formis, primum de delinctu. Cap. XVI.*

**L**LINCTVS, Græcis eclegma, thoracis destinatus affectibus, mediam fortitur substantiam eamque glutinosam, ne præproperè elabatur in vētriculum, & media quasi via subsistens atque obhæres, thoraci pulmonibusque impartiri possit. Fit igitur maximè ex fructibus, cuiusmodi sunt vuz passæ, dactyli, ficus, myxaria, zyzipha, & ex succis glycyrrhizæ, scyllæ, brassicæ, præsij, hyssopi, ex tragacantho, gummi arabico, ex semine cydoniorum, maluz, melonũ, cucumeris, citruli, ex amygdalis, auellanis, strobilis. Horum igitur contusa cretæque impulsu materia, aut melle cocto, aut syrupo, aut mucilagine accommodata excipitur, dum mediam nacta crassitudinem, mellis aut pultis modo delingi possit. Si qui præterea pulueres, vt cinamomi, zinziberis, iridis, ari, dracũrij, aut diareos aliorũve electariorum induntur, pro eorum modo lentus liquor, qui omnia cõprehendat augendus. Fit etiam linctus ex ipsis electariis & saccharo candefacto, aut penidiis, quæ in eam formam thoracico quodam syrupo soluntur. Quocirca liquoris quantitas præscribi nulla potest, sed artificis committenda arbitrio.

*De succis medicatis & conditis. Cap. XVII.*

**S**VCCAGO, Græcis δροχύλισμα, & Arabibus robub appellata, succus est fructuum herbarumve expurgatus atque defecatus, & ignis Solisve beneficio in duriusculam sapæ consistentiam percoctus. Hæc diu incorrupta seruari potest, & simplex appellatur: quæ autè mellis saccharive nonnihil in palati gratiam acceperit, composita. Ab vna triplex omnino substantia elicitur, vna quum in lebere coquitur, exprimitur, & quod expressum fuerit, denuò in duriusculam consistentiam recoquitur, hæc veteribus inusitata fuit. Altera quæ propriè sapa Latinis, σιράιον & ἑλίμα Græcis, & rob Arabibus appellatur, ex quàm recentissimo fit musto ad tertias cocto, quod & mellis crassitudinem superat, & tẽpore dierumque numero vt saccharum cãdescit. Quòd si aliquantum tardetur, dum dulcore minimum deposito acrimoniæ nonnihil mustum conquirat, nunquam postea in sapa concresecet. Sed ex hoc ad dimidias aut etiam ad tertias cocto expumatõque, fiet quod veteres defrutum dixerunt, id etiam ex meraciore vino conficitur. Sic sanè & coroneorũ, & ribes, & baccarum oxyacanthæ, & cerasiorum, & pyrorum, & malorum & prunorum recens succus feruefactus concresecet in sapaalem crassitudinem, quæ aut simplex fiet, aut addito saccharo composita. Herbarum & fructuum expressi succi in alios, vt supra dixi, vel siccantur vel reconduntur vsus.

Condiuntur fructus aut saccharo, aut melle, aut permistis ambobus: exigui quidem vt cerasia, pruna, baccæ ribes & oxyacanthæ, integri: maiores vt mala, pyra, cydonia, persica, citrea, iuglandes virides confecti & foris intusque purgati. Saccharum aqua solutum clarificatur & percoquitur, tũque humidiores fructus, vt cerasia, corna, pruna, persica, baccæ ribes atque oxyacanthæ immerguntur coquanturque leniter, donec absumpto fructuum humore saccharum in priorem redeat consistentiam. Fructus verò duriores, vt coronea, iuglãdes virides, citrea, pyra & mala, intus forisque purgati atque confecti elixantur donec tenerescant, deinde eximuntur & demadescunt: in hac eorum aqua saccharum dissoluitur, clarificatur & percoquitur: huic dein fructus redduntur & recoquantur, dum reliquo humore absorpto, syrapi consistentiã fiat. Amariore fructus vt iuglandes, citreorum & aranciorum cortices, nouem circiter dies tenui lixiuio quotidie mutando macerantur, exin aqua coquantur dum mollescant, condiunturque ea quam dixi ratione. Haud secus radices vt eryngij & satyrij, acori & zinziberis, herbæ quoque vt menta, lactuca, earumque teneriores cauliculi condiri solent. Hæc portò saccharo imbuta ac bene saturata eximuntur, & sole vel igne lento exiccantur, vt condita sicca euadant, quæ plerõsque magis quàm liquida iuuant.

Condiendorum florũ diuersa est ratio: puluerato enim duntaxat immerguntur saccharo, vt conseruari possint, quæ proinde conditura neotericis conserua nuncupatur. Quòd enim florũvis coctione facilè dispereat, nõ igni coqui, sed dũtaxat in solari debent. Flores igitur vt rosarũ, violarũ, buglossi vtriusque, nymphææ, genistæ, cichorij, arãciõrũ, persicorũ, betonicæ, saluiæ, hyssopi, pæoniæ, rosmarini, calẽdulæ, exemptis superuacuis deme-

demetuntur summo vigore. Hos dein alij integros, simulque saccharum duplo pōdere pulueratum in vitreato vase inuicem insternunt, insolantque vnum, duos, tresve menses pro florum tenuitate & natura. Alij recentes flores laboriosè conterunt, & sacchari duplum triplūve pondus addunt, exquisitè illa permiscunt, recondunt & insolant, ut sensim nulla virium aut odoris dissipatione fermētatio fiat. Alij saccharum tenuissimè terunt, huic rosarum aliorūve florum succum affundunt, ex iisque confusis pastillos, & figurę cuiusuis panes cōfingunt, quos linteo obductos insolant, dū planè exaruerint. Hos bene reconditos conseruant in annum, ad quosuis vsus multò cæteris præstantiores. Quidam flores integros duplo triplōve primario saccharo liquato & adhuc calēte

10 immergūt & perfectè cōmiscēt, dein vbi refrigit misturā pyxidibus recōdūt & insolāt. Conditum compositum quale iuniores plerique in rem præsentem præscribendum duxerūt, mixtura quædam est apposita ex simplici condito aut conserua, & ex quodam electario aut puluere corroborante, quibus tandem conueniens sacchari modus adiicitur. Temperandorum lex quidem nulla, sed vtilitati iungenda est commoditas. Rarò tamen cōseruarum vncia, plusquam puluerum drachmā admittit: ut in cardiaco quod habet condituræ buglossi, nymphææ & rosarum, corticis citri conditi an. vnciam dimidiam, pulueris electarij diambæ, de gemmis & diamargaritō frigidi an. scrupulum dimidium, ossis è corde cerui, seminis citrei & cardui benedicti, radicū tunicis & tormētille an. scrupulum vnum, scobis vnicornis grana octo, folia auri minutim concisa sex

20 numero, sacchari albi quantum satis esse videbitur ad conditi formā. Huc quædam rerum affinitate pertinere videtur mixtura quæ neotericis est pasta regia, Mesuæ electarium regium. Ex his ea maximè cōficitur quæ pectoris pulmonisque vitiis, & extenuatis succurrunt: cuiusmodi est quæ cōtinet, amygdalarum dulcium cortice liberatarum ℥i. strobilorum, pistaciorum recentium & expurgatorum an. vnciam dimidiam, pulpæ dactylorum, myxariorum & vuarum passarum an. drachmas sex, gummi tragacathi & Arabici an. drachmam vnam, amyli vncias duas, pulpæ capi elixi vncias quatuor: fructus omnes aqua rosata aliquandiu macerati cum cæteris tundantur, & saccharo modo cōuenienti paulatim insperso omnia subigantur in massam, ex qua boli aut panes dulcarij fiant cuiusuis figurę, sensim exiccandi, & auri foliis obducendi. Adduntur interdum

30 quatuor seminum frigidorum maiorum cortice expurgatorum, seminis papaueris albi & sesamini, an. drachmæ duæ: interdum cinamomi drachmæ tres aut semuncia, interdum ambræ aut musci sex octōve grana. Quæ ex quibusdam horum massa simplicior conficitur, si diligenter subacta in panes aut placentulas cōncinnetur furnoque leniter coquatur, fiet qui Massæ panis aut Marci panis à iunioribus est appellatus. Et hæc quidē præcipuæ sunt sumendarum compositionum formulę, quæ nunc vsurpari solent: deinceps quæ foris admouentur tradendum.

*De externorum medicamentorum formulis, ac primū de humidis. Cap. XV III.*

40 **N** externis medicamentis prima sint humida fomenta, quæ ut variis partibus & in varios coaptantur vsus, ita & ex varia constant materia. Alia dolores leniunt, alia laxant atque emolliunt, alia adstringunt, alia siccant ac dissipant, alia partes corroborant. Sua autē est cuiusque affectus & partis apta peculiarisq; materia. Hæc nō aliter quàm suprā dixi, ex cōueniēti idoneoque liquore coquitur, aliàs ex aqua simplici, cui interdū sub finē vinū vel acetū sit adiectum, aliàs ex lacte, aliàs ex lixiuio, aliàs ex ferrariorum aqua. Modus & quātitas tū simplicium tū liquoris, partis fouendæ magnitudini & situi accōmodetur. Itaque ad caput siccandū atque corroborandū, & ad eius destillationes sistendas, lotio fortisque fiet ex cephalicis stirpibus, tenui lixiuio incoctis, addito interdū vino, interdū sale aut alumine. Ad lateris dolores finiēdos, ex molliētibus, anodynis & leniter discutiētib; aqua incoctis, affuso interdū vini albi quadrāte. Ad vētriculi dolores & eius cōcoctionē iuandā, ex stomachicis, vino rubro adstringēte & aqua percoctis. Ad iecoris lienisq; tumores & veteres infarctus, ex molliētibus & attenuātibus, quibus & adstricto lenis ad partū robur accedat, nūc vino albo, nunc aceto sub finem imposito. Ad nephritidē laxantib; & anodynis, aqua simplici vel hydromelite incoctis fouendū. Vtero his quæ tū affectui, tū parti cōueniēt, modò forū, modò vapore succurritur. Fetus porrò parti affectę per filtrū, vel per spōgiā inducitur, quę eo ipso iure calēte imbuta, ac de idē expressa sit,

aut per vesicam, aut per lagenam eiusdem iuris plenam. Quum amplior est pars, quam ut fotu vlllo regi tota possit, incessus aptadus est, costas copiosiore decocto, in quod pars tota affecta immergi possit: non alia is quam fomētum ratione cōparatur: particulatim autem mirè conducit tibiārū atque coxendicū doloribus: vteri affectibus mensibúsque ciendis, colicis, iliacis, præsertimque nephriticis doloribus. In hunc quippe laborantes partes omnes demersæ, plurimùm leuantur nulla reliqui corporis perturbatione.

Balneum verò ut totius est corporis, ita & eius tum interioribus tum externis cōfert affectibus. Quod moderatè frigidum est, aut egelidum, aut nõdum tepidum, calidiores viscerum intemperies emēdat, quibus plerumque corpus vniuersum absumitur atque marcescit: corporis summa refrigerat, itémque dēfat, sudores coërcet, nec tenuem substantiam dissipari finit. Tepidū quo diutius sine manifesto calore corpus madescat, in sitū calorem luscirat & auget, hunc cum optimo succo & alimento in corporis summa euocat, omnia humectat ac modicè refrigerat, extenuata implet, habitumque meliorē procurat, nec quicquam sudore halitūve digerit: quæ omnia cōfert, nulla corporis, humorum, aut spiritū perturbatione. Quòd porrò calidius fuerit, corpus calfacit, rigidis perfrigeratísque neruis atque musculis opitulatur, humores crassos attenuat, cōcretos diluit, colliquat, fluxilésque reddit, interiora quoque sed maximè cutis spiracula laxat, sudores ciet, multaque dissipat è corpore, hácque ratione ex accidenti siccatur. Simul verò his est incommodis molestū, fluxiones si quæ sunt in partes imbecilles auget, spiritus incendit, corpus vehementer exagitat, adeò ut si vel plethoricum vel impurum fuerit, morbo promptè tētetur. Atque balneum eiusmodi simplex esto. Compositum verò ut fomentum variam simplicium materiam pro affectus symptomatisve natura continet.

Epithema aliter quam olim nunc plerique vsurpant, estque tum viribus tū formula à fomento diuersum: id similiter parti cuiquam admouetur ferèque principi, quam vel ab intemperie, vel ab insiliente malignitate vindicare, vel corroborare consilium est. Id cordi & iecori peculiare est. Cōcinnatur ex aquis stillaticis aliisve liquoribus, & binis vnciis singulæ accommodatorum puluerum drachmæ dissolutè permiscetur, mixtura deinde tepesacta per spongiam tenuem vel per pannum mundum imbutum expressumque parti inducitur. Nonnunquã pulueres aliæque simplicia sacculo includuntur, qui tepentibus aquis inspersus imponitur. Ut ad iecur calidum & imbecillū id confert, in quo sunt aquarū stillaticiarū endiuie, cichorij, portulacæ, rosarū, plantaginis an. ʒ ij. aceti ʒ j. β. in quibus soluantur rosarum rubrarum, cimaram absynthij, trium santalorum, cyperi, schœnãthi, trochiscorum è camphora singulorū pulueratorum ʒ j. fiat epithema. Cordi verò muniēdo atque corroborādo superponatur quod habet aquarū buglossi, boraginis, rosarum, cardui benedicti & scabiosæ, vini albi odorati an. ʒ ij. in quibus soluatur foliorum melissæ & pimpinellæ, grani tinctorij, xyloaloes, corticis citri sicci, radicum dictamni & tormentillæ an. ʒ j. caryophyllorum ʒ β. croci ʒ j. fiat epithema. Si pulueres sacculo libet comprehendere, crassiusculè terantur ac duplo ferè pondere. Sacculos eos ipsos citra vllius humoris perfusionem nonnunquam partibus inducunt, sed vsu minore.

Mucilago ad humectandum, molliendum & leniendum dolorem in primis efficax, tum sola tum illitui iuncta. Elici autem ea solet ex plerisque seminibus, ut cydoniorum, althææ, malux, psyllij, lini, fænigræci, quæ aliquantum tusa aut incisa in liquore aut stillaticio aut alio qui ad rem conducatur macerantur: hic tepesactus vel feruesfactus dū totus lenti cuiusdam mucoris speciem induat, linteo colatur & exprimitur. Singulis autē aquæ vnciis singulæ seminum drachmæ satis sunt. Sic cydoniorum & psyllij contusa femina, in aquis solani & plantaginis maceratur ad erysipelata & quasuis inflammationes. Sic ad molliendū althææ & lini mucilago elicitur ex iure ficuū, & fænigræci mucus ex aqua chamæmeli aut saluix aut ex hydromelite, cum quid leniter resolui postulat.

De oleo, cerato, vnguento. Cap. XIX.



LEI genus statuendum duplex, vnum simplex, mistum alterum. Simplex fit aut pressu aut destillatione. Pressu ex fructibus, baccis aut seminibus oleagineis, quæ mortario tusa, & aquæ calidæ vapore tepesacta, sacculoque inducta, torculari premuntur dum purum emanet oleum. Ita quidem ex amygdalis dulcibus & amaris, pistaciis, strobilys, nucib<sup>9</sup> auellanis & iuglandibus,

dibus, atque etiam ex baccis lauri, iuniperi & myrti, ex seminibus lini, canabis, ricini, cucurbitæ, cucumeris, papaueris & hyoscyami: denique ex vuarū acinis tritis, calfactis & torculari expressis oleum simplex elicitur. Destillatione verò ea quæ per descensum appellatur, ex lignis herbarum foliis arefactis, & olla comprehensis, vi ignis superpositi oleum in vas subiectum & agglutinatum profluit, quod ferè empyreuma redoleret: quæ ratione oleum eruitur è iunipero, tartaro & è lateribus quod philosophorum nuncupât. Elicitur & destillatione per ascensum dicta, quomodo supra docui, quintam essentiam iunioribus inuentam, è stirpium materia seiungi, præcipuamque earum vim cum odore atque peculiari sapore retinere. Mixtū porro oleum è simplici fit, in quod stirpium, 10 fructuum, florum & quorūvis simplicium materia mergitur: id deinde insolatur vel coquitur dum inditæ materiæ vires profus hauserit, tū demum exprimitur atque recoditur. Sic oleum fit rosatum, violatū, melinum, rutaceum, vulpinum, scorpionū, lumbricorum, aliæque generis huius cōplura. Simplex oleum ex oliuis aut amygdalis expressum fumitur, omnis alienæ qualitatis expers, purissimum ac optimum, quod integrè ac purè eorum quæ infundentur velut cōmunis quædam materia, vires excipiat. Hoc autem vt pulchrius synceriūsq; euadat, & ne tempore pinguescens aut rancescens sordescat, tetrūmq; nanciscatur odorem, lauari in primis debet vel aqua simplici, vel rosacea, blandèque agitari, aqua subinde murata dum profus albescat. In eo macerantur medicamenta quadrantis aut (vt vires erunt) sextantis pōdere. Si non insolatu, sed coctio-

20 ne comparandum id est, cum medicamentorum materia humor quoque aliquis vt vinum, aqua simplex vel stillaticia, vel succus de recenti stirpe extractus affundatur, & eousque decoquantur dum humor omnis absumptus fuerit, & olei guttula igni data non amplius crepiter, ne si asseruandum fuerit, putredine sitūve inquinetur. Humoris indendi modus quadrans ad oleum aut etiam triens esto: aut oleum sine humore duplici vase sensim coquatur, ne feruendo vstionis vel nidoris insuauitatem conquirit. Atque hæc & similia composita olea veteribus Græcis quidem *μύρα*, Latinis verò vnguenta ceu vnguina odoramenta appellantur. Vnde myropolæ & vnguentarij dicti qui aromatibus atque aliis odoratis rebus olea imbuunt ac spissant ad odoris gratiam. Iphis siquidem eiusmodi odores conditi experebantur, non ad fomenta solū & 30 cataplasmata, aut ad vlcera inunctionemve corporum, quibus vario vsu illinebantur, sed propter fragrantiam etiam & suauitatem odoris: quæ quidam nostris quoque & oleis & vnguentis quoad fieri potest concilianda esset, sed ea in re medicorum imprimis, dein & pharmacopœorum accusanda est incuria. Quinetiam simplex quoduis oleum si fragrabat vnguenti nomine dignabatur. Vnde laurinum vnguentum Galeno dictum: & Staete perquam odoratum & preciosum vnguentum per se efficere tradita Dioscoridi.

Embrocha non est vlla medicamenti compositio, sed vtendi quædam ratio: partis nempe cuiusuis irrigatio atque perfusio oleo facta quod vel altè cadendo, vel blandè fricando intrò adigitur.

40 Illitum appellamus quod veteres ceratū mollius dixerunt: ex oleo & cera in id comparatum, vt olei vis atque facultas cuti diutius insideret. Oleum quippe permisto ceræ triente aut quadrante incrassatur. Sed vt tēporis & cæli constitutio fuerit, ceræ plus minūve indendū est, vt æstuoso cælo plus, rigido verò minus. Cera minutim concisa in oleum cōiicitur, eaque liquantur simul vel igne lento, vel ne exustionē redolcant vase duplici: vix dū liquata igni substrahuntur, continentérque rudicula permiscētur dum coeant. His interdum adipēs adduntur, & axungia, & mucilagines, quæ paulatim quoque refrigerando permiscuntur. Si nihilominus exustio metuitur, cera pilo calido subigenda est, adiecto adipe aut mucilagine, vt res postulat, sensimque affuso oleo dum omnia in linimenti mollitudine concreuant. Hoc genere continentur quæ quòd fati-

50 gatis neruis affectis que lassitudine musculis sint vtilia, acopa Græci dixerunt: cuiusmodi est quod habet, olei, ceræ an.  $\zeta$  ij. terebinthinæ  $\zeta$  ij. mellis  $\zeta$   $\beta$ .

Vnguentum id iam appellant quod Græcis est *εἶς*, *εἶς*, medicamentū quidem quod in cerato molli crassiusculam quandam materiam confusam habet, vt idcirco ceratum crassius appellari iure possit. Ea autem est herbarum arefactarum, aut metallorum, aut terrarum puluis tenuissimus, qui refrigerentī cerato inspergitur, & ne quid grumosum maneat, accuratè spatula permiscetur, id cerato seu linimento aliquanto crassius

euadit. Mixturæ modus est vt oleū pulueris quadrantem, ceræ verò sextantem contineat. Succiquum ex vsu erūt & gummi & resinæ, sicciore quidem vt pix, vt mastiche, teruntur: humidiores verò vt terebinthina instillatur: mediæ vt ammoniacum & bdellium, aceto, vino, aut alio liquore solutæ induntur, siccaturque dum absumpto humore moderata fit vnguenti consistentia. Illius aut vnguenti præscribendi quantitas vix duas transcendit uncias, nisi affectæ partis amplitudo maiorem postulet.

*Puls, cataplasma seu malagma, emplastrum. Cap. XX.*

**P**uls ad demulcendum dolorem, ad molliendum, ad resoluendum & ad concoquendum, ex farinis fit liquore quodam solutis, & moderata coctione coactis. Nonnunquam & panis medulla farinarum vice substituitur: vt quum ad arthritidis dolorem panis mica lacte bubulo diluitur, coquiturque adiectis sub finem vitellis ouorum & croco. Nonnunquam mucilagines pro liquore sunt, vt si in libra vna mucilaginis seminum althææ, lini & fænigræci, paulatim igne lento hordei farina inspergatur, coquaturque cum ouorum vitellis & croco dum pultis forma existat. Butyrum adipis & olea his inter coquendum continenter misceri possunt, idque in varios vsus, & ne puls dum laboranti particulæ insidebit, præproperè siccescat.

Cataplasma ad eisdem ferè vsus atque puls accommodatur, media inter vnguentum & emplastrum quasi ex amborum materia mixtum, consistentia. Fit ex radicibus, herbis, floribus, surculis, coctis atque contulis dum abundè mollescant, adiectis dein farinis & oleis. Vnde non aliud cataplasma ceteri debet, quam quod veteres malagma dixerunt, cum & ex his ipsis quæ dixi medicamentis malagma confici Celsus tradat. Itaque recentes radices, herbae, flores, surculi, fructus, præsertim que caricæ coquuntur dum contabescant, cribro cernuntur, cretis adduntur & mucilagines, & farinæ, & adipis, & olea, rursumque coquuntur dum in pultis aut concreti mellis crassamentum coeant. Hoc deinde cataplasma linteum aut stupæ canabinæ inducitur, & super integram cutim iniicitur. Omnium autem modus is esto, vt stirpium pars sit vna, farinarum semis, adipis aut olei quadrans. Si quæ semina, aut radices aridæ aut stirpes indendæ fuerint, pulueratæ substituentur pro farinis hac formula: ℞. Radicum althææ, liliorum & iridis an. ℥ ij. caricæ sex numero, maluæ, violariæ, parietariæ, rutæ, absinthij, an. m. j. coquantur & cribrentur, deinde addendo florum chamæmeli & meliloti, seminis anisi & feniculi pulueratorum an. ℥ β, farinæ hordei, lini & fænigræci an. ℥ j. axungia anseris, olei irini an. ℥ iij. coquantur in cataplasma.

Sinapismus tum qui cum axungia tum qui sine hac fit, in cataplasmatum est genere. Conficitur enim ex pulpæ ficuum & fermenti pari pōdere, quibus seminis sinapis contusi quadrans concorporatur. Nonnunquam adduntur & farinæ & adipis, sed ea semper ratione, vt sinapi compositionis totius pars sit quarta, tamen si eius vis intendi remittive ex causa potest.

Emplastro forma solidior inest, quoniã id non inditur in vlcera, sed parti superinducitur, iccirco maximè vt eam corroboret & exiccet, vel impactos ei humores digerat, interdum vt concoquat, rarè vt emolliat. Non enim emplastri substantia intrò se infert, sed foris insidens quæ subiecta sunt potiùs in se rapit & euocat. Præcipua eius materia aut lithargyrus est, aut cera, aut gummi aliquod, aut permixta omnia, quibus tamen oleum aut adeps additur vt aptè cohæreant, nec partem cui inducantur inquinent, & quod ex his agglutinatis emplastrum fit, non adeò tenaciter parti adhærescat vt ægrè summo- ueri possit. Sic quod tetrapharmacum appellant ex oleo, cera, pice & resina coalescit. His lentis, glutinosi ac verè emplastici, aridarum stirpium, aut metallorum creti pulueres plerumque induntur, omniaque legitimè concorporantur. Primum autem si cera inditur, ea liquatur in oleo: si lithargyros, ea quoque ex oleo coquitur: si qui præterea insunt herbarum succi & liquores aut mucilagines, cum his pariter feruefiunt dum absumantur. Postea verò his permiscetur adipis, & resinæ, & gummi, vt ammoniacum, bdellium, sagapenum aut pura aut liquore quodam velut aceto aut vino soluta: postremò terebinthina infunditur. His demum confusis & in legitimam temperaturam coctis, igne subducto pulueres paulatim insperguntur, agitanturque spatha dum omnia in massam coeant.

coëant. Ex hæc manibus oleo perunctis subacta finguntur magdaliæ, ac tum tenuissima quæque admiscuntur, vt crocus humore solutus, moschus, ambra, & cætera quæ ignis vim nullam sustinent. Magdaliæ ea sint consistentia quæ minimè manus inquinant, & lentam nihilominus solidamque emplastri nãciscantur formam, nec mollem, nec planè duram. Sic igitur singulorum in temperatione quãtitas iudicio potiùs quàm legibus præscribenda: quam qui non obtinuerit, liquidis denuò vel ficcis mallaxãdo adiunctis, aptam compositionis formam inducet.

Est porrò & alia simplicior emplastri species, cum prætermisissis lëtis hisce & glutinosis, ceræ plusculum oleo liquatur, vt indendos pulueres cõprehendat. Ceratum durius non autem emplastrum id iuniores appellant. In hoc oleum & cera pari sunt pondere: at nihilominus cum ætas est aut recens pinguisque cera, paulò minus sit olei: plus verò si vetus aridãque cera aut hyems fuerit. Si qui pulueres cõueniant, hi detracta ceræ portione substituendi erunt. Et hoc quidem ceratum est durius. Vt autem emplastri forma existat, si quod gummi, aut terebinthina, aut adeps, aut medulla exigitur, minuentum est oleum. Si verò resina, pix, metallica, aridæ stirpes, aut alia quæuis exiccata atque puluerata inerunt, minus esto ceræ. Antequam autem horum pulueres indantur, reliqua quæ in cerati compositionem venerant, coquantur dum bene coëant, & eoufque dum exempta eorum portio atque refrigerata, legitimam emplastri consistentiam habere videatur, crassãq; sit mediocriter & vt cera igni remollita sequax & quadamtenus glutinosa.

Iuniorum quorundam sedulitas formarũ varietate capta, telas emplasticas inuenit, quæ pro partis affectæ magnitudine confectæ & impositæ, aliæ resoluunt, aliæ vlcerum fordes expurgant, aliæ illa agglutinãt & cicatrice obducunt, non in alios quàm emplastrum vsus aptæ. In emplastrum quod coquendo legitimam propè cõsistentiam sit assequutum, tela verustate quodammodo iam attrita demergitur, emplastro conuenienter vtrinque imbuta atque infecta, extrahitur tenditurque, vt refrigerata obdurescat, actũ demum obuoluta recõditur, vt quæ sic habet: olei, axungia porci, lithargyri, an. ℥ j. ceræ nouæ, axungia arietis, picis nigrae tusæ an. ℥ ss. coquantur sensim, sub finem addendo colophoniam pulueratã vncias nouem, cerusæ vncias tres: quũ idoneam substantiam compositio nacta fuerit, immergẽdum linteum, dum vtrinque infectum sit satis atque vbi refrixerit recondendum.

*De siccoribus medicamentorum formis. Cap. XXI.*

**P**ULVIS ad externos affectus, siue è stirpibus & earũ seminibus, siue ex metallicis & terrenis petitur, nõ aliter quàm sumendus apparatus: quãquam interdum formæ quædã crassiusculum postulat. Is in varias coaptatur formas, in sacculum, in scutum, frontale, cucufam, suffitum. Sacculus pro fomento sicco est ad flatus dissipandos, ad dolores qui ex his orti fuerint demulcendos, ad refrigeratos artus, ad humores euocandos & absorbendos, denique ad destillationes sistendas. Eiusmodi est qui cõrinet milij ℥ ss. salis vulgaris ℥ iiij. baccarũ lauri modicè contusarum ℥ ij. sem. anisi, fœniculi, carui & cumini, florũ chamæmeli, comarũ anethi, an. ℥ j. integra nec tusã omnia sartagine torrefiant, & protinus recondantur in sacculum: calidus capiti, ventri, aut cuius parti affectæ inducatur, subinde mutetur dum optatum effectum præstiterit.

Scuti forma ventriculo peculiaris est, in id maximè vt illius insitum calorem suscitet, cõcoctionem iuuet, illisq; omninò robur addat. Arida materia crassiusculè teritur ad vnciam vnã vel sesquunciã, carptoque bombace excepta geminis linteis cõsueitur in scuti formam. Vt in eo quod habet rosarum rubrarum, mêtæ, absinthij, saluia, sampsuchi, anethi an. ℥ ij. caryophyllorũ, nucis moschatæ, galangæ, schenanthi an. ℥ j. Redigantur in puluerem ex quo cum bõbace scutum concinnetur. Non alia ratione cucufa minorim cõsueitur, ad frigidam capitis intemperie, & ad dolores inde genitos, ad destillationem sistendã, modò eius forma capiti apta sit & cõueniens. Pulueris modus duarum est, vnciarũ: vt qui recipit saluia, sampsuchi, rorismarini, stẽchados, betonicæ, an. ℥ ij. corticis citri sicci, granorum alckermes an. ℥ j. piperis, cardamomi, caryophyllorũ, nucis moschatæ an. ℥ j. referãtur omnia in cucufam. in eisdem vsus is quoque puluis interdũ capillis inspergitur. Ex cardiacis vt ex melissa, floribus buglossi & rorismarini, ex semi-

*Scutum.*

*Cucufa seu cucullus.*

ne ocymi, cardui benedicti, xylo aloë, macere, singulis pōdere drachmæ vnius cum crōci scrupulo sacculus intersuitur cordi aptus. Ex his præterea quæ capitis ardorem compescunt & somnum conciliant, vt ex rosarū, florum nymphæ, violarum, betoniæ, serpylli an. ʒ j. frontale concinnatur: quibus si conciliādu somnus erit, addentur lactucæ, papaueris albi & hyoscyami, aut folia aut semina.

Suffitus & odora menta ad spiritus reficiendos & cor exhilarandum, ab externaque malignitate vindicandum: ad crassam pulmonum pituitam & infarctus solucndos: ad siccandum robor adūmque cerebrum, eiūsque destillationes coërcēdas ex conuenienti singulorum fiunt materia. Hæc trita aut prunis cādentibus inspergitur, vt odoratum fumum expiret: aut aqua rosarū stillatiōia vel alia odorata diluitur, quæ sensim igne incalescens, suauem halitum edat: aut in pilæ pomive formam conglomerata, in odoris gratiam circumfertur. Ad siccandū corroborandūque cerebrum efficacior est suffitus ficcus, qualis ex styrace, ex succo cyrænaico, xylo aloë & caryophyllis: sifititur destillatio suffitu ex rosis, mastiche, vernice. Pulmones expurgat ex tuſſilagine, iride, thure, aut sulphure. Cordi halitus confert ex xylo aloë, caryophyllis, nuce moschata calamo aromatico, styrace, benioin, ambra, moscho, quæ trita vt veterum thymiamata vel in pastillos referuntur, vel aqua rosarum vel lauendulæ vel florum aranciorum soluta, igni superponuntur.

Ex horum quibusdam pulueres sūt odorati, ex his rursus ladano exceptis poma odorata, vt quod habet styracis aridæ ʒ β. calami aromatici, benioini, rosarum rubrarum, maioranæ siccæ, radicis iridis florentiæ an. ʒ iij. macis, caryophyllorum an. ʒ ij. ambra, moschi, an. ʒ β. ladani purissimi quantum ad omnia concorporanda desideratur. Pilo malaxantur calido affundendo sensim aquam rosarum, aut naphthæ, vel terebinthine momentum vt tenacior massa fiat.

Sapo quoque horum permistione odoratus euadet, hac ratione, ʒ saponis albi (qui ex veruecis adipe, ex calce & sale constat) lb j. radicis iridis florentiæ ʒ j. mentæ, maioranæ, nucis moschata, caryophyllorum an. ʒ ij. aquæ lauendulæ quantum satis fuerit ad concorporandum.

Cypriæ quæ vocatur auiculæ eos ipsos pulueres habent, cū duplo aut triplo carbone è salice: ex his deinde vel ladano, vel terebinthina coactis iunctis que effinguntur auicularum formæ, quæ citra flammam ignem facile admittant, è quo fumus expiret. Si pulueres cum cera subigantur, ex hac concinnatæ minutiores tedæ, quum incenduntur, iucundum quoque halitum edent.

ʒ carbonis salicis ʒ iij. styracis, calaminthæ ʒ ij. benioin ʒ j. caryophyll. pulueratorum ʒ β. concorporentur cum gummi tragacanthæ, effinganturque vel tedæ vel auiculæ.

#### METHODI MEDENDI LIBRI QVARTI FINIS.

## Methodi medendi liber v.

### DE VSITATA INTERIORVM

#### MEDICAMENTORVM MATERIA.

#### P RÆ F A T I O.

**D**E SIMPLICIUM medicamentorum viribus generatim quidem dixi, & qua ratione permisceri illa componique debeāt. Nunc verò particulatim omnem eorum materiam persequi, & in quasdam facultatum classes digerere consilium est, quæ summis affectuum generibus ex aduerso respondent, vt unicuique medicinam facturo statim constet & in promptu sit, quod remedium ad curationem tum interioris tum externi affectus proferat. In id autem non solas simplicium medicamentorū quæ in eodem sunt genere, sed & singulares ac proprias cuiusque vires tum veterum tum nostra obseruatione cognitatas recensere, vt ex vnoquoque

quoque genere quid ad quēuis affectum aptius conueniat, accōmodatūmque sit, seli-  
gere liceat. Nō enim quęcunque vno & eodem genere cōtinentur vt attenuātia, pror-  
sus similia sibi sunt: sed singula in super peculiare sibi vires fortiuntur, quibus ad hūc il-  
lūmve affectū magis conducant, aut hanc potius quā aliam partem iuuent. Vniuersa-  
lis porrō interiorum affectuū curatio iis completur, quę partis cuiusque intemperiem  
corrīgūt, quę humores emolliunt, attenuāt, aut detergent, quę corporis vias leniunt &  
aperiunt, in quibus posita est omnis ad vacuationē pręparatio: iis deinde quę iam prę-  
paratos humores detrahunt & vacuant, quę vacuationis reliquias ex quauis particula  
eximunt, quę prorsus expurgatas partes ab omni malignitate aut intēperiei labe vin-  
dicant, quę illas tandem corroborant ac firmāt. Posthęc verō non admodum dissimili  
serie externarum facultatum materiā distinguam. Quę autem medicamenta singulis  
morbis atque symptomatis peculiari quadam dote opem ferunt, in particulari singulo-  
rum curatione tradetur. In his recensendis tū vniuersalibus tū particularibus remediis,  
ex immēsa medicamentorū sylua ea solūm protuli, quę velut optima & in hominū sa-  
lutem vsu longo cōprobata, medendi exercitatione vsurpari debēt. Quę nulla naturę  
& virium offensione cognita fuerint languentibus opem ferre, eximio quasi cultu ser-  
uanda sunt, nec temerē in noua quauis & incōperta prorumpēdum. Sapore multa aut  
profutura, aut nihil certē nocitura putantur, quę sępē vidi tacitis viribus, sola observa-  
tione noscendis, alia sumpta alia solūm admota, in perniciem summā & exitium mise-  
ros pręcipitare. Vtinā qui omnem ætatem discendis stirpiū nomenclaturis conterunt,  
operam suam iis experiendis sedulō nauarent. Vt in rebus cæteris quęcunque optimę  
sunt habitę, magno mortalium vsu retinentur, alię verō tempore exoleſcunt, ita & in  
stirpibus credi par est, eas omnium esse pręstantissimas, quarum prisca etiam nunc ex-  
tant nomina. Quocirca non operępretium esse duxi, hoc loco stirpes singulas & me-  
talla, atque res omnes terra marique comparatas, in medendi vsum eorum more co-  
aptare, qui omnia peræquē indignis laudibus quasi encomiis celebrare contendunt, na-  
turę potiū inani ostentatione aut admiratione quā medicinę fructu.

*Quę simplicem intemperiem corrigunt. Cap. I.*

30 **A**RTIVM interiorum totiūsq; corporis simplicem intemperie emendat  
contrariorum vsus, quę sumpta aut qualitate sola, aut sua pariter materia  
nos immutant. Qualitate sola, quę non in nostram vertuntur substantiam  
sed prętereūtia suam nobis qualitatem impertiunt, & intēperiem im-  
modicam temperant. Horū alia frigida, alia calida, humida aut sicca existunt.  
In frigidorum genere primas obtinet aqua simplex frigida, quę citra vllum substantię  
nostrę incrementum exuperantem calorem obtundit: ad quā deinde accedunt oxycra-  
tum, & portiones non pauca ex aqua comparata, & mali punici & citrij & consimilium  
simpliciū succi, in quibus tamen & alia quā refrigerādi facultas inest. In calidorū ge-  
nere habentur piper, zinziber, pyrethrū, sinapi, & quęcunque citra alimenti conditio-  
nem refrigeratas corporis partes calfaciunt, depulsoq; frigore calorē suscitant. Sic pro-  
pemodū de humidis atque siccis statuo, aquę potum aut balneum etiā si intrō subeat.  
& inanes corporis capacitates impleat, quod tamen minimē in corporis naturam mu-  
tetur, simpliciter humectare: quemadmodum & violam, & maluam, & althęam, & hor-  
dei decoctum, potus verō parsimoniā & arida omnia, quod eum superuacuum humo-  
rem absument, exiccare. Materia pariter atque qualitate intemperiem emendāt, quę  
coctione in sanguinē & succum verruntur alēdo corpori idoneū, qui pristinę qualita-  
tis semper particeps, cōditionis suę quandam substantiam gignit in nobis: sicque pro  
dissipata calida frigidā substituens atque reponēs, cum substātia ipsam quoque intem-  
periem mutat nouāque suggerit. Ea sunt quę alimenta dicuntur medicamentosa. In  
frigidorū ordine sunt lactuca, cucumis, pepo, cerasium, aliique fructus complures, qui  
dum nos alunt, nos pariter refrigerant, & exuperantē partium humorūque calorem  
obtundunt. In calidis numerantur vinum suaue, vua passa, strobili, pistacia, sorbiliū  
ouorum vitelli, & iuuenum quadrupedum auiūque carnes, horum quippē vsu corpo-  
ris substantia alitur, & pro frigida calidior redditur, notius quoque calor fouetur atq;  
suscitatur. In humectantibus ea sunt quę non humore superuacuo, sed vtili & alimen-

tario partium solidarum substantiam implent, alunt & augent; citra vllum caloris aut frigoris preter naturam incrementum, vt hordei cremor, pullorum gallinarum aut columbinorum decoctum, hœdinæ aut vitulinæ carnis iusculum, in quo etiã humidiores herbæ sint incoctæ. Corporis verò substantiam vehementer siccant & absumunt inedia, idque ex accidenti, per se autem panis biscoctus & arefactus è fabis, pis, hordeo & milio torrefactis & sale conspersis, & meracius gaiaci decocti ius. Copiosa est tum alimenterum, tum medicamentorum, tum etiam cæterorum remediorum materia, quibus intemperies omnis emendari abigique solet, nec integrè potest eorum tractatio sine medendi ratione compleri.

*De præparantibus. Cap. II.*

10



**S**IMPLEX intemperies diutius vix solitaria subsistit quin sibi cõsentanei humoris eiusque superuacui prouentũ faciat, & ex simplici cõposita euadat: hæc verò nõ antè potest cõmodè tolli, quàm vitiosus humor qui illius fomes est expurgatus fuerit. Expurgari autem cõuenienter nequit ante præparationem idoneam: hæc igitur si deest, vacuationi est præmittenda, ferèque curationis est initium. Est autem præparatio duplex, vna corporis humorũ altera. Vtraque rursus aut naturæ aut artis fit beneficio. Naturæ quidem in concoctione, qua sensim inutiles & superuacui humores, in siti caloris vi mitificantur & domantur, acres frenantur, crassi attenuantur, duri molliuntur, lenti detergantur, ad eò vt non amplius vel partibus vel iis ipsis adhærescant. Eos tandem sic cõcoctione præparatos, natura plerunque vel spontè vacuat: in idque opus illa etiã vias per quas excretura est dilatat atque patefacit. Cæterũ cum non semper natura valeat sola humorũ vitia domare, vt in diuturnis morbis, sed nec in acutis omnia illi tutò cõmiseris, id circò artis subsidio illam plerunque adiutare cogimur, præsertim autem vacuatione, & ante hanc tum corporis tum humorũ præparatione. Hac quidem non verè coquuntur humores superuacui, sed feruidi & acres téperantur, crassi attenuantur, duri molliuntur, lenti detergantur, & corporis exasperatæ viæ leniuntur, clausæ patefiunt aperiuntur ve: atq; in his maximè posita est omnis tum corporis tum vacuandorum humorum præparatio. De singulis igitur particulatim dicendum.

χαλινα-  
γωγόν.

Frænans domansque medicamentum dixeris quod ferocientes humores, turgentibus & quoquoersum impulsos coercet atque compescit, vt eorum perturbatione sedata, facilius sit in aluum deductio. Id autem frigidũ esse oportet, non tenuis substantiæ, ne magis exagitet, neque tamen crassæ, quòd hæc vacuationi obsit, sed quodammodo mediæ: cui etiam austeritatis quiddam sit adiunctum: hæc enim peculiari dote ferocientis humoris acrimoniam obtundit. Itaque medicamentum eiusmodi sapore austum, acerbum & quodammodo crudum existit, vt omphacium, succus oxalidis, mali punici acidi, citrij & medici, succus quoque oxyacanthæ & ribes: his enim maximè bilis retudetur acrimonia. Contrarium huic est medicamentum acre, quod vehemèti calore & tenuitate bilem auget, eamque cõcit & in furorem agit: quo genere est sinapi, nasturtium, piper, cardamomum, omnèque calidiorum aromatum genus.

Detergens medicamentum, Græcis est *ῥυπτικόν*, tum calidis tum frigidis humoribus præparandis aptum accommodatumque est, quòd vtrisque lentor plerunque insit. Id lentos atque glutinosos humores aut visceribus aut internis, meatibus, aut etiam vlceribus cutisve poris præter naturã adhærescentes eluit, præteriensque secũ deducit atq; rapit. Quod cutis poros expurgat, quia in eos penetrare debet, tenuis cuiusdã & nitrosæ est substantiæ: quod verò interiore infarctu liberat, siccum est & mediæ cuiusdam substantiæ: quod enim tenuius est, celeritate nimia citra effectũ vllum penetrat, hoc verò moram quadam & moderata crassitie lentos humores cõuenienter abradit. Sapore id ferè amarum est, qui & in eadem substantiæ mediocritate cõsedit: hæc illius detergendi facultas interdum cum frigida est intemperie, vt in cichorio, & omni intibi genere: sed efficacior cum calida, quæ tamen citra ordinem tertium existat, vt in absinthio, in aristolochia & centauro.

Huic ex aduerso opponitur glutinosum, Græcis est *ἔμπλαστικόν*, cuius partes colligatæ inuicem tenaciter cohærent. In quamcunque id corporis partem impegit, ei firmitus adhærescit, eam oblnit, atque etiam si caua est, obstruit: verè inquinans, infarciens & emplasticum

50

emplasticum id est, In interiores corporis ductus insertum, eos obstruit & infarctu implet: cutis meatibus illis tenaciter hæret, eosque pariter obstruit. Huic media quodammodo est materia, humore multo aqueo vel aëreo, sed tamen tenaci perfusa: citra manifestum calorem, in quadam calidi frigidique mediocritate. Eiusmodi est quod pingue appellant, quodque dulci est sapore, aut insipidum, nec acre, nec mordax, nec acidum, nec falsum, nec amarum.

Attenuans medicamentum quod Græcis est λεπλωτικόν, crassos atque compactos humores incidit, comminuit & variè disiungit. Id facile penetrare oportet, ac proinde tenuis esse materia: siue pariter frigidum sit ut acetum, siue calidum ut piper. Cæterum quod in tenui materia calorem habet secundo aut tertio recessu estque ferè sapore acri, id in attenuantium genere valentissimum est.

Incrassans quod Græcis est παχλωτικόν, tenues fluxosque ac liquidos humores, consistentiores compactioresque reddit: hoc verò efficit dum crassa sua materia se tenuioribus illis permiscet, perinde ac si aquæ terra inferatur fiatque lutum. Sita est hæc vis & facultas in crassa & terrena substantia, quæ aut frigida aut temperata sit, citra vllam acrimoniam.

Obstructione & infarctu liberans quod Græcis est εκφρακτικόν, non simplex est & vniusmodi, ut neque vna atque simplex est obstructionis ratio. Sed ut hæc vel à lento vel à crasso sit humore, ita & quod obstructione liberat, vel detergens est vel attenuans, vel etiam interdum emolliens. Præcipuè autem infarctu liberans id appellare liceat, quod vnum potest omnia præstare. In his igitur posita est vacuandorum humorum præparatio: at verò eam quæ corporis est, hæc præcipuè faciunt.

Leniens seu læuigans Græcis est λειώνον, asperas & summa facie inæquales partes æquabiliter implet, ac planas leuè que reddit. Exquisite humidum, id est humore multo aqueo atque etiam aëreo abundans, in mediocri tamen & minus crassa quam glutinosa materia, quæ tamen humorem ipsum cohibeat, nec diffuere sinat, ut melius implendis partibus atque læuigandis adhærescat. Estque quemadmodum & glutinosum in quadam caloris frigorisque mediocritate, omnis acrimoniæ & vehemèntioris qualitatis expers.

Exasperans Græcis est εξαχύνον, detergente multò est validius, ut non solum sordida & aliena eluat, sed & partium quibus adhærent substantiam corradat, & quadam inæqualitate diuellat. Id certè vehementer siccum est, & calore quodam præditum, in mediocri tamen materia: hoc genere sunt centaurium minus, aristolochia, aloë & quæcumque vehementer amara sunt, salsa & acria.

Aperiens medicamentum quod ἀνασφρακτικόν appellant, vasorum ora reserat, omnè que interiorum partium ductus, ut venas, arterias, vieteres & intestina dilatat & amplificat: quæ conuenient iunctaque sunt soluit, longiusque disiungit. Id substantia est mediocri, sed tamen calida, ut altè penetret, nec immodicè sicca, ut commodius relaxet, nec vias coarctet.

Occludens atque coangustans, quod venarum & arteriarum ora reliquosque corporis ductus coarctat, & in angustum adducit, Græcis est σπαστικόν. Crassioris id substantiæ est, frigidum pariter & siccum, omnis expers acrimoniæ & amaroris, ut quod in austerorum adstringentiũque genere primas obtinet.

Dissoluens διαφρητικόν dicitur, quòd intrò sumptum detergendo & attenuando non solum obstructas vias aperit, sed & obstruentes humores in corporis summa impellit, eosque tandem vel sudore vel halitu dissoluit. Id autem substantiæ est tenuis & calidæ, ut detergendo attenuandoque celerrimè penetret in omniãque subeat: huic ex aduerso est cohibens, & tenuis humoris dissolutionem coercens: quod certè vel crassum omnino est vel oblinens. Deinceps autem quæ sit expositarum facultatũ materia tradendum.

50 *Frigida quæ estuantem & ferocientem bilem compefcunt, inhibentque putredinem. Cap. III.*

**R**IGIDORVM medicamentorum alia simpliciter refrigerant, ut lactuca, alia refrigerando acrium humorum imperum sedant, ut mali punici succus, alia attenuat & detergunt infarctũque liberant, ut cichoriũ: de quibus sigillatim dicendũ. Lactuca frigida est initio tertij, humida secũdo, idque simpliciter citra adstrictionem

aut vllius qualitatis excessum, cruda quæ estur, aquæ frigide modo refrigerat, ventriculi & præcordiorum æstum compescit, bilem feruidiorémque sanguinem frenat. Neque tamen vt aqua emollit, aut ventriculi præcordiorumve robur soluit, sed nulla offensione pro succo feruido temperationem profert, eúmque benignum ac probum. Ea temperatione somnum accerlit, veneris insomnia coërcet: ad quæ eius quoque semen vsurpari solet.

Portulaca frigida ordine tertio, humida secundo, sapore austero, bilis feruorem per febres maximè ardentes atque malignas, eiusque ferocientis & concitatae impetum sedat, & putredinem cohibet ne serpat longius. Ventriculum corroborat, eiusque vomitiones sedat, cum præsertim siti à bilis ardore exæstuat. Ventris quoque biliosas fluxiones atque dysenteriam sistit. Cruda acetariis expetitur, herbæ coctæ ius & interdum succus medicamentis, quorum penuria semen vsurpant.

Plantago vtraque frigida siccaque est ordine secundo, modicè astringens folio & semine, radice quoque abigendis febribus peculiariter est efficax. Ea quoque bilis feruorem compescit, sitim sedat, etiam si vel decocti ius, vel stillatius liquor ore contineatur. Sanguinis reiectiones aluique biliosos fluores & dysenteriam cohibet: at nihilominus iecur renésque infarctu liberat.

Rosa frigida primo, sicca ordine secundo, leniter adstringens præsertim alba, rubra verò paulò minus frigida, sed sicca adstringensque magis. Quocirca bilis æstum retundit, confertque ad febres ardentes & quascumque putrescens biliosus humor procreauerit. Ventriculum iecurque corroborat, & effluvia reprimat quibus per febres caput tentatur, eiusque dolores demulcet & somnum conciliat. Quòd sapore nõ admodum iucundo sit, stillatius liquor huius in eadem non minori facultate accommodatur. Rosa pallida caloris est particeps atque siccitatis in tenui substantia, multoque magis quæ moschata appellatur. Vtraque amara abstergensque, venarum, arteriarum ac præcipuè iocinoris obstructions expedit, nec secus ac aloë crebro vsu ora venarum aperiens sanguinem prolucit: bilem flauam serosisque humores subducit, ac proinde morbo regio incipientique hydropi non parum confert.

Omphacium vnae acerbæ & nondum maturescens succus, frigidus est ordine secundo, siccus primo, austerus quemadmodum & fructus omnis crudioris succus. Æstum omnem febriumque ardores valde compescit. Incipientes phlegmonas cohibet, putredinem coërcet ac sitim extinguit. Ac nihilominus iecoris obstructions expedit, vt idcirco regium morbum fædósque colores abstergat: quæ dum præstat, leni simul adstrictione ventriculum iecurque corroborat, nec vt acetum acrimonia ferit.

Cerasium quod rubrum subacidumque est, frigidum ordine secundo siccumque primo est, languenti stomacho confert, appetentiam excitat & sitim extinguit. Eius succus quum vini modo expressus deferbuerit facemque deposuerit in annum asseruatur, febrium demulcet ardores æstuantique stomacho auxiliatur & odoris suauitate cor exhilarat. Et (quod cæterorum acidorum austerorumque commune est) serpentem putredinem cohibet. At qui è dulci cerasio exprimitur, stomacho nocet, estque mali succi febricitanti prorsum insensus.

Ribes fructus Arabibus appellatus è suo frutice racematim propendens, subacido dulcique sapore, acidum cerasium suauitate superat, nihilo facultate inferior. Eius succus frigidus & siccus ordine secundo, acidus acerbusque ac leniter adstringens, in annum quoque asseruatur: acutis febribus opitulatur earumque putredini resistit, cardiacis confert, vomitum & biliosum alui profluuium sistit, appetentiam mouet, sitim sedat, sanguinis feruorem demulcet & bilis acrimoniã domat, erosiones & vellicationes eiusdem tollit.

Mali punici acidi multò quàm cerasij aut ribis succus est acerbior & adstringentior, sed insuauior. Quocirca bilis ardorem aluique profluuium efficacius compescit, acutarum febrium non putredinem modò sed & malignitatem coërcet, earumque acrimoniam strenuè retundit, syncopas stomachicásque defectiones arcet, viscerum substantiam roburque tuetur.

Mali medici seu citrij, limonij & arancij succus acidior est quàm punici & acerbior, minus tamen adstringens. Minus quoque vomitiones aut aluum sistit aut syncopas tollit, aut viscerum robur seruat: febrium tamen acrimoniam & malignitatem, earumque concitantiorem materiam non minus frænât atque demulcet. Præterea tenuitate quadam

quadam vias ductusque expurgat, calculosis renibus opitulatur.

Oxyacanthæ quàm mali punici succus, frigidior acerbior adstringentiôrque habetur, & quamuis insuauior minúsque cardiacus sit, ferocientem tamen febrium humorumque cohibet: validiùs verò bilis impetum, hincque ortam diarrhœam & dysenteriam aliásque eius fluxiones sistit atque coërcet.

Acerum frigidum atque siccum ordine secundo, licet tenue sit & altè penetret crassosque humores extenuet, credaturque obstructions expedire, pariter tamen non mediocriter humores cohibet. Hinc alui profluvia & sanguinem vndecunque manantem, incipientesque inflammationes & sumptum & ad motum arceat: bilis quoque impetum  
 10 sedat temperatque febrium ætus, sitim extinguit, appetentiam mouet, nauseam tollit: aperientia medicamenta prægnantibus tutiora reddit. Quæ dum præstat in humoribus, ipsam tamen viscerum partiumque substantiam vellicat & ferit, neque his æquè ac superiores succi robur tuetur.

*Frigida medicamenta quibus attenuandi detergendique vis  
 inest. Cap. IIII.*

**I**N TYBI genera quatuor quæ nuncupantur seriola, intybum satiuum, intybum agreste & cicerbita omnia quidem frigida atque sicca gradu secundo, & aliquanto validiora agrestia quàm satiuua. Omnia sanguinis humorumque feruorem leniunt & veneris appetentiam extingunt. Simul etiam quoniã amara sunt & detergentia, viscera maximèque iecur infarctu liberant, absumuntque aut dissipant collectam in illis biliosam illuuiem, viuidumque faciei colorem reddunt. Ad hæc verò adstrictione quadam stomachum propriè autem iecur atque renes corroborant, vt ne assiduo illorum præsertim cichorij, quod intybum est agreste, esu vel potu quisquam incommodum perceperit.

Oxalidis quæ Latinis rumex appellatur & quæ frigida atque sicca est secundo recessu, vis præcipua est in radice deinde in folio. Licet nullo sit amarore prædita, iecoris tamen primum ac præcipuè, deinde lienis atque renum infarctus tollit. Hinc regium  
 30 morbum emendat, lienem discutit, arenulas expurgat, & menses ciet, moderatè quidem omnia. Semen verò leniter adstringit & corroborat: hinc alui profluvia & stomachi vitia porum sanat.

Cucurbitæ, cucumeris, melonis & citruli pulpa frigida & humida ordine secundo, quæ quoniam improbum succum gignit ac facillè corrumpitur, rarò in artis remedia usurpatur. Semini præcipua vis est, quod integrum si coquitur, iusculo refrigerato modicè siccatur, incidit & abstergit, vt etiam lentes in facie debeat, ac propterea iecur ac renes expurgat vrinásque ciet. Quod verò expurgatum fuerit, tritum aquaque hordei exceptum sanguinis & vrinæ ardores lenit minúsque siccatur.

Lichen vulgò hepatica dicta refrigerat & siccatur ordine primo vt & inflammationes  
 40 compescat, moderatè abstergit & regium morbum sanat. Ad hæc tamen omnia quàm intubi genera ignauior: ceterum hepati familiaris atque vernacula.

Trichomanes, polytrichon, callitrichon omnèque adianti genus calore quodammodo temperatum est. At modicè siccatur, extenuatur ac digerit. Quocirca crassam glutinosamque pulmonum pituitam expellit, confertque adsthmaticis, lentamque & visceribus adhærentem bilem eluit. Hinc ictericis succurrit, hydropicis, lienosis, nephreticis, horumque calculos terit ac menses mouet. At nihilominus ventris fluxiones cohibere Dioscoridi creditur.

Gramen & asparagus moderatè refrigerant, siccant atque etiam abstergunt. Hinc iecoris & renum obstructions aperiunt profuntque regio morbo correptis & nephriticis. Gramini præcipua vis in radice: asparago in radice atque in semine cuius & cauliculi eduntur crudi.

Eupatorium quod agrimonium appellant, folio atque semine commendatur. Incidit detergitque, ac modicè adstringit nullo manifesto calore. Propriè autem iecur, deinde omnia quoque viscera infarctu liberat seruato eorum robore. Febribus diuturnis morbisque ex obstructione profectis mirè succurrit.

*Formule potionum quæ ex his simplicibus in rem præsentem præscribi  
solent. Cap. V.*



**S**ITIM quæ per summos æstus aut per febrium ardores vehemèter excru-  
ciat, aqua in primis compescit quæ pura sit, leuis & omnis alieni saporis ac  
odoris expers: qualis è purissimo fonte per saxa & arenosa rapidè profluit,  
Quæ tamen ampliùs extenuari leuiórque reddi potest, vel agitatione vel  
transfusione crebra: immersa etiam interdum cibarij panis medulla, quæ  
fermenti acrimonia illam seruato sapore emendet. Quæ diu igne ferbuerit in fictili  
mundo & si tenuem de se vaporem multum expirauit, attenuata tamen est leuiórque  
facta, sed minus frigida, quòd igneam quandam in se vim conceperit: neque pristinam  
suauitatem retinet, quòd contrarij ignis vi immutata sit, & de sua natura decesserit. Vt  
autem tutiùs & citra viscerum offensionem pro potu ac vice vini sumi possit, in ea inte-  
grum hordeum incoquitur dū crepuerit: vel glycyrrhiza vel vua Damascena vel Corin-  
thia vel saccharū, cum præsertim vlla est pectoris affectio adiecto sub finem cinamomi  
momento si ventriculi robur seruandū est. Quòd si acida magis delectant aut nausea  
& animi defectio dulcibus proritur, aut ferociens humor frenandus est, aut viscerum  
robur conseruandū, in ea vel mali punici expurgata grana incoquantur, vel medici ci-  
triuve mali pulpa, vel cerasia, vel vua acerba, vel oxyacanthæ baccæ: aut certè horū ex-  
pressus defæcatúsque succus aqua cocta & refrigerata, eo modo diluitur qui ad laborātis  
palatum faciat. Sic enim seruatur aquæ refrigerandi facultas, & eius mollities qua tã-  
dem ventriculum visceraque relaxat atque debilitat, emendatur. Itaque per febres ar-  
dentes atque pestilentes eiusmodi potiones his conferent qui ventriculo & visceribus  
sunt imbecilles, & qui nausea aut animi defectione aut alui profluuiio, aut maligna pu-  
tredine, aut immodica viriū spirituumve dissipatione laborāt. In diuturnis porrò febrim  
& in cæteris morbis quos iccoris lienisve calidior intemperies aut vetus obstructio  
etiam cū tumore progenuit, vt in ictero, in cachexia, in leucophlegmatia, in diuturno  
alui profluuiio, si vino parcèdum est, vt plerumque licet, pro potu erit iusculum radice  
graminis: aut oxalidis si præstātius desideratur, aut cichorij si præstantissimū. His enim  
citra vllum incommodum seruatōque robore, iccoris quæ dixi mala tollūtur: quemad-  
modum & lienis vitia radice buglossi, aut asplenij herbę aut corticis tamarisci iusculo.  
Medicatæ verò potiones ad sitim, bilis æstum ac feruorem & ad febrim ardorem earum-  
que arcendam putredinem, ex asseruatis iisdem succis & ex aquis stillaticis sic sunt iu-  
lepi formula in rem præsentem. ℞. Aquæ rosarū stillaticia ℥ j. sacchari clarificati ℥ iij.  
bulliant igne lento dum exquisita sit permixtio. Vtendū ex modo pari aut duplo aquæ  
coctæ refrigeratæ. Alius. ℞. Aquarum stillaticiarū endiuæ & rosarum an. ℥ β. sacchari  
albi ℥ iij. coquantur modicè in iulepi consistentiam. Ex aqua portulacæ vel plātaginis  
similes quoque comparantur cum præsertim alui profluuium. Iam verò si acidi iulepi vius  
fuerit necessarius, seu propter nauseam & animi defectionem, seu vt bilis feruor putre-  
dōve coërceatur, acidus succus quicunque videbitur ad rem accommodatior defæca-  
tus in iulepum sub finē indetur, ne feruore exoluatur aciditas. ℞. Aquæ rosarum, succi  
limonum, succi granatorum, sacchari albi an. ℥ iij. lentè coquantur dum despumaue-  
rint. Aut, Iulepi rosati, succi limonum, an ℥ β. misce in eisdem vsus.

Dilutior verò hic fuerit, qui habet aquę fontanæ ℥ j. aquę rosarum, succi limonum,  
succu granatorum, sacchari albi an. ℥ iij. coquantur dum despumaerint. Ex aceto quo-  
que vel omphacio sic fiet. ℞. Aquæ purissimæ ℥ j. aquæ rosarum, sacchari albi an. ℥ iij.  
aceti sub finem iniecti ℥ ij. vel omphacij ℥ ij. coquantur in iulepum. Hyeme verò vel in  
succorum penuria, syrupi pharmacopolio asseruati aquæ coctæ quadruplo diluuntur.  
Eiusmodi sunt syrupus è limonibus, è succo citrij, è granatis acidis, ex omphacio, de ri-  
bes & è succo oxalidis, syrupus acetosus & oxyfaccharum simplex. Hæ igitur potiones  
biliosis febribus tum intermittentibus tū continuis seu ardentes seu pestilentes eæ sint,  
accommodari solent. Cæterum noxiorum atque feruentium in illis humorum præpa-  
ratio, aliis perficitur medicamentis, quæ refrigerando pariter detergant & attenuent:  
bilis enim tametsi feruida, plerumque tamen tenax crassaque est, velut in fellis cysti:  
nonnunquam & per has febres viscerum tenuiūque venarum obstructio à pituitosis  
& obduratis est humoribus. Tum igitur apozemate infarctus tollendus, quod ex his aut  
ex horum

ex horum quibusdam constet.  $\mathcal{Z}$  Radicis cichorii, oxalidis, graminis & asparagi an.  $\mathfrak{z}$   $\beta$ , endiuia, seriola, agrimonij, hepaticæ, polytrichi, callitrichi, adianti albi an. m. j. seminis cucurbitæ, cucumeris, melonis & citruli an.  $\mathfrak{z}$  ij. coquantur ex aquæ  $\mathfrak{lb}$  ij. ad dimidias. Colato & expresso iuri adde sacchari albi  $\mathfrak{z}$  iij. fiat apozema clarificetur & aromatizetur  $\mathfrak{z}$  ij. santali citrini, vel santali citrini & cinamomi an.  $\mathfrak{z}$  j. Si qua fortè malignitatis suspicio inest, arceri ea simul poterit adiectis radicibus tunicis & tormētillæ, seminibus citrij & cardui benedicti, & limonum succo: de quibus tamen posthac pleniùs.

Autumno quum iam herbæ marcescunt, aut hyeme quoniam frigidis iam arefactis vis nulla manet, radices ac semina sic debent in apozema conferri.

- 10  $\mathcal{Z}$  quatuor radicum frigidarum an.  $\mathfrak{z}$   $\beta$ , quatuor seminum frigidorum maiorum se. endiuia lactuæ & asparagi an.  $\mathfrak{z}$  j. Coquantur ex arte ad quartaria tria. Colatis adde sacchari albi  $\mathfrak{z}$  ij.  $\beta$ . fiat apozema clarificatum & aromatizatum. Si res acidum fieri postulet, radices horis quatuor in aceto macerentur, aut sub cocturæ finem affundatur aceti pars octava. Nonnunquam & sacchari vice syrupus aliquis diluitur in apozemate ut syrupus de cichorio, de endiuia, de limonibus: nonnunquam iusculum si non admodum ingratum fuerit nulla sacchari syrupi uel permissio datur, ut quod habet radicem graminis, asparagi & oxalidis an.  $\mathfrak{z}$  j. sem. endiuia & melonum an.  $\mathfrak{z}$  ij. Coquantur ad  $\mathfrak{lb}$  j. ius eoletur in rem præsentem. Cum non facilè suppetet apozematum materia, syrupi in usum asseruari diluentur duplo triplove aquæ coctæ, aut liquoris cuiusdam conueniens. Eiusmodi sunt syrupus de cichorio simplex, syrupus de endiuia & syrupus byzantinus: qui omnes etiam à purgatione derelictam intemperiem emendant & eximunt.

*Medicamenta quibus bilis atra domatur & quibus præparatur. Cap. VI.*



VAE porrò medicamenta ad atram bilem aut etiam ad ei finitimam ceruleam aut eruginosam (quæ ex præassata citrina aut prassina fiunt) cõferant, si domanda ea fuerit, ea ipsa vsurpentur acida quæ supra dixi flauæ bilis acrimoniam consopire atque frenare: etenim crebro vsu atræ perinde ac flauæ bilis symptomata leniunt. Sin verò feruor minor fuerit qui leniri dun-

30 taxat postulet, hæc peculiariter conuenient.

Viola purpurea frigida ordine primo, humida secundo aquea & emolliens, feruidos acrisque humores temperat, lenit atque subducit, siccam exustamque bilem & qui ab hac fiunt capitis dolores consopit, somniumque accersit, cordis tædia depellit.

Buglossum vtrumque tum hortense quod borrago appellatur, tum agreste calidum humidumque est ordine primo. Eadem quæ viola confert ac præterea animum lætitia & hilaritate perfundit, discutitque melancholicorum imagines & spectra.

Malorum fragrantium succus ut odoris suauitate cor reficit, ita & quicquid hinc infestum est præsertim verò bilis atræ fuliginem domat: suæque substantia illius materiam diluit & mitificat: cordis palpitationem arceat.

40 Citrigo quæ & melissophyllon, calida siccaque recessu primo. Demulcet quoque atram bilem: confert ad timores & tristitias quæ occasione nulla ex atra bile suscitantur, lætæque facit somnia. Simul quoque aliquantum detergit.

AT verò quum bilis atra ad purgationem præparanda erit, medicamenta quæ ipsi præparandæ conueniunt, si feruidior ea acriorque fuerit, ex iis constent quæ mox subiiciam: sed quæ tamen frenantium quæ dixi mistione temperata sint. Si verò lenta crassa atque terrena ea fuerit, & tanquam fex limusque sanguinis nullius sit caloris particeps, ut in lienis tumore & morbis diuturnis inde profectis, iis quæ sequuntur solis ad purgationem præparabitur.

50 Fumaria calida primo ordine, sicca secundo, modicè acris & amara: viscerum omnium obstructions tollit eaque corroborat, exustos humores blandè ac sensim expurgat, sanguinemque puriorem reddit: vrinam biliosam & multam commanducata aut pota ciet: diuturnis febribus ex viscerum obstructione & morbis omnibus ex sanguinis impuritate remedio est: corpus enim & humores à putredine vindicat.

Lupulus calidus primo recessu, siccus secundo, cauliculis, & flore insignis, lienem præsertim ac deinde cætera viscera in farctu liberat, vrinamque mouet: fumariam facultatibus omnibus æmulatur, sed saporis molestia minore.

Cassutha quæ vulgò cuscuta, primo ordine, calida, sicca secundo, amaroris adstrictionisque particeps, melancholiam tum herba tum semine propriè incidit atque detergit, obstructum lienem expedit, deinde & iecur, arquatúmque nigrum & febres lentas diurnasque pellit, quandoquidem venas omniaque vasa à putridis humoribus expurgat, seruato ventriculi & reliquorum viscerum robore.

Scolopèdrium quod est asplenium, quòdque ceterachum appellat, nulla saporis infuauitate, folio solo lienem diebus quadraginta absumit, scòdúmque ex obstructione colorem detergit, atque calculos etiam in vesica comminuit.

Polypodium moderatè calfacit, siccat vehementer, dulci simúlque austero sapore præditum: lentos & crassos humores terget & expedit, atram crassiorémque bilem sensim expurgat. Nimia autem eius austeritas leniente & humectante quopiam, vt gallinaceo iure, mollienda est.

Capparis cuius florem ac radicis corticem vsurpant, calidus siccusque est tertio recessu. Attenuat detergitque adstrictione leui, coctus appetentiam excitat ac ventriculum recreat, lienis prædurum tumorem dissoluit, præcipuè cortex aridus tum sumptus tum admotus: eúmque diebus quadraginta colliquare traditur. Iecoris quoque obstructionibus non leuiter succurrit.

Tamariscus calidus est & siccus principio gradus secundi, incidit abstergitque. In id primas tenet virentis succus apprimè efficax, ab hoc est cortex, deinde flos ac folia, postremo loco lignum: huius decoctum peculiari facultate lienem validissimè comminuit prodèstque morbo regio consumptis.

Epithymus calidus siccusque ordine tertio, incidit ac leniter adstringit, melancholiã extenuat ac lienem validè expurgat morbisque omnibus eximiè confert illius vitio prognatis. Sed tamen sitim æstúmque suscitatur: quamobrem vuè passæ, violis aliisque lenientibus permiscendus.

Ex his compositiones in rem præsentem fient quæ ad hypochondriacam melancholiam, ad maniam, ad cordis palpitationem & cæteros ex atra bile affectus conferent: vt iulepi ex aquis stillatitiis violarum, buglossi vtriusque, melissæ & fumaris. ℞ Stillatitiarum aquarum violarum, buglossi, borraginis an. ℥ iij. succi malorum redolentium, sacchari alb. an. ℥ iij. fiat iulepus sumendus ex pari portione aut ex duplo aquæ hordei. ℞ Florum violarum, buglossi, borraginis recentis, florum pomorum redolentium & melissæ an. m. ij. macerentur horis duodecim in ℔ duabus aquæ tepidæ. In expresso dissolue sacchari albi. ℔ ℔ fiat iulepus lenissimè coctus.

Apozema ex earum herbarum radicúmque decocto ad crassam & fæculentam melancholiam, ad lienis obstructiones atque tumores, ad quartanã omnésque affectus melancholicos. ℞ Radicum buglossi, polypodij, querni an. ℥ ℔. corticum capparis & tamarisci an. ℥ iij. cymarum lupuli, fumaris, melissæ, cassuthæ, scolopendrij an. m. j. fiat decoctum ad ℔ j. in quo dissolue sacchari ℥ iij. coquantur in apozema clarificatum.

*Calida medicamenta simplicia frigidos humores præparantia. Cap. VII.*



**C**ALIDA tum præcipuè ex vsu fuerint quum corpus vel nimio opere refrigeratum, vel frigidis pituitosisque humoribus còfertum existet. Ex his autem alia probum vtilémque succum progignunt, alia crudorum còcoctionem adiuuant, alia superuacuos ac pituitosos humores attenuant, detergunt & ad purgationem præparant. Primi quidem generis sunt calida alimenta, quæ quoniã boni sunt succi, natiuũ calorem augent simúlque vtilém calidum succum generant. Inter quæ primas tenet vinum generosum, deinde auium quadrupedúmque salubriorum carnes, sorbiliun ouorum vitelli, vua passa, strobili id est nuclei pinei, pistacia. Calida verò aromata & quæcunque posthac tradentur suo calore partium robur augere earúmque insitum calorem fouere atque suscitare, crudorum concoctionem complent. At verò quæcunque calida substantiæ tenuitate crassam pituitam incidunt aut lentam detergunt, vt inde profluens euadet, ea ad purgationem præparant: in quorum censu hæc præcipuè numerantur.

Apium præcipuam vim obrinet in radice, deinde in semine: censeretur secundo calidorum ordine, tertio succantium. Venarũ, arteriarũ renũque obstructiones abstergendo, attenuadòque soluit flatúsque discutit. Sed epilepticis (vt quorũ paroxysmos irriter)

& foetui

& foetui & mulieri lactanti infensum.

Petroselinū tertio est ordine calidorum ac siccorum, cuius etiam vis in semine atque radice. Extenuat, aperit, menses vrinasque ciet, obstructions tollit, & flatus extinguit. Secundas & mortuum foetum educit recens potum aut vuluæ suppositum.

Feniculum semine valet & radice, estque tertio gradu calidiorum & secundo siccorum, viscerum renūque infarctus expurgat, tormināque sedat quā prae dicta tutius & validius.

Betonica calida siccaque; recessu secundo, incidendi detergendique vi praedita: stomacho laboranti prodest, eiusque concoctionem iuuat, pulmonis, iecoris lienisque vitia expurgat, menses ducit, renum lapides exurit, regium morbum sanat, omnibus denique obstructions expediendis & cum febre & sine febre accommodatissima.

Hyslopum solo folio valet, quod calidum siccūque est ordine tertio, tenuium partium: praecipuam vim habet attenuandi & detergendi humorem crassum quem per aluum etiam exigit, sic viscerum omnium sed maximè pulmonum obstructions expedit crassamque eorum pituitam.

Prassiū quod & marrubium album appellant, (nam nigrum quia foetidum intrò nunquam sumendum) folio ac semine secundo est calidorum ordine, tertio siccorum, quod quia tenue & amarū est, iecur, lienem, thoracem, vterūque validè expurgat & obstructions liberat. Id tamen censuit Dioscorides renibus ac vesicæ nocere.

Stæchas calida sicca primo ordine, subastringens & mediocriter amara, extenuat, detergit, omniāque viscera obstructione liberat simulque corroborat, & eorum putredinem arcet.

Origanū folio atque umbella eo quo prassiū ordine vniuersas obstructions aperit. Hinc ruffientibus & peripneumoniacis ictericisque confert, lienosis atra deducit, menses quoque ciet. Crudo etiam nauseabundōque ventriculo efficax.

Calamintha praecipuè montana eodē quoque ordine incidendo abstergendōque; infarctus omnes expedit, vrinas ac menses expellit, regium morbum & asthma expurgat, corpus sudore digerit, elephāticis, quia crassos humores extenuat, cutim calfacit, mordet, sugit, postremò vicerat, remedio est. Praegnantibus verò suspecta, quandoquidem seu pota seu admota conceptum interit ac eiicit.

Pulegiū eodem caloris siccitatisque est ordine: crassos humores extenuat & lentos, quia subamarū detergit, crassam pulmonum pituitam & lienis atrā bilem educit menses secundasque pellit, ventriculi cruditates nauseamque compefcit.

Satureia quæ & tymbra pulegij vites proximè imitatur.

Thymus calidus siccūque; ordine tertio, strenuè incidit, viscera omnia potu expurgat, maximè verò pulmones atque thoracem. Menses quoque ciet, sed foetum expellit.

Chamædrys quasi pusilla quercus calida sicca tertio ordine, crassos lentosque; humores incidit & terget, atque viscerum obstructions expedit vrinasque & menses ciet.

Chamæpitys sicca tertio ordine, calida secundo, eadē quæ chamædryis efficit, & peculiariter regio morbo cotreptis & arthriticis auxilio est, ab odore pinus & similitudine quasi pusilla pinus appellata.

Rubia radice atque semine pollet, calida ordine secundo, sicca tertio. Eximia detergendi facultate insignis, qua iecur, lienem, renes atque vterum exquisitè purgat. Nam icterum sanat, lienem absumit, vrinam crassam atque copiosam nonnunquam & cruentam mouet, menses ciet, appositāque secundas foetūque detrahit: vt proinde minimè sit tuta praegnantibus.

Centaurium minus calidū siccūque gradu secundo, folio ac flore vtile. Iecoris, splenis, renum & vteri obstructions vehementer adeò soluit, vt etiam tamen immoderato vsu sanguinem atque etiam praegnantibus foetum excludat.

Gentianæ radix calida siccaque; ordine secundo, summè amara. Terget, tenuat, purgat & obstructions liberat, eadem quæ centaurium ac multò etiam validius praestat.

Aristolochia praesertimque; rotunda calida atque sicca tertij gradus initio, radice ad omnia quæ dixi superioribus quoque est efficacior, adeoque validè cerebri & pulmonū lentam putredinemque pituitā expurgat, vt epilepsiae ab vtero, tussi & asthma eximie conferat, & interiores rumpat abscessus: sed abortum quoque prouocat.

Aloë calida siccaque; ordine secundo, adstringens & amarissima, ventriculū impense

roborat, quæ præsertim lota fuerit: lentam crassamque pituitam extergit, & omnes omnium viscerum obstructions validè adeò soluit vt & venas corradat & earum oscula crebriore vsu referet & sanguis emanet, quum præsertim extenuantiu medicamentorum permissione exacuitur, idq; non amarore solùm, sed purgandi quoque vi, qua quod detersit protinus expurgat detrahítque in aluum. Crudos humores & superuacuos absorbet, cæteros à putredine tuerur.

Nunc autem extemporaneas aliquot ex his compositiones exempli gratia subiiciam, quæ lentam crassamque pituitam apparent, contumacesque obstructions expediant. ℞ aquarum hyssopi, feniculi & betonicæ an. ℥ iij. sacchari albi ℥ ij. fiat iulepus clarificatus & aromatizatus ℞ iij. cinamomi Apozema. ℞. radicum apij, petroselini & feniculi an. ℥ 10  
℥. hyssopi, betonicæ, origani, satureiæ an. m. j. coquantur in hidromel ad ℥ j. decoctum coletur deturque ad ℥ iij. Calidarum enim herbarum vis purior atque validior in hydromeli quàm in aquam transfertur, hebescit enim si aqua permista sit.

Si acidum magisque penetrans apozema esse cõueniet, radices horis sex macerentur in acri aceto. Validius id autem reddetur si rubiæ radicem, prassium, calamintum, thymum aut pulegium habeat, sed insuauius & gestanti in utero mulieri suspectum. Id hyeme perinde ac æstate comparari commodè potest, quod calidæ stirpes exarsæ factæ calfaciendi, incidendi detergendique integra facultate minimè frustrètur. Quapropter veteres vice apozematis aut syrupi hyeme aridas herbas in exquisitum læuorem tulas dabant ex hydromelite. Hyeme quoque in apozemata conferuntur semina anisi, apij, 20  
petroselini, feniculi.

Si magna attenuandi & in distantissima quæque penetrandi vis desideratur, hæc ex gaiaci iusculo seu cocta seu in puluerem redacta offeratur apozematis specie, maximè in frigidis artuum & articulorum morbis: promotis quidem sudoribus si vitium in summo est corpore, aut sine his si in viscere reconditur. Si vetustior ac contumacior fuerit interiorum viscerum obstructio, minimè ciendi erunt sudores: sin vitium in summo sit corpore, purgatione præmissa cieri vtiliter poterunt. Ex cæteris simplicibus quæ postremo loco inter valentissima recensui, compositiones & ad menses ducendos & atterendos calculos præstitui solent.

*Purgantium medicamentorum materia. Cap. VIII.*

**N**unc quæ medicamentâ præparatos iam humores exigant è corpore omnemque impuritatem tollant, proposita iam serie tradendum. Eorum autem quæ corpus quouis modo seu sursum seu deorsum versus exinaniunt, alia id quadam materiæ conditione, alia formæ & totius substantiæ proprietate, alia utriusque præstant. Solius materiæ vi emolliendo quidem & leniendo aluum subducunt, oleum & butyrum, malua, althæa, viola, mercurialis, pruna, psyllium & huiusmodi plurima: quæ quoniam formæ proprietate prorsus destituta sunt, inter purgantia nequiquam recèseri solent, quemadmodum neque hydrelæum, quod tamen vomitiones ciet. Et cotonea mala comprimendo obuias partes sic coarctant & adstringunt, 40  
vt humoris in se reconditi non parum eructent & expriment. Myrobalanos tamen eadem quoque vi purgare cum Mesue non affirmem. Etenim si peculiari quodam instinctu hunc quàm illum potius humorem prolestant, atque vt faterur, myrobolani citreæ bilem, cepulæ pituitam, indæ melancholiã ducant, ea vacuandi varietas nõ ab adstringente materia quæ vna omnium est communis, sed à cuiusque formæ proprietate proficiscitur: quâquam non dubito eorum materiã obuios humores quos attigerint adstrictione sua depellere. Quadam igitur formæ proprietate quodammodo prædita hæc sunt. Tertia porro quæ peculiarem quendam humorem insita duntaxat proprietate trahunt, alia vomitione alia deiectione purgant. Et vomitione alia blandè vt semen atriplicis & raphanus: alia mediocriter vt asarum: alia molestè vt elleborus. horum verò quæ aluum mouent, alia bilem flauam, alia melancholiã, alia pituitam, alia humores tenues 50  
aquososque deiciunt. In vnoquoque genere quædam imbecillius, quædam validius id præstant. Bilem blandè purgat rheubarbarum, valentius scammonium: pituitam modicè agaricus, validè turbitum aut colocynthis: melancholiã facilè senna, molestè elleborus niger: aquosum humorem moderatè iris vel cucumer agrestis, immoderatè & impetu daphnoides. Neque solùm ex viribus & energia, verum etiam ex agendi ratione horum

ne horum differentie existunt. Nam licet rheibarbari tanta portio sit, quæ pares atque exigua scammonij portio vires obtineat, non tamen similiter & ratione pari aget: neque potest rheubarbarum quantumuis auctum scammonij rationem & naturam imitari, neque scammonium quantumuis imminutum rheibarbari conditionem sortiri. Inest enim præter communẽ & alia sua cuique proprietas indiuidua quam in alio nusquam reperias: hæc ex veterum monumentis nosse aut vsu inuestigare decet. Quæ in vnoquoque genere imbecilliora sunt, è proximis sedibus expurgant, ex ventriculo, intestinis, mesenterio, iecore & ex liene: validiora è distantioribus magna vi extorquent. Cæterum vt humorum ita & purgãdorum locorum certior cognitio ex medicamento  
 10 natura capi debet, quæ vt cuiusdam humori, ita & cuiusdam parti expurgandæ addicta est & accommodata. Capiti agaricus, pectori cassia fistula, vetriculo & intestinis aloë, iecori rheubarbarum, lienni senna, articulis hermodactyli proprietate affines sunt, quæ & eò vim suam dirigunt & inde potentius trahunt. Hæ summæ sunt purgantium medicamentorum vires ac differentie, quas deinceps sigillatim persequemur.

*Quæ bilem flauam ducunt, Græcis cholagoga appellata. Cap. IX.*

**M**ANNA quæ & mel roridum, calida ordine primo, leniens lenitèrque ex-  
 20 tergens, citrinam bilem creditur blandè expurgare, idque nulla offensione virium. Quocirca infantibus bimulis aut etiam iunioribus dari potest duarum triumve drachmarum pondere, hordei aut pulli iusculo diluta: adultis verò & ætate florentibus tres vnciæ aut non satis, aut parum com-  
 modè aluum subduxerint.

Cassia fistularis calida humidâque primo ordine, lenit, emollit & laxat: bilis acrimoniam febriumque æstus obtundit, sitimque sedat, sed flatus excirat. Infantibus sesquidrachmæ, adultis verò imbecillis aut etiam prægnantibus vnciæ, validioribus sesquinciæ pondere, flauam bilem aluo leniter detrahit. Crassam verò pituitam etiam si contigerit, quia lubrica celerrimè præterfluit, ignauius expurgat. Datur itaque pulmonum thoracisque affectibus leniendis, iecori bile æstuanti, febris ardenti, præsertim si  
 30 squalidum corpus est aut æstuosum cælum: datur quoque renum & vesicæ ardoribus. Ventriculo tamen humidiori, laxiori, nauseabundo, ac imbecillo, quemadmodum & profluenti aluo infensa.

Rosarum rubrarum ac præcipuè pallidarum succus calidus siccusque ordine primo, amarus, detergens, & obstructions expediens. Bilem ab aluo atque aquas citrinas manifestè ducit. Permiscetur autem cõuenienter vel sero lactis, vel saccharo syrups specie, cuius dosis est à sesquinciæ ad vncias tres. Accommodatur autè propriè obstructo iecori, ictero, cachexiæ, incipienti hydropi, febribusque lentis: prægnanti parum tutus, quòd venas plerunque referet.

Rheubarbarum calidum siccumque ordine secundo, amarum, crassiore substantia,  
 40 adstringens atque corroborans tenuiore verò detergens ac purgans. Educit flauam bilem atque pituitam. Tenuis eius portio purgandique vis coctura dissipatur atque disperditur: syncera verò elicitur in extenuante quodam liquore macerata, adiecto vino albo & cinamomo: eiusque siccitas & adstrictio humectante aut leniente syrupo vel alio liquore lenienda. Infantibus, pueris senibus, prægnantibus & ex morbo iam imbecillis familiare ac tutum. Lactantes pueros drachmæ vnius pondere purgat, eiusque diluti summum pòdus est drachmarum trium. Febrium omnium materiã blandè subtrahit, iecur propriè expurgat, idque strenuè corroborat, & eius obstructions incipientesque scirrhus  
 50 dissoluit, icterum & cachexiam sanat, ventriculum quoque conuenienter expurgat & firmat, idque mitius quàm aloë. È distantioribus verò sedibus noxiũ vix humorem prolecat: validioribus & quibus crassi humores per angustas vias ex alto sunt educendi minus congruit, quòd adstrictionis vestigiũ purgando relinquat, sed & iis aduersissimũ est totum & cum magmate datum. Hoc autem summè confert vomitioni, lieteriæ, dysenterici, sputo cruento, sanguini vndecunque erumpenti, ruptis atque cõtusis: propriè verò assum & ex plantaginis succo haustum.

Aloë deligenda substantie mediocris, nã quæ tenuis est & perspicua ignauior existit, bilem pituitamque crassam expurgat, sed lentè ac præcipuè è vetriculo & intestinis, cãf-

que partes detergendo vacuãdóque corroborat. Datur à ʒj.ß. ad ʒij. Huic autem permisceri debent quæ vim eius stimulent, cinamomum, macer, nux moschata, spica, caryophylli: & quæ eius acrimoniã exesionemq; retundant, tragacantha & mastiche. Cõfert autẽ propriè nausæ, cruditati & quibus aut ventriculus aut præcordia multo crudo conferta sunt humore, voracibus, frigidis humidisq; corporibus: hæc enim abundè siccatur, vix tamen è partibus quæ supra iecur sunt quicquã detrahit in aluũ. Nocet hepatis vt cuius tenues venas amarore & acrimonia vellicet, podicem corradit, aperitq; hæmorrhoidas. Aduersissima igitur iis qui sanguinẽ aut vomunt aut excreant, aut quouis modo ex aluo aut vtero profundunt. Deinde etiã calidis, siccis, extenuatisq; corporibus, nisi quum ingens est humidorum excrementorum prouentus. Nec puero apta, nec prægnanti tuta, nec seni excrementis vacuo utilis.

Scammonium calidũ siccũque ordine tertio: acre penetrans & conturbans. Bilem tenuem atque citrinam ex vniuerso corpore simulque aquam citrinam ac serosos humores trahit. Quũque vis eius quasi furẽs & effrenata sit, proptè quidem ac citò & è distantioribus vacuat, neq; tamen crassiusculos ullos humores, seu pituitosos, seu biliosos qui circũ præcordia ac viscera concreuerunt & obhærent euellit, sed effectum quasi præcipitans & accelerans, eos duntaxat qui tenues sint & fluxioni apti humores secum rapit: idque tum ex abdomine vt hydropicis, tũ è venis & summo corpore. ac inde pauca succedit emictio. Nec puero, nec seni, nec prægnanti, nec imbecillo cõueniens, nec ardente febre aliõve acuto affectu iactato: sed robusto dũtaxat, qui ætate sit valida & vniuersa purgatione indigeat. Eius tamen nonnihil imbecillis interdũ pharmacis vtiliter permiscetur, vt eorũ aut tardiores vim acceleret, aut sopitã extimulet. Opere quidem vniuersum corpus conturbat, calidos humores inflammat, paratis febrem accendit, visceribus principibusq; partibus qualitate maligna infensum. Quocirca nõ syncerum sed temperatum retusũque datur, vt ea permissione quam diadacrydion appellant. Fit autem hunc in modũ. Scammonium lauatur & cõcutitur in aqua rosarum, in qua prius incoquãtur cortex myrobalani citreæ, spica & cinamomũ. In hac horis viginti quatuor maceratũ tandem siccatur, deinde diluitur excipiturq; oleo amygdalarum dulcium cum pauca tragacantha, ac demum coquitur in cotoneo malo acido expurgato, ac massa diligenter oblito. Quibus conuenit datur diadacrydion à gr. vj. ad xij. 30

*Quæ atram bilem detrahunt, melanogaga propterea dicta. Cap. X.*

**S**ENNA calida siccaque initio gradus secundi: folliculis & semine quàm folio præstantior, subamara abstergensque est: melancholiam retorridam, bilem atque crassam pituitam commodissimè purgat, nõ statim è distantioribus locis, sed præcipuè è liene, deinde etiam ex aliis visceribus, ex hypochondriis & mesenterio, in quibus omnis est illuuiæ sentina. Ex iis enim sedibus vix aliud quicquam æquè validè corruptos atque crassos humores prolicet, aut obduratos tumores euacuat, aut in tenues venas subiens veteres earum obstructions expedit: neque tamè vicinas hydropicorum aquas detrahere potest. Diuturnorum atque lentorum morborum quos viscerum impuritas, aut vetus obstructio genuit singulare est præsidium, vt lentarum veterumque februm, melancholiarum, epilepsiarum, scabiei, impetiginis, vitiliginis, elephãtiasis & omnis deniq; impuritatis. Sensus pariter exacuit, cor exhilarat, torsionibus sæpè molesta, non quòd flatulenta sit, sed quòd firmiter hærentes humores ac plerunq; acres nequeant sine sensu doloris euelli. Nũquam tamen deprehensa est vel intestina corradere, vel sanguinem proritare: blandè alioqui sed tamen lentè purgans, nulla qualitate infensa, nisi quòd ventriculo aliquantũ grauis: pueris ac senibus utilis, neque prægnantibus aduersa. Permiscenda ei sunt quæ ventriculũ roborent, simulque tardiorũ vim extimulent, cuiusmodi sunt zinziber, cinamomũ aut spica: & quæ leniendo sine torsionibus facillè deducant, cuiusmodi sunt iura pinguis, pruna, iuiubæ, vuarum passæ, viola, althæa, polypodium, & qui ex his sunt syrapi. Datur autem puluis eius ad drachmas duas: decoctum à drachmis tribus ad drachmas sex: dilutum ab vncia dimidia ad vnciam vnam. 40

Elleborus radice præcipuè utilis: hæc autem calida siccaque est ordine tertio. Albus vomitione purgat, sed maxima corporis perturbatione & præfocationis metu ex qualitate 50

litate venenata. Niger verò bilem imprimis atram, deinde etiam flauam atque crassam pituitam detrahit in aluum, non è visceribus modò, sed & è venis, è quibus sanguinem rapit, & è partibus extremis præcipuè que è cerebro. Quocirca confert in primis elephantiasi, cancro, herpeti, vitiligini, melancholiæ, furori, vertigini & epilepsiæ. Purgatio ex elleboro difficilis terrorisque plena, nec puero, nec seni, nec imbecillo, nec grauidæ, sed robusto soli & animoso adhibenda, quum peruicacioris morbi necessitas exoptulat, nec aliis cessit remediis. Infundantur autem radicum cortices contusi, aut etiam coquantur à scrupulo vno ad drachmam vnam in iure carniū pingui, aut in hydromelite, aut in aqua hordei, aut in aliquo leniente syrupo, expressumque detur. Puluis seorsum decernendus non est, ne conuulsionem accersat, eius quoque dilutum tutius aliis permistum medicamentis quàm purum offertur.

*Quæ pituitam educunt, phlegmagoga ob id dicta. Cap. XI.*

**A**GARICVS albus sit leuis & friabilis, calidus primo, siccus secundo gradu. Crassam præcipuè ac lentam pituitam, deinde etiã bilem vtramque expurgat: maximè quidem à ventriculo, mesenterio, iecore, liene, vtero & pulmonibus, quorum obstructions atque in iis genitos inueteratos morbos tollit. A cerebro verò à neruis, articulis, summisque partibus debiliùs trahit, quòd vis eius ignaua sit & imbecilla. Aliquantum horrendo est sapore, & ventriculo infensus: quapropter maceratus vino in quo zinziber aut caryophyllū aut spica maderint concinnatur & confingitur in trochiscos. Datur puluis eius à drachma vna ad drachmas duas, decoctū vel dilutū à drachmis duabus ad vnciam dimidiã, nõ robustis modò & validis, sed & infirmioribus, puberibus, senibus nõdum præcipitatis, ac etiam grauidis idque nullo periculo, si morbi conditio exoptulat.

Turpethum quod album, gummosum eligitur, radix est herbæ lacte turgentis, quæ alypia dicitur, & folia habet ferulæ minora. Id calidū siccūque tertio ordine, pituitam nõ modò tenuem, sed & crassam & lentã à cerebro, à neruis & ab articulis euellit, multoque magis è pulmonibus & è visceribus. Confert morbis frigidis diuturnis, quos leuior purgatio non subtrahit. Ventriculū autem subuertit, corpus cõturbat & immodicè siccatur. Quæ mala corriguntur permistione zinziberis, mastiches, olei amygdalarum dulcium & sacchari. Rarò seorsum datur, sed lenioribus permistū nec puero, nec seni, nec grauidæ, nec debili, sed vni robusto cõueniens. Datur puluis à scrupulis duobus ad drachmam vnam: decoctum à drachma vna dimidia ad drachmas tres. Nonnulli radicis taphiæ corticem pro turpetho substituunt graui errore, vt qui scrupulorum duorum pondere vomitionem deiectionemque magna perturbatione ac periculo concitet.

Hermodaetylus cuius radix rotunda, tum foris tum intus alba & modicè compacta sit, calidus siccūque initio secundi. Crassam lentamque pituitam expurgat peculiari-ter ab articulis, sed admodum lentè & languidè, & idcirco vix vnquam seorsum, sed validiorum medicamentorum permistione corroboratur. Ventriculum offendit, flatūque suscitatur: quæ incommoda tollunt cuminum, myrobalani atque zinziber, aut spica. Datur puluis à drachma dimidia ad drachmam vnam: decoctum verò à drachma vna ad drachmas duas.

Colocynthis calida siccāque ordine tertio, amarissima. Lētam pituitam crassosque humores ac glutinosos, pariterque bilem vtramque; (quod vix alij cõcessum) detrahit & aquã citrinam, idque maximè ex articulis & distantissimis reconditissimisque partibus. Confert morbis inueteratis cõtumacibus, quos neque agaricus neque turpethum soluerit. Vehementer autē ventriculum, viscera, corpusque conturbat: venas aperit & sanguinè elicit, quàm aloë aut aliud quoduis pharmacū potentiùs: intestina corradens grauibus torsionibus excruciat. Quocirca exquisitissimè trita diluitur oleo amygdalarum dulcium, additæque tragacantha, aut mastiche concinnantur trochisci: vel coquitur ex iure pingui, aut ex alio quouis liquore leniente. Nec puerorum nec senum, nec prægnantium (scetus enim vel supposita enecat) sed ætate duntaxat florentium & robustorum medicamentum est, vixque nisi aliorum permistione tuta. Datur à scrupulo vno ad drachmam dimidiam.



**B**VLVS calidus ac siccus ordine secūdo, hydropicorū aquas facile per aluum deducit, nōnunquam & vomitione reicit. Est autē ventriculo aliquātum grauis, succi vis efficacior, purgātq; vncię vnius pondere. Elicitur autem vel è radice, vel è mediano cortice stirpitis cōtulo affusa aqua hordei vel vuarum passarum, cū cinamomi vel nucis moschatae momēto & cum saccharo. Coctura vis eius purgādi perit & exoluitur, neq; vt Dioscorides scribit eā persistere vsu cōpertum est. Fructum nonnulli cōdiunt duplo sacchari & cinamomi parte octaua, exhibētque vnciam vnam. acinorum verò drachma vna tunsa idem ex mulla aut vino albo præstat. Sambucus eodem temperamento iisdēque pollet viribus, sed ebulo aliquanto infirmior. 10

Hæc sola ex iis quæ aquas ducūt imbecillis & prægnantibus, sed ne temerè quidē decerni possunt: cætera verò quæ deinceps tradentur, vt nec pueris, nec senibus, nec imbecillis, nec prægnantibus, quòd menses ac plerunq; conceptū expellant: ita neque extenuatis, neque biliosis, neque febre, neque acuto morbo correptis, neque æstuoso cælo conueniunt, sed robustis duntaxat, qui frigidis diuturnisque morbis tenentur, idque frigido aut certè temperato cæli statu.

Iris cui flos purpureus, efficacior est ea cui albus, calida & sicca tertio recessu, acris & fauces exurens, ventriculo ac visceribus infensa non parū est acrimonia qualitatis suæ. 20 Deiectione nonnunquam & vomitione aquam præcipuè citrinā ducit, ab hac deinde & crassiorem pituitā, viscerum obstructionibus expediendis efficacissima. Radicis succus vncię vnius pondere ex vuarum passarum iusculo & saccharo, addita spica aut cinamomo moderatè purgat: sicca verò tunsaque radix ex eodē liquore, aut ex sero lactis à drachma vna ad drachmas duas. Decocta huius purgandi vis vanescit. Nec puero nec seni, nec prægnanti tuta, quòd cæterorū more quæ validè aquas expurgant, menses moueat abortūque faciat. Soldanella hydropicorum aquas puluere ad ʒj. decocto & succo ad semunciam pota salubriter educit.

Cucumer agrestis calidus siccusq; ordine tertio, vehementer amarus, abstergens & ora venarum aperiens. Fructus præcipuè aquas deorsum sursumque mouet, necnō pituitam atque interdū bilem: nec multo infirmior eius radix: efficacissimus autē succus è maturo fructu inclināte æstate leniter expressus siccatusque, elateriū appellant. Permiscetur autē atque temperatur leniēte liquore, vel tragacantha, addito cinamomo vel spica. Datur elaterium à granis decē ad viginti, radix verò puluere à granis quindecim ad triginta: decocto à drachma dimidia ad drachmam vnam. 30

Ricinus calidus siccus tertij ordinis initio. Deiectione ac vomitione hydropicorū aquas & serofos articularum humores expurgat, simulque crassam pituitam ac bilem. Dantur autem eius grana quinque, aut quod summum sit octo, quæ quoniā vehementer magnoque labore ac impetu & turbulenta vertiginē purgādo corpus iactitant, expurgata torrefiunt igneq; siccantur, aut in massa coquantur, ac deinde trita dantur ex decocto feniculi & vuarum passarum, addito saccharo & cinamomo. Quinetiam integra & minimè trita grana liquato saccharo & melle obducta si vorentur, blandè purgant, minima offensione ventriculi. 40

Lathyris vires habet ricino proximas: cuius grana haud secus præparata dantur à septem ad duodecim. In eundem quoque vsu vulgus tria quatuorve lathyridis folia ex pingui iure cum holeribus coquit. Qui verò tum hæc tum grana cruda ex solo vino trita propinant, in magnam perturbationem atque terrifica symptomata corpus miserè præcipitant.

Esula maior pityusa est Dioscoris, cuius radix magna & lacte turgens, turbet appellata, quòd vlceret venenataque sit, prorsus exoleuit & ab vsu recessit. Esula verò minor eligitur quæ rotunda nuncupatur atque etiā peplos. Huius minor est radix calida siccaque ordine tertio, aquas altius immerfas validè purgat, deinde pituitā atq; bilem atq; Cordi autē ac visceribus vim infert, exulcerat, venarum ora aperit excitatque febrem. Quæ mala emendantur permissioe bdellij, vel tragacanthæ, atq; myrobalani vel cottonci mali. Sed antè macerāda herba est diem circiter vnum in aceto, vel in succo portulacæ, vel solatri, vel intybi, facta subinde liquoris mutatione. Radicis cortex datur in puluerem 50

puluerem redactus à granis v. ad x. Lac verò à tribus ad septem. Sunt qui hodie tunſæ herbæ succum qua dixi arte præparatum aut aloë aut pici permiscēt, quam deinde substituunt pro scammonio, ex quo diadacrydiō comparatur. Tithymali species vsurpantur interdum in eisdem vsus, præparanturque ratione non dissimili.

Mezerei species tres describuntur Mesuæ. Prima quæ maioribus atque virētibus est foliis iisque tenuibus & gracilibus: daphnoides est Discoridi. Secunda quæ folio est oliuæ, angustiore, sed multū pingui & viscoso: thymælea est. Tertia est Dioscoridis chamælea. Primam duntaxat admittit Mesues, posteriores duas vt perniciosas exterminat. Ea calida siccaque est ordine quarto & acerrima, inflammat febrēmque accendit, exulcerat, cordis principūque partiū vires veneni modo exoluit. At nihilominus quòd aquas citrinas & melancholicos humores eximiè ducat, hydropicòsque mirè iuuat, interdum vsurpatur. In id autē eius folia corriguntur vt esula. Propriè verò macerātur in aceto & succo oxyacanthæ, vel mali punici, vel cotonei cum tritis myrobalanis: deinde siccantur. Quum vsus postulat hac ratione præparata folia infunduntur à drachma dimidia ad drachmam vnam, vel coquantur à scrupulo vno ad scrupulos duos in pingui aut leniente iure, adiecto saccharo & cinamomo: puluis autem eorum datur à granis v. ad grana x. mastiche & spica permistus.

Euphorbium calidum siccum ordine quarto. Vrit, vlcera & magna angustia in synopen frigidūque sudorem præcipitat. Anno primo prorsus est venenatū, hinc in annum quartū integris persistit viribus. Omnium autem validissimè aquas & crassam lētāmque pituitā ab extremis partibus euocat. Sed quæ dixi illius pericula emendantur, si diem vnum maceretur in oleo amygdalino, deinde exceptū mergatur in citreo malo acido, quod deinde massa obductū coquitur. Quūque vsus exposcit, datur à granis vj. ad x. cum mastiche, cinamomo & spica. Ac vbi corpus perturbari cœperit, danda subindè potio quæ refrigeret & leniat.

*Quæ vomitum cient. Cap. XIII.*

**X**YME LI iuniores plerique iis annumerant quæ vomitiones cient, quod nusquam tamen est vsu compertum. Quòd enim acetum vt Dioscorides diligenter animaduertit adstringēs sit, id ipsum sanguinis eruptiones è naribus, ex vtero & ex hæmorrhoides, alui quoque profluvia & vomitiones cohibet, idque non modò potum, sed & odoratum & appositum. At verò stillaticium acetū vulgares nonnulli non paruo periculo experti sunt vomitiones mouere, quandoquidem ventriculū, intestina, omniāque interiora viscera summis cruciatibus exulcerat, quemadmodum & hoc ipsum metalla omnia dissoluit, ab arte igitur vt perniciosum exulet. Ceterum quum ventriculus crasso lentoque humore confertus est, multo ante vomitionem tempore is extenuari præpararique cōmodè potest oxymelite, non simplici modò, sed & interdum composito, vt demum addito stimulo expeditior feliciorque sit vomitio.

**R**aphanus domesticus esculētus quum sit, offensione nulla vomitione purgat, atque ventriculum blandè exinanit: quæcumque nimirum in eo crassa sunt attenuat, quæ lēta sunt detergit, ac demum stimulata expultrice vi sursum extollit, nulli atari neque prægnanti infensus. Teruntur autem radicis eius concisæ vnciæ duæ, affusaque mulla succus exprimitur tepidus offerendus. Seminis (quod efficacius sit) semuncia vel ʒ iij. similiter teritur addita mulla aut sero lactis, aut aqua hordei.

Peponis radix nulla etiam qualitate infensa, ventriculum eo quo & raphanus modo vomitione expurgat. Nec puero, nec seni, nec prægnanti grauis. Ea autem arida atque trita datur ex aqua mulla à scrupulis duobus ad drachmam vnam.

**V**rtica his aliquantò acrior, non modò è ventriculi capacitare sed partibus quoque ei vicinis crassos humores euocat, ac facilè minimoque labore vomitu pellit, nec calore, nec acrimonia quicquam offendens. Datur semen eius tritum ex aqua mulla, aut leniente iusculo & saccharo à drachma dimidia ad drachmam vnam.

**A**sarum calidum siccum gradu tertio, attenuans, obstructionesque aperiens, odore aromatico: vomitione validius quàm quæ nunc proposui, primò ventriculum, deinde vicinas quoque & abditiore partes ex interuallis purgat, è quibus & crassam pituitam, & bilem tum flauam, tum æruginosam euellit. Omnis malignæ qualitatis expers, atque etiam prægnanti tutū præsertim quum non exquisitè teritur. Viridia folia dantur à v.

ad viij. trita & affuso vel hydromelite, vel sero lactis, vel leniente decocto expressa. Radix cuius præcipua vis est trita, datur ex liquore simili à drachma dimidia ad scrupulos quatuor. Maceratur verò in eo ipso liquore à drachma vna & dimidia ad drachmas tres, expressumque datur. Cocturâ vis eius vanescit, quemadmodum & cæterorum quæ vomitione purgant.

Iuglandis arboris quum præsertim succo madet decerptus medianus cortex, arefactus tritusque vomitione ciet, longèque mitius iuli eius qui catuli vocantur, quique florem antecedunt, deciduntque frondescente arbore. Hi enim furno siccati, tusique à drachma dimidia ad drachmam vnam ex leniente liquore, aut ex vino albo sursum purgant, colicosque dolores ac nephriticos tollunt.

Sparthum maius quod stipite est quadrangulo calidum siccum ordine secundo, incidit & attenuat, vomitione pituitam aliisque humores trahit tum flore tum semine, atque licet sapore non iniucundo sit, ventriculum tamen conturbat, & aliquantulum offendit. Quocirca permiscendum ei feniculi semen cum cinamomo & saccharo, daturque puluis aut seorsum, aut ex aqua malsa à drachma dimidia ad drachmam vnam.

Balanus myrepfica quam granum ben Arabes dixerunt, duplex maior que instar est auellanæ, minor quæ ciceris est magnitudine, vtilior est & ad purgandum accommodatior. Calida tertio, sicca secundo recessu, oleosa sed tamen acris, ventriculū visceraque conturbat, crassos lētōsque humores vomitione purgat. Medulla eximitur siccaturque igne ac torretur, daturque ex feniculo, cinamomo & saccharo, vel ex feniculo & cinamo-<sup>20</sup>mo subacta vt ricinus, coquitur in massa daturque à drachma dimidia ad drachmā vnā.

Elleborus albus calidus siccusque tertio ordine: mordet, & vomitum tā violēter purgat vt propè strāgulet. Corpori viribusque perinde atque venenū infestus prorsū fugiendus est. Si cui tamen robusto hunc exhibere morbi diuturnitas & pernicitas suadebit, radicis fibræ à scrupulo vno ad scrupulos duos in raphani radicē infigatur, iisque postridie exemptis raphani radix offeratur. Aut eæ fibræ in iure pingui, aut in vino dulci, aut in leniente decocto cum cinamomo & aniso macerentur nocte vna, expressusque liquor addito saccharo propinetur.

Non pauca ex iis quæ aquas detrahunt vomitum quoque ciet, vt sambucus, ebulus, ricinus, lathyris & esula: sed hoc tamen loco ea solūm persequor quæ citra alui deiectionem vomitione purgant.

*Purgantia quæ ab usu recesserunt. Cap. XIII.*

**P**ERAQUE veterum monimentis celebrantur purgantia medicamenta quæ tempore dierumque numero vt superuacua exoleuerunt, alia quod commoditate vsuque minimo naturam vehementius conturbarent, alia quod nulla aut certè quàm minima deiciendi vi sine fructu molesta ægrotis essent. Prioris generis sunt lapis armenius, lapis cyanus, nitrum, aliaque salis species, sarcocolla, sagapenum, opopanax, æs vstum, antimonium & squamma æris, cyclaminus, staphis agria, taphiæ succus, inuolucrum maius. Et quæ rustici interdum vsurpant pix nigra, buxi cōtrita folia, & eius fruticis quam nigram prunum vocant fructus. Posteriori classe continentur quæ aut alui fæces emolliunt, aut intestina leniunt, pruna, iuiubæ, myxaria, ficus recentes, viola, malua, althæa, atriplex, beta, blitū, mercurialis, psyllium eiusque mucor, butyrum: deinde quæ bilem flauā imbecillius trahere dicuntur, tamar inde, eupatoriū, absinthiū, capillus veneris, rumex maior, chamæpitys, lactuca syluestris, myrobalani citreæ, & quæcunque ferè aluum mollire diximus. Quæ præterea melancholiæ & bili retortidæ accommodantur: serum lactis, fumaria, volubilis lupulus appellata, brassica semicocta, pulegium, polypodium, cortex radicis capparidis, thymus, epithymus, myrobalani nigre. Postremò quæ pituitæ conueniunt, stæchas, origanum, tragoriganū, hyssopus, polypodium, cnicū, centauriū minus, scylla, aristolochia, terebinthina, thlaspi, struthion id est lanaria, dracūtiū maius, myrobalani cepulæ & emblicæ. Ea igitur quod hac tempestate hisve regionibus minimū sint efficacia, nō purgātibus, sed iis quæ ad purgandum iuuāt & preparāt, & iis in quibus purgātia maceranda permiscēdæ sunt, adscripsimus.

Hæc igitur purgantia simplicia operibus iam diu cōfirmata, in artis vsus satis superque fuerint, nisi cui fortè noua quædam benigniora obseruationibus occurrant. Ex his quoque compositiones in pharmacopoliis asseruata, quas in antidotarium retulimus. Sunt autem eiusmodi: Ad expurgandos omnes humores, syrupus catharticus minor & maior,

maior, catholicum liquidum ac solidum. Ad bilem syrupus rosarum pallidarum, syrupus persicorum, hiera simplex, electarium è prunis tum simplex tum compositum, electarium è succo rosarum & diacydoni<sup>on</sup>. Ad pituitam, electarium diacnicum, diaphœnic<sup>on</sup>, benedicta, confectio hamech, hiera diacolocynthidos, Ad melancholiam, è sena & cōfectio hamech. Ad aquam citrinam, electarium hydragogum minus & maius, & electarium è thymelæa. Ex iisdem quoque pilullæ asseruantur, ad bilem quidem hæ leniores, pilullæ è hiera, pilullæ stōmachicæ, pilullæ ruffi & assaieret, pilullæ imperiales: valentiores autem pilullæ sine quibus, & pilullæ aureæ. Aliæ ad pituitam, vt pilullæ de agarico, pilullæ lucis, coccix, de hermodactylis & polycrestæ. Ad atram bilem, pilullæ è fumaris, pilullæ indæ, pilullæ è lapide cyanæo. Aliæ ad aquas, vt pilullæ è thymelæa, & vnguentum lathyridis.

*Præscriptionum purgantium formula. Cap. XV.*

**N** eorum gratiam qui vix dum artis operibus initiati præscriptionum formulas quas imitentur exoptulant, hoc iam loco explicaturus sum, qua tēperatione quibusque formis tum simplicia tum cōposita quæ dixi purgantia medicamenta in rem præsentem accommodari discernique soleant, sumpto à balanis & clysteribus exordio: ad ea dein progressurus quæ superuacuos humores è singulis corporis regionibus detrahant.

20 Aluus proritur glande ac subducitur: pueris aut infantibus betæ vel mercurialis cauliculus radixve oleo intincta, aspersa ve sale aut saliuâ pro glande est. Recētis etiam oui vitellus cum salis & croci momēto linteolo raro illigatus delicatioribus & infantibus nodulus fit balani vice subdendus. Sapo quoq; albus aut succidia in glandis formâ palmæ longitudine exacuitur, inditurque blandè, citra morsum aluum exonerat. Crebrius autem ex melle in eandem formam concinnatur, quod eousque coquitur dum crassecat nec amplius digitos inquinat. Euadet is acrior si salis vulgaris drachma dimidia conspergatur. Ne tamen sua acrimonia primo statim ingressu anū stimulet, sal aut quiduis aliud acre melli dum coquitur permiscēdū. Mellis vncia, salis vulgaris drachmam vnam habeat, aut salis gemmei scrupulum vnum, aut mucerdæ scrupulos duos, 30 aut pulueris hieræ simplicis drachmam vnam, aut hieræ diacolocynthidos drachmam dimidiā, aut agarici scrupulos duos, aut colocynthidos puluerisatæ scrupulum vnum: hæc tandem intestini calore liquefacta atque suscitata idipsum ad excernendum proritant sphincteremque recludunt.

*Clysterum formula.*

**V** v m ad facilem expeditamque purgationem vias liberas esse oporteat per quas detrahendus sit humor, clyster intestinorum capacitatem exinaniens & meseraicarum ora venarum patefaciens, in præparantium censu habendus est. Alius quidem obduratas alui fæces emollit, cohibitasque deducit, alius coërcitos 40 flatus discutit: altius crassam lentamque pituitam infarcientem intestina iis que tenaciùs adhærentem abstergit, secumque rapit: alius ex alto vacuandos humores euocat: alius dolorum acrimoniam lenit: alius immodicum alui fluorem sistit: alius sanguinem supprimit, aut intestinorum vlcera siccat. Ferè autem clyster libram vnam aut vncias quindecim habet liquoris, mellis vncias tres, olei tantūdem, salis momentū. Omniumque primus ac simplicissimus olim continebat hydromelitis probè cocti vncias quindecim, salis vulgaris drachmas tres, olei simplicis vncias tres. Emolliens hæc cōtineat, radices althææ & liliorum an.  $\bar{z}$  j. ficus pingues concisas quatuor, maluæ, violæ, helxines, mercurialis, acanthi an. m. j. feminum lini, fænigræci & anisi an.  $\bar{z}$  β. coquantur, & in  $\bar{t}$  j. percolata dissoluatur cassiæ fistularis, mellis violati, butyri recentis, vel axungia anseris 50 an.  $\bar{z}$  j. olei violati vel simplicis  $\bar{z}$  iij.

Discutiens flatus,  $\mathcal{V}$ . Quatuor emollientium, origani, calaminthes, chamæmeli, anethi an. m. j. feminum anisi, feniculi, carui & cumini an.  $\bar{z}$  β. baccarum lauri contusarum, feminum rutæ & sileris an.  $\bar{z}$  iij. coquantur, & in  $\bar{t}$  j. iulculi dissolue electarij diaphœnic<sup>on</sup> vel benedictæ  $\bar{z}$  β. confectiois è baccis lauri  $\bar{z}$  iij. mellis anthofati, sacchari rubri an.  $\bar{z}$  j. oleorum rutæ & anethi an.  $\bar{z}$  j. β. Ex inferioribus partibus detur in aluum. Additur his interdum oleū è nuce iuglande, quod etiā solūm vel vino permistū flatus validè

dissipat, quemadmodum & rutaceum oleum.

Clyster detergens hac formula præstituendus, ℞. Origani, calaminthes, abrotani, bafinthis, centaurij minoris, furfuris, hordei integri an. m. j. seminis carthami contusi, polypodij quercini an. ℥ j. hermodactylorum ℥ β. percoquatur, & in iuris ℥ j. dissolue hieræ simplicis ℥ j. vel hieræ diacolocynthidos ℥ vj. mellis rosati ℥ ij. salis ℥ ij. fiat clyster sine oleis: his nonnunquam & succi betæ vel mercurialis ℥ j. affunditur. Ex horum quoque materia proritans clyster est comparandus, cui si cæteris purgantibus prætermisissimè è distantissimis euocabit atque deducet.

In varia affectuum concursione atque confusione, ex multorum permissione varij quoque vsus clysteres fient, hac formula: ℞. Quatuor emollientium, chamæmeli, meliloti, anethi, origani, calaminthes, abrotani, furfuris, hordei an. m. j. seminum anisi, feniculi, carui, lini & fænigræci an. ℥ β. In ℥ j. decocti iuris dissolue catholici ℥ j. vel hieræ simplicis, diaphœnici an. ℥ β. mellis rosati, sacchari rubri an. ℥ j. olei chamæmeli & violati an. ℥ j. β. hi igitur omnes in præparatum sunt genere. A purgatione verò clyster interdum quoque necessarius est, qui aut anodynus sit, aut immoderatum profluvium cohibeat intestinæque corroboret, aut sanguinem supprimat, aut intestinorum vlcera persanct. Anodynus. ℞. Radicum althææ & liliorum an. ℥ j. maluæ, violæ, chamæmeli, meliloti an. m. j. seminum althææ, lini, fænigræci & cydoniorum an. ℥ β. coquantur ex lacte & in huius ℥ j. dissolue butyri recentis ℥ ij. vitellos ouorum duorum, subter indatur. 20

Adstringens. ℞. Rosarum rubrarum, balaustrorum, plâtaginis, sanguinalis, arnoglossi, verbasci an. m. j. seminum oxalidis, portulacæ, plantaginis & myrti an. ℥ β. coquantur in lacte vstulato, vel in aqua fabrorum. In iusculi ℥ j. dissolue amyli ℥ ij. gummi Arabici vel tragacanthæ vstulatæ vel mastiches ℥ j. clyster fiat sine oleis.

Adstringentior fiet, sanguinemque supprimet, intestinorum vlcera siccabit, & ad cicatricem perducet, si huic præterea addas boli armenæ, sanguinis draconis an. ℥ ij. Multo quoque præstantior reddetur, si pro iusculo vsurpentur herbarum succi.

#### Purgationes.

**N**ONNULLA quoque assumpta solas ab aluo faeces ducunt & exturbant, eceprotica propterea appellata. Ea rectè cibis præmittuntur vt eorum impulsu celerius & validius excidant. Eadem quoque pastis ciboque confertis offerri possunt, sed cibum præcipitant aluumque subducunt minore profectu. Nonnulli cibis illa permiscunt, sed ij vt aluum exonerent, aut nondum confectos cibos præcipitant, aut certè corrumpunt. At vnâ aloem cibis interponere nihil nocuerit, quum præsertim in pestilenti cõstitutione in corpus illam distribui volumus, vt humores à putredine vindicet. Itaque ad molliendam aluum si neque olus, neque oleum, neque butyrum, neque pruna satis erunt, mannæ calabriæ ℥ j. ex carniû iute soluta sorbenda est semihora ante pastum, aut cassiæ fistularis semuncia ex saccharo. Quum autè simul quædam desideratur ventriculi deterfio, vel aloes, vel pilullarum stomachicarum, vel rheibarbari & aloes drachma dimidia in pilullas duas tresve concinnata voretur paulum ante pastum. Ita enim copiosius deiciet, quàm si tripla multò antè tempore fuisset assumpta. Qui hac vel lenissima auersabitur, pruna circiter duodecim coquat è iute duarum triumve drachmarum sennæ, additòque saccharo edantur ex suo iure. Quum plenius mollienda est aluus citra insignem vllam humorum purgationem, æstuoso præsertim cælo per febrè ardentem & sitim validam, ita præscribendum. ℞ mannæ calabriæ ℥ ij. dissolue ex iusculo capi, horis tribus cibo præmittatur. Aut validius sic, ℞ cassiæ fistularis ℥ x. asperge ducis puluerem fiatque bolus. Aut sic, ℞ diaprunon lenientis simplicis ℥ v. medullæ cassiæ fistulæ ℥ β. cù saccharo fiat bolus. Quum autem seorsum expurgandi sunt humores, medicamentum longiore intervallo cibum præcedat, vt purum nec aliena permissione fractum è ventriculo excidat, penetrètque prius in venas quàm cibi potiusve permissione interpelletur. Vetriculo detergendo atque purgando accommodatissima est aloë, lieni senna, iecori rheubarbarum, mesenterio & intestinis agaricus: quâquam & vnumquodque in alias etiam partes, in aliòsque humores vires exercet. His igitur è prima corporis regione citra reliqui corporis perturbationem vllam præparati detrahuntur humores: atque sic è ventriculo. ℞ massæ pilullarum assaietæ ℥ j. rheibarbari ℥ β. ex syrupo absinthij malaxetur fianturque

Que aluum  
molliat atque  
subducunt.

ganturque pillulæ septem. Potio autem quod ventriculi latera proluat, validius extergit.  $\mathcal{L}$  pulueris hieræ simplicis  $\mathfrak{z}$  iij. rheibarbani electi contriti  $\mathfrak{z}$  j. diluta vnciis tribus hydromelitis propinetur ieiuno. Si vires permittant, addetur  $\mathfrak{z}$  j. aut  $\mathfrak{z}$  j.  $\beta$ . El. diaphœnico, ut medicamenti languida vis proritetur ocyûsq; prolabatur in aluum. At quum ventriculi seu pituitosa seu biliosa impuritas vel nauseam, vel animi exolutionem languescente pulsu, vel syncopen accersit, lenioribus res tutò gerenda. Quum quis præterea aloës amarorem fastidit, rheubarbarû, & si hoc quoque graue & insuaue, senna in eam quam mox subdam formulam, aptetur. At verò si iam altius circum ventriculum, circum pancreas aut mesenterium conditus est humor biliosus præsertim, his ducendus est phatmacis, quæ habent pulpæ cassiæ fistularis vel diaprûnon simplicis  $\mathfrak{z}$  vj. rheibarbani electi triti  $\mathfrak{z}$  iij. ex saccharo bolus fiat, vel potio.  $\mathcal{L}$  rheibarbani electi  $\mathfrak{z}$  j.  $\beta$ . electarij lenientis  $\mathfrak{z}$  iij. syrûpi violati  $\mathfrak{z}$   $\beta$ . aquæ decoctionis hordei  $\mathfrak{z}$  iij. soluatur in portionem. Ita quidem rheibarbani substantia, quia sicca & adstringens, leniente aliquo (nisi immoderatè aluus profluat) temperanda. Vel sic,  $\mathcal{L}$  aquæ stillatiç endiuia, vel cichorij  $\mathfrak{z}$  ij. vini albi odorati  $\mathfrak{z}$  j. in quibus macera rheibarbani selecti triti  $\mathfrak{z}$  ij. vel  $\mathfrak{z}$  ij.  $\beta$ . cinamomi  $\mathfrak{z}$   $\beta$ . in expresso dilue syrûpi adiantini aut de cichorio simplicis  $\mathfrak{z}$  vj. Eiusmodi potio vel ex aliis quoque aquis ut buglossi, betonicæ, aut melissophylli comparata, laborati puero, vel seni, vel iam imbecillo, vel prægnanti mulieri, quum non alia secura fuerit purgatio, decernenda, quæ & interdum syrûpi rosarum pallidarum vnciâ vnâ validior euadet. Complurium autem humorum confusa illuuius, ex iisdem sedibus sic eluenda,  $\mathcal{L}$  endiuia, lupuli, betonicæ an. m. j. florum cardiacorum an. p. j. foliorum sennæ expurgatorû  $\mathfrak{z}$  ij.  $\beta$ . aut  $\mathfrak{z}$  iij. decoquantur ad  $\mathfrak{z}$  iij. In colato iure macera rheibarbani electi contriti  $\mathfrak{z}$  j.  $\beta$ . agarici trochiscati  $\mathfrak{z}$  j. cinamomi  $\mathfrak{z}$   $\beta$ . in expresso dilue sacchari albi  $\mathfrak{z}$   $\beta$ . vel syrûpi è cichorio simplicis  $\mathfrak{z}$  vj. Hyeme cum herbarum est penuria, ad coquendum assumantur polypodium, cnici semen, vna passæ, radices cichorij, oxalidis, graminis, aut feniculi. Si casus præceps est, drachmæ decem vel sescuncia catholici ex hydromelite aut conuenienti iure propinetur: vel in decocto & expresso iure quod habeat foliorû sennæ  $\mathfrak{z}$  iij. agarici  $\mathfrak{z}$  iij. diluuatur catholici, syrûpi de cichorio an.  $\mathfrak{z}$   $\beta$ . vel  $\mathfrak{z}$  vj. Quum perucacius malum in his sedibus non vni purgationi cessurum speratur, apozema vel syrûpus subinde dandus, dum victum malum sit,  $\mathcal{L}$  radicum graminis, petroselini & feniculi, polypodij, seminis cnici, passerum expurgatarum an.  $\mathfrak{z}$  iij. endiuia, lupuli, hysopi, scolopendrij an. m.  $\beta$ . foliorum sennæ  $\mathfrak{z}$  j.  $\beta$ . decoquantur in aqua  $\mathfrak{z}$  xij. ad  $\mathfrak{z}$   $\beta$ . In qua colata macera agarici albissimi  $\mathfrak{z}$   $\beta$ . cinamomi  $\mathfrak{z}$  j.  $\beta$ . In expresso solue sacchari albi  $\mathfrak{z}$  j.  $\beta$ . vel syrûpi è cichorio simplicis  $\mathfrak{z}$  ij. Apozema hoc erit in tres doses.

Syrûpus in eosdem vsus.  $\mathcal{L}$  radicû apij, petroselini & capparis in aceto horis sex maceratarum an.  $\mathfrak{z}$   $\beta$ . agrimonie, endiuia, cichorij, lupuli, fumarie, cassuthæ, scolopendrij, hysopi, origani an. m.  $\beta$ . seminum anisi, cucurbitæ & melonum, glycyrrhizæ an.  $\mathfrak{z}$  ij. coquantur in aqua  $\mathfrak{z}$  lb. tribus ad  $\mathfrak{z}$  xv. in quibus infunde horis duodecim foliorû sennæ electorum  $\mathfrak{z}$  iij. agarici albi  $\mathfrak{z}$  ij. florû cardiacorum epithymi an. p. j. zinziberis, cinamomi an.  $\mathfrak{z}$  ij. feruefiant ac exprimantur, ac dein dissolue syrûpi è cichorio, è scolopendrio & hysopo an.  $\mathfrak{z}$  ij. sacchari albi  $\mathfrak{z}$   $\beta$ . coquantur in syrûpû, dentur  $\mathfrak{z}$  ij. ex conuenienti decocto. Si posthac affectus expolulet, seorsum in sescunciâ syrûpi,  $\mathfrak{z}$  j. aut  $\mathfrak{z}$  iij. rheibarbani expressum diluetur. Horum igitur imitatione possint generis omnis compositiones ad expurganda primæ regionis vitia præstitui. At nihilominus in ascite, quod aqua citrina dēsis membranis arctius coercita sit, & à purgationis viis ductibusque seposita, validiorum medicamentorum vim efflagitat. Quæ porò humorum impuritas in secundâ corporis regionē quæ maiorū est venarū inuaserit, nisi languidiores vires aut acrior morbus obstet, pharmaco valentiore demenda est, & iis quæ dixi lenioribus nonnihil eorū adiciendum quæ scammonium, turpethum, colocynthidem, hermodactylos, huiusque classis pharmaca continent. Ut cassiæ fistulari, vel diaprûno simplici, vel catholico pōdo semenciæ: vel diluto rheibarbani, vel agarici, vel sennæ miscēdum aut diaphœnici, aut dia carthami, aut diacydonij, aut confectionis Hamech  $\mathfrak{z}$  ij. vel  $\mathfrak{z}$  iij. pōdo: qua etiam ratione suprâ scripto syrûpo turpethum & scāmoniū adiungantur: aut syrûpus catharticus maior, aut electarium catharticum maius vsurpentur. Patefactis tandem & expurgatis primis regionibus, tertiæ iam quæ summarū est partium, ut capitis, lumborū, artuū cacoehymia, quemadmodū & hydropicorū serosus humor, alis insuper vehementiori-

Quo modo  
secunda cor-  
poris regio  
expurganda.

Regia tertia  
ut expur-  
ganda.

bus detrahenda, quæ ut vires erunt & corporis præparatio, ita conuenienti tum dosi tum forma decernentur.

*Capitis & cerebri peculiaria medicamenta. Cap. XV I.*



**M**ENIAM eorum medicamentorum materiam quæ noxios humores tū apparant, tum è publicis corporis regionibus detrahūt exequutus, ea dein persequar quæ purgationis vniuersæ reliquias è singulis partibus, præsertim è cerebro, è pulmonibus, è thorace, è corde, è iecore, è liene, è renibus, ex vtero atque ex articulis deriuent. Et ea demum quæ partes ipsas profus omni illuic expurgatas corroborent, pristinaque reddant valetudini. Id autem remediis præstandum quæ peculiari dote partem vnamquamque iuuent. Cerebri igitur mucum atque pituitam per nares hæc eliciunt.

Sampsuchum narium mucum ac pituitam inpositum blandè expurgat.

Salvia & betonica vtraque trita & in alterutram nares indita si aliquantum sinitur, pituitam nullo tædio prolicit cerebrumque mirè leuat.

Anemone quæ præsertim quadrato est caule & flore purpureo, acris est, propriè verò succus eius naribus infusus cerebrum expurgat: commaducata radix pituitam trahit.

Beta vtraque & nigra & candida nitrosa quadam facultate cerebri excrementa deducit, in idque succus earum ex melle aut hydromelite naribus indendus.

Brassica fatiua eadem qua beta vi nitrosa, naribus immissa capitis pituitam elicit, ceterisque humoribus exonerat.

Radix iridis nostratis, naribus subdita sternutamenta mouet, & pituitam prolicit, quod & succus validius præstat, sed quod acrior sit, leniente liquore temperandus.

Elaterium cucumeris agrestis succus, iridis succum facultate superat, ut maiori quoque temperatione sit opus.

Cyclamini succus ad purgandum caput omnium efficacissimus, at non satis tutò naribus instillatur, quod cerebri meninges acerrimè feriat. Qua autem ratione hæc conuenienter aptentur in errhina dicendum.

*Errhina.*

Errhinum blandum. ℞. Foliorum samfuchi, saluiæ, betæ & anemones (quum haberi potest) recentium an. m. j. Terantur & affunde aquæ betonicæ, vini albi an. ℥ ij. expressus succus accommodetur in errhinum. Si acrius optatur, addenda radice iridis virentis semuncia: hauriendus autem hic succus est in nares prono capite, ut altius subeat ne relabatur in fauces. Valētius: ℞. Radicis cyclamini ℥ j. elaterij, si in promptu est, ℥ β. Trita macerentur in ℥ iij. vini albi vel hydromelitis ut mitius euadat. Expressus succus reponatur in ampullam. In hoc maceratum oblongum cõtortumque linamentum in nares inferendum: nam succus si haustus feratur in cerebrum, abundè quidem mucum eliciet, sed accertimo & tamen momentaneo dolore: neque aridorum pulueres tutò possunt in nares inspirari. At tenuissimè contrita illa excipi possunt mellis vncia vna quo nares sublinantur. Cyclamini quoque radix in oblongæ turundæ speciem præcisa & aqua vitæ macerata si naribus indatur, pituitam abundè prolicit. Oportet autem quæ immittuntur non profus nares obturare, ut quum ducetur spiritus errhini vaporè vim que secum deducat in cerebrum: ipsum quoque laborantem prono haberi capite, ut excrementum cerebro meningibusque circumfusum promptius illabatur in nares.

Quæ potèrò pituitam sternutamento promouent, diuersa sunt facultate: nam & his acriora ferè sunt, & cerebrum impulsione vi concutiunt, sicque eius superuacanea vndique in priora atque in nares deriuant. Sunt autem huiusmodi.

Struthium quæ & lanaria & saponaria nuncupatur, sternutamenta ciet, ac mucum prolicit trita cum melle & naribus infusa.

Castoreum ut aliis facultatibus cerebrum neruósque iuuat, ita & ipsum sternutamento purgat.

Præmica hoc est sternutatoria ex ipsius effectus præstantia nomen iuuenit, quandoquidem & foliis & floribus efficacissima est euocando sternutamento.

Batrachij radix acerrima arefacta tritaque naribus subdita, sternutamento cerebrum expurgat.

Elleborus albus potētissimè sternutamenta mouet, si vel sola radice eius fibra inseratur in nares, multòque magis si arida ea in aqua vitæ macerata sit. Puluerem eius in nares indere

indere non nisi veterno aut apoplexia correptis & consopitis liceat.

Euphorbiū vel odore solo sternuratorium est, cuius etiam oleo perunctæ nares aquo-  
fo multo stillant humore.

Quum autem horum effrenata vis sit, ne quid inopinatò contingat, singulis certius  
quàm permittis compluribus atque compositis uti liceat.

Struthium & batrachium terantur macerenturque in hydromelite, in quo dein in-  
tincta linamenta indantur in nares. Veratrum tamen & euphorbio ea quam dixi præ-  
cautione utendum.

Per palatum verò pituitam hæc proliciunt mansa aut gargarizata.

10 Mastiche cōmanducata blandè & leniter pituitam ex ore & faucibus potius quàm  
è longinquis elicit, perinde ac omnia ferè diutius ore circumducta. Vua quoque passa  
& per se cum nucleis & cum pipere cōmanducata caput blandè purgat.

Sinapi verò tunsum ori quouis modo inditum, è cerebro pituitā ducit, naribus quo-  
que ad motum sternuramenta ciet.

Nasturtium semine eadem quæ sinapi præstat.

Pyrethrum radice idem & aliquantò validius efficit.

Piper longum tamen calidius, non æquè ad ducendam pituitam efficit.

Staphis agria non solum quòd acri semine os faucesque velut exurat, sed peculiari  
quoque vi cerebri pituitam euocat, & ore profundit.

20 Hæc ita comparentur in vsum: ℞. Sacchari cā defacti ℥ j. mastiches ℥ ss. piperis longi,  
pyrethri, staphidis agria an. ℥ j. fiat puluis, qui referatur in nodulos ore cōtinendos pre-  
mendōsque dentibus: hæc quidem mansa præcipuè gingiuas, dentes, maxillas & oris  
fauciūque partes expurgant, quas nimirum calor attrigerit. At verò gargarizatu quo-  
niam altius in fauces incidunt, lōgius quoque proliciunt ut ex ipis faucibus, ex amy-  
gdalis, ex œsophago & palati cauo, quemadmodū & pēna altius in fauces indita. ℞. Se-  
minis sinapi tūsi ex aceto ℥ ss. piperis longi in puluerē triti ℥ j. hydromelitis ℔ j. fiat gar-  
garismus. Vel sic: ℞. Ficus pingues incisas quatuor numero, vuarum passarum expurga-  
tarum ℥ j. glycyrrhizæ ℥ ss. coquantur ad ℔ j. In expresso iure dissolue radice pyrethri te-  
nuer trita ℥ j. piperis longi ℥ ss. fiat gargarismus. Piperis enim atq; pyrethri vis coquē-  
do vanescit atque disperditur. Sed neque gargarizatu cerebri interiora exquisitè pur-  
gantur, quòd minimè ad cerebri basim is pertingat, quòd maximè cerebri excrementa  
confluunt. Optima autem & utilissima cerebri expurgatio per palatū fiet, si aptus con-  
ueniētsque liquor haustus in nares resupino capite relabatur in fauces. Etenim transi-  
tu cerebri basim subiens viam per quam excremento cursus est expedit, cerebrum vi  
sua ferit, cuius etiam excrementa facultate deducit: hanc autem ceteris mitiorem ita  
decernito. ℞. Radicis althææ & betæ an. ℥ j. hordei integri, glycyrrhizæ, vuarum passa-  
rum an. ℥ ss. coquantur in hydromelite ad ℔ j. In quo macera radice pyrethri, radice  
cyclamini contritarum an. ℥ ij. exprimatur liquor in eum quem dixi vsum.

40 *Frigida quæ capitis ardores & deliria mitificant acer sunt que  
somnia. Cap. XVII.*

**R**OSA sicca destillationes arceat, quas tamen humida ac recens odore solo  
proritat, capitis dolores ex ardore compefcit, accersitque somnum, cere-  
brum mentemque roborat.

Viola frigida & humida, tum odore tum substātia capitis quoque ardo-  
res ac mentis perturbationes lenit inducto sopore.

50 Nymphaea tota refrigerat ordine secundo, eius radix atque semen exiccat, flos verò  
humectat, isq; naribus ac fronti admotus, capitis ex bile dolorem lenit, somnum con-  
ciliat, sumptusq; omnem extinguit ardorem. Lactuca tū admota tum summo cibo sum-  
pta acres demulcet humores, desipiētiam sedat, vaporisq; suauitate somnum accer-  
sit, idque blādè & citra offensionem vllam. Solanum furiosum venenatum est ac inuti-  
le, hortense verò esculentum est & admotis foliis somnificum: sed & hortense immode-  
ratè sumptum mentem quoque perturbat.

Hyoscyamus albus eligendus cui flos & semē album est, cui verò flauum aut nigrum  
quod vel insaniam vel soporem inferat fugiendum. Sed ne albus quidem tutus, quòd

immodicovsu dementer. Papauer albū medicinis tutius, sed minus efficax quā nigrū, & sylvestre quod rhœada appellant, flore rubro, nigro autem semine: estque frigidum ordine tertio. Semperuiuum maius frigidum quidem abundè, sed nullius particeps malignitatis. Tria hæc fronti & naribus admota acres fluxiones sistunt, capitis ardores extinguunt, dolores leniunt ab æstu & febris ardore natos, somnūque inducunt ac deliria sedant.

Caphura frigida sicca gradu tertio, acris, odorata, partiū tenuissimarū. Capitis ardorem, cephalalgiam ab æstu naribus admota, aut cum santalis & aqua rosarum stillaticia in frontis & tēporum fotum adhibita mitigat, sanguinē è naribus profluentē sistit, exstians cerebrum recreat odore, sed libidinē extinguit. Mandragora frigida ordine tertio, siccaq; primo perhibetur, radice, folio, fructūq; vsurpanda. Eximia ei vis refrigerandi atque compescendi ardentium febrium ætus, capitis dolores ac deliria, sed præcipua conciliandi somnum, soporifera enim est & narcotica. hæc autem præstat tum fructus odore, tū folio radice trita, inductaque ex oleo frōti atque temporibus. Opium frigidum summo quartove gradu, siccum primo: planè narcoticū est quod sublato aut consopito sensu stuporē inferat. Ad leniendum acerbum dolorem, ad quemuis ardorem protinus extinguendū, soporēque accersendum, extrinsecus moderatè appositum omnium quæ supra dixi efficacissimum quæ vel naribus illitū odore solo confert. Medicamentis inditur quorum exuperans calor temperari postulat, intro aliàs minimè purum admittitur.

Hæc igitur præcipua est eorum materia quæ in prædictos vsus coaptantur vel in syrupos, vel in pilullas, vel in antidotos: huiusmodi sunt quæ asseruātur, syrupus rosarum siccarum, syrupus nymphææ, syrupus papaueris, diacod<sup>eum</sup> simplex, diacod<sup>eum</sup> compositū, pilullæ è cynoglossō, Philonis antidotus & Trochisci è succino, Trochisci de Caphura & Trochisci Narcotici. In rem autem præsentem fotus sunt sincipitis, embrochæ, illitus, cataplasmata, frontalia. Vt in causo & capitis dolore ab æstu, fotus qui habet aquarum stillaticiarum plantaginis, rosarum, solani an. ʒ iij. aceti ʒ j. β. caphuræ ʒ β. misce in fotum sincipitis & tēporum. Aliud, ʒ rosarum, violarum, nymphææ, lactucæ, solani, semperuiui an. m. j. feminū lactucæ, hyoscyami & papaueris albi an. ʒ β. coquantur ex aqua simplici, aceti que sextans sub finem indatur: tepido sinciput foueatur per spōgiam aut per splenia. Hæc eorum materia (serpyllo, meliloto, betonica rutæque additis) tusa cretæque & rosaceo vnguento aut populeo vel oxirhodino excepta in cataplasma redigitur, accommodatum vigiliis, phrenitidi, omnique desipientiæ, fronti ac sincipiti inducendum. Ad hæc quoque vitia earum partium embrocha, id est irrigatio fiet ex oleo rosato, nymphææ, papaueris albi & mandragoræ: quibus si extrema res est, opium addetur, sed ea temperatione vt eius non supra grana dena olei vnciæ singulæ excipiant. Addita cera illitus ex his fiet, & cerata tum liquida tum solidiora, fronti temporibusque inducenda. Ex his quoque aceto exceptis oxyrhodinum fiet compositum, iisdem partibus inducendum, vt quod ʒ. olei rosarum, nymphææ, & papaueris albi, aceti, aquæ stillaticæ solani & betonicæ an. ʒ β. mista agrentur pro embrocha frontis & sincipitis. Aliud, ʒ. vnguenti populei & rosacei aceto lotorum an. ʒ vj. β. feminis papaueris albi & psyllij contusorum, ceræ an. ʒ β. malaxentur & concorporentur in cerati formam, quod inductum linteo fronti circundet. Aliud siccum, ʒ rosarum rubrarum, foliorum violarum & nymphææ an. p. j. foliorum betonicæ, lactucæ, & hyoscyami an. m. β. sem. lactucæ & papaueris albi & amygdalorum amarorum contusorum an. ʒ iij. concisa omnia & (si aridiora sunt) vapore aquæ rosarum madefacta exceptaque splenis, intersuantur, & applicentur fronti & temporibus.

*Calida medicamenta quæ affectuum cerebri præsertimque frigidorum reliquias proprietate dissipant. Cap. XV III.*



**S**ALVIA calida primo, sicca secūdo, quæ angustiore folio efficacior habetur, ea leniter adstringit, & emanantem sanguinem cohibet, ventriculum atque cerebrum corroborat, torpentem appetentiam excitat: peculiariter autem nervos firmat, eorumque vitiis omnibus medetur: in idque vires obtinet castoreo finitimas. Betonica cerebro auxiliatur, idque vel odore

odore solo recreat. Hinc comitialibus furiosisque medetur, paralyfim torpentiaque membra perfanat.

Sampſuchus calfacit siccatq; tertij ordinis initio, tenuium est partiū, & validè digerit, odorisque suauitate cerebrum neruósque corroborat: ex hisque flatus, crassam pituitam, & hinc subortas obstructions dissoluit. Rosmarinus sampſucho præstantior, vnà cum cerebro & neruis cor, sensus omnes & memoriã confirmat: tremori atque paralyfi salutaris. Stœchas cerebrum neruósque iuuat, & frigidis eorū medetur affectibus, illisq; moderato calore quasi vitam restituit: vertigini, epilepsia atque melancholia saluberrima. Laurus calfacit & subadstringit. baccæ in medicamēta adiciuntur que  
 10 neruorum lassitudines reficiunt, & ad vnguenta quæ calfaciunt & discutunt: earum succus aurii dolori & grauitati instillatur. Myrtus quàm laurus adstringentior, moderato calore atque suauitate cerebro familiaris, eius spiritus virésque fouet & firmat, nec parum sistendis destillationibus opitulatur. Acorus qui Galāga est, calidus siccus ordine tertio, oris halitum commendat, frigidis & flatuosis ventriculi & cerebri affectibus medetur, inditis naribus cerebrum iuuat & firmat, ore verò detētus venerem stimulat.

Pæonia mas præstātor est fœmina, calida sicca quo ordine secundo, radice, flore, semine celebrata. Cerebrū odorata mirè recreat, sed admota sumptaque magis: mentis perturbationē sedat, nocturna ludibria atque etiã incubos dissipat, timores pauorésque discutit, comitali morbo medetur. Cerebri quemadmodū & iecoris, renum, vterique  
 20 obstructions tollit. Ruta ordine tertio calfacit & exiccat: odorata & admota mentis hallucinationes & desipientiam arcet, melancholicosq; pauores discutit: cum oxyrhodino illita capitis dolores quacunq; ex causa mitigat.

Serpyllū acre, calidum & siccum initio tertij, & odoratum & ex oxyrhodino appositum cerebrū iuuat atque corroborat, vt idcirco dolores, deliria mētisque perturbationes sedet accersito somno: at nihilominus rheumatismos frigidalsque destillationes capiti inductum sistit & dissipat. Spica quæ & pseudonardus, calfacit & siccat ordine secundo, caput admota calfacit eiusque humores superuacuos exiccat, & destillationes arcet, apoplexia, paralyfi tremorūque utilis.

Centaurium minus rheumaticis affectibus auxilio est neruis accommodatissimum, vt quos humore turgentes citra noxam euacuet ac desiccet. Iridis illyricæ seu florentię  
 30 radix & aloë præterquam quòd somnū alliciunt, dolorem etiam capitis temporibus & fronti ex rosaceo illitæ sedant, & odoratæ cerebrum recreant.

Cōpositionis porrò ex his pauca extant præcipuūque est syrupus è stœchade. Aque verò singulorum stillaticia ferè vsurpantur, & ex his quædam saccharo conseruantur, vt flores rotismarini & saluie & stœchados. Olea quoque non pauca vt myrtinum, laurinum, rutaceum, nardinum. In rem verò præsentem cum vel affectuum frigidorum materiam siccare, vel cerebrū corroborare consilium est, horum plurima in capitis lotiones aptantur, additis iuniperi baccis & anisi feniculi que semine coquanturque vel sarmentorum lixiuio, vel aqua cui sub finem vini albi quadrans affundatur. In id non  
 40 modò virentes, sed & arefactæ herbæ conferuntur, vt quarum integra vis etiam subsistat.

Oleum quoque ad frigidos quosuis affectus sic comparari potest. ℞. Baccarum lauri, myrti & iuniperi an. ʒ. ss. seminis feniculi, rutæ & pæonia an. ʒ. iij. saluie, betonicæ, sampſuchi, florum stœchados, rotismarini & spicæ an. ʒ. ij. Tunsa omnia conspergantur ʒ. ss. aquæ vitæ, dum omnino madescant: deinde affusa olei libra vna coquantur vase duplici dum liquor omnis sit absumptus, expressumque oleum recondatur in vsus.

*Quæ destillationes sistunt, & quæ cerebrum corroborant. Cap. XIX.*

50 **M**ASTICHE vapore tenues capitis fluxiones incrassat atq; cohibet, voratque cerebrum tenuibus expirationibus impetum tuetur ac firmat, præsertim verò in febribus, epilepsia, vertigine & in cæteris quæ sympathia sunt. Vernice suffitu aliquantò adstringētior & valentior mastiche, ad cætera tamen non tutò sumi potest. Succinum quod Arabum est carabe, & Græcorum ἡλεκτρον, calidū primo siccum secundo ordine, leniter adstringit, tritumque ac potum vomitiones ventrisq; fluxiones ac destillationes sistit, attritu iucundū spirat odorem, suffitūque cerebrū recreat, siccat, eiusque destillationes quocunq; ruant co-

hibet, quod & collo circumductum non leuiter confert.

Tus calidum siccumque secunda classe, frigidas capitis destillationes tū interiores ad fauces, pulmones & ventriculū, ad dentes & maxillas, tum externas sistit & quodāmodo discutit atque siccatur, tum suffitu tum appositu emplastri vice.

Agallochum xylaloē, calidū siccum secundo gradu, odoratum adstringēs, subamarum, firmat omnia interiora viscera, sed peculiariter cerebrum tum mansum tum suffitū, eximiè siccatur & corroboratur. Spica nardi humores è capite seu in fauces seu in pectus stomachūve procumbentes sumpta ac etiam ore contenta proprietate cohibet, viribus cæteris quàm pseudonardus præstantior.

Styrax calidus gradu primo, siccus secūdo, cerebro quoque iucūdus, cuius suffitu cerebrum siccescit, destillationes sistuntur, & rauedines grauedinēsque mitescunt.

Melanthium calidū siccum recessu tertio, ad omnia ad quæ styrax atque etiam efficacius accōmodatur. Nam frictum adductūque naribus expirante odore destillationes omnes & coryzā exiccat, imbecillōque cerebro opitulatur. Infrō verò non tutò immittitur. Succus quem officinæ benioin appellant, calidus siccūque ac summè tenuis, odoris suauitate cor cerebrum sensūque omnes exhilarat, caput suffitu siccatur, eiūque superuacua absorbet, inclinantibus morbis aptus.

Caryophyllum odoratu cerebrum corroboratur & exiccat, eiūque affectus frigidos persanat, mentem erigit memoriāque firmat. Nux moschata eiūque macer si vel manditur vel naribus inditur tum odore tum substātia, cerebri, mentis, sensūque vires auget. Myrrha suffitu cerebrum quoque recreat, superuacuos humores abstergit & absorbet. Ambarum caput odoris suauitate roboratur & epilepsie confert, cæteris que frigidis opitulatur affectibus.

Compositiones ex his nullæ extāt, sed re exigente ex tempore cōparari possunt: ferè autem singulæ teruntur in pulueres, quorū sit varius vsus. Suffitus adstringens destillationes tenues & acres, habet rosarum rubrarum, mastiches, vernicis, succini singulorum cōtusorum ℥ ℔. crassas verò ac frigidas sistit cerebrūque corroboratur, qui ℥. Succini, seminis melāthij an. ℥ ℔. styracis calaminthæ, benioin an. ℥ iij. maceris, caryophyllorum, nucis moschatæ an. ℥ ij. Terantur in puluerem crassiusculum ad capitis suffitum. Si myrrha & mastiche singulæ pondo vnciæ vnus aqua rosarum stillatitia soluantur, adiecto puluere præscripto trochisci concinnabuntur ad suffitum apti. Puluis capillis inspergendus destillationes atrens. ℥. Xyloaloes, succini, caryophyllorum an. ℥ iij. rosarum rubrarum, sampſuchi, maceris, nucis moschatæ an. ℥ ij. Cucullus verò seu interstitus pileus quo caput ad destillationes & frigidos affectus munire solet. ℥. Sampſuchi, rosarum rubrarum, florum torismatini, saluix & stæchados, spicæ nardi arefactorum an. ℥ ij. corticis citri sicci, gra ni infectorij, maceris, piperis, nucis moschatæ, caryophyllorum an. ℥ iij. fiat puluis qui bombace carpra exceptus coaptetur in cucullum. Cerebrum quoque roboratur siccaturque odoratis in nodulum coniectis, vel in globum pomi specie, vt ℥. Seminis melanthij torrefacti ℥ ℔. spicæ nardi, nucis moschatæ, caryophyllorum an. ℥ ij. trita concludantur syndone in nodulum. Pomum odoratum hac formula, ℥. Sampſuchi, rosarum rubrarum, pseudonardi an. ℥ ij. maceris, xyloaloes, nucis moschatæ, caryophyllorum an. ℥ iij. styracis, benioin an. ℥ j. Trita contusaque omnia excipiantur ladano purissimo, vel mucilage gummi tragacanthæ, finganturque globuli pertusi, asperso puluere ambaris & moschi an. ℔ ℔.

*Ad pulmonum pectorisque vitia. Cap. XX.*

**V**ITIA quæ tum pulmōni tum pectori inhærescūt purgato iam corpore atque destillatione sedata, ferè quidem vel leniendo, vel detergendo extenuandōque tolluntur. In idq; ex infarctu liberantiū ordine aptissima sunt quæ incidendo atque detergendo, nec vehementer calfaciant siccantve, nec exasperent: sed leniant & quadamtenus humectent. vt strobili, mel, terebinthina. Interdum etiam acriora, sed ex melicrato, ptisanā, vino dulci, aut leniente sorbitione data. Arteriæ autem pectoris que asperitatem hæc peculiariter leniunt simulque ardorem extinguunt.

Pruna dulcia moderatè refrigerant, humectant verò ordine secundo, aluū molliunt ac subducunt, pectus arteriāque leniunt, bilis ardorem ac sitim compeſcunt.

Zyzypha

Zyzypha quæ & iuiubæ admixaria quæ & sebesten, quo prunis dulciora, hoc viribus omnibus eis antecellit. Cremor hordei refrigerat, humectat & oblinat, sitim restinguit, deterget sine adstrictione, ac facillè in thoracis partes illabitur.

Succus amygdalarum dulciù arteriam pulmonemque lenit, ac simul emolliēs humores è thorace sputis educit: qui ex amaris elicitur, obduratos ac tenaces validius expectorat. Semen maluę quia humectat & oblinat asthmaticis bibendù datur, thoracem pulmonemque proprietate iuuat, raucãque vocem lenit.

Semen bombacis quod crassa leniendo extenuet, tussi & thoracis vitiis peculiariter medetur. Viola feruidos acrésque humores temperat & siccescentes pulmones humectando recreat, eorùque exasperatas vias lenit.

Glycyrrhiza temperata calore, modicè humida: omnia exasperata propriè verò arterias lenit, tussim siccam, asthma atque sitim mitigat. Gummi arabicum refrigerans ac modicè siccans, sed tamen quia emplasticum, asperitatibus omnibus medetur, nec ventriculum relaxat.

Tragacãtha frigida secundo, humida primo recessu: humidior quàm gummi, aptiùsque tussim veterem omnésque asperitates lenit.

Nuclei pinei calore temperati luculèter humidi emolliunt ac detergunt, purulentã, crassam, lentãque expuitionem promouent.

Pistacia quia lenièdo subamara sunt & adstringētia, pulmonis thoracisq; obstructiones liberat. Auellanæ tostę destillationē arcent, crudæ verò ac recentes tussi veteri medentur, stomacho tamen infestæ, præsertim quę vetustate nimium exaruerint.

Mel calidù siccumque ordine secundo, valenter detergit, aluùmq; subducit, non nisi coctum sumitur, nam flatus crudum excitat & ventriculum offendit.

Saccharum minus calidum ac siccum quàm mel, vtque gratius est & suauius, ita & omnia mitiùs quàm mel efficit nec stomacho infestum est.

Compositiones ab his extant, syrupus zyzyphorù, syrupus violatus, electarium tragacãthæ frigidum, eclegma è pino, pilullæ bechicę, pilullæ albæ & penidia. Ad quarum imitationem alię quoque possunt in rem præsentem præstitui, quẽadmodum & portiones quædam leniētes pectorales appellatæ, quales ex hordei m. j. passarum ꝑ. j. zyzyphis, mixariis an. viij. nu. glycyrrhizæ ꝑ. ij. in aqua ꝑ. iij. percoctis.

Hæc verò pectoris pulmonumque vitia detergendo & extenuando purgant. Vua passa quæ dulcis fuerit, leniendo detergendoque leniter thoracis ac pulmonis affectibus eximiè succurrit.

Ficus abstergendi facultatē & incidendi obtinent, præcipuè verò thoracē purgant, tussi veteri diuturnisq; pulmonum vitiis conueniunt, gutturi, arteriæ, & anhelatoribus aptissimæ. Capillus veneris propriè pectus & pulmones expurgat, pleuritidi & peripneumonix utilis. Adiantum album crassa & lenta ex pulmone educit.

Hyssopus peculiariter peripneumonix, asthmatis, orthopnœæ & tussi veteri ex destillatione opitulatur, præsertim si ex melle, aut visis passis, fico & ruta decoctus potetur, detorsor familiaris. Prassiu quod album appellatur, crassa è pectore educit, vtilitèrque datur asthmaticis, tussietibus, & interdù tabidis. Origanum linctum ex melle tussibus medetur: inclinanti quoque peripneumonix & pleuritidi.

Calamintha orthopnœæ, asthmatisque confert ex hydromelite. Abrotanũ maximèque eius semè recta ceruice spirantibus, ruptis, conuulsis, tussi, orthopnœæ auxiliatur.

Polypodiũ radice vsurpatur calida siccaque ordine secundo: dulcis paritèrque subauftera est, crassam pituitã detrahit, præcipuè verò è pulmonibus, quia lenis est & dulcis.

Cnici semen ac propriè eius medulla in vsum venit, calida siccaque ordine secundo, abstergens & aperiēs, simulque leniens, propriè pectus atque pulmonem lenta pituita expurgat, vocem clarificat.

Iris flore ac radice insignis, calida siccaque ordine secundo, inueterata omnia pectoris pulmonumque vitia blandè expectorat. Hellenium radice vtile, calidum ordine tertio, siccum primo, ad educendos lentos & crassos thoracis humores accommodatum: veterem tussim emendat, orthopnœam, conuulsiones, inflationes, stomachique vitia, mensēs quoque mouet & vrinas. Satureia quæ & rymbra, medetur pulmonis & thoracis vitiis & thymum viribus emulatur. Thymus vt obstructiones hepatis & viscerum soluit & expurgat, ita crassa lentaque è pulmone & thorace expectorat,

anhelosis & asthmaticis cum melle datum omnia thoracis vitia excreabilia facit, sed foetum excutit.

Iuniperus calida & sicca ordine tertio, baccae crassos & glutinosos humores extenuant. Potæ ad vitia thoracis, ad tusses, inflationes & tormina profunt: sed ramentum ligni deuoratum interficere creditur. Sefeli masiliense, officinis siler montanum calfacit & desiccatur ordine secundo, radix & semen tenuium sunt partium, stomachi viscerumque concoctionem iuuant, tusses diuturnas sanant, & orthopnoeæ medentur.

Dracunculus calidus siccus, acer & amarus, leniterque adstringens, tenuium est partium. Radice viscerum omnium crassos ac lentos humores attenuas expurgat, tussibus ex destillatione prodest: bis terve elixa in cibo radix crassos ac glutinosos humores è pulmone validè exterget, incidit, & expurgat. Arum calidum siccum ordine secundo: eadem atque dracunculum vires, sed multò infirmiores obtinet.

Cepa, porrum, allium, scordium vim acrem & excafactoriam habent, qua viscerum omnium imprimisque pectoris crassos & viscosos humores extenuant, detergunt & expurgant: præcipuè verò porrum & scordium purulentam crassamque pulmonum materiam pectore expellunt & arterias purgant, si aut cum ptisana hydromeliteve cocta edantur, aut cum nasturtio, melle & resina in eclegmate delingantur. Si semel atque etiam iterum mutata aqua parum præcoquantur, acrimoniam quidem illa & cacochymiam deponunt, sed inefficaciora ad commemorata paulò redduntur.

Scylla pectus crassis & lentis humoribus infarctum expurgat, tussim veterem & asthma persanat, saniem è pectore elicit. Crocus lethargicos strenuè iuuat, sed pituita attenuans ad spiritus difficultatem, ad tussim & pleuritidem mirè confert.

Zinziber crassam pulmonum pituitam attenuat, tenuem concoquit, tussis veteris, asthmatis frigidorumque affectuum familiare remedium, quod præcipuè recens conditum fuerit.

Aristolochia vtraque amara & subacris, abstergit & digerit, sed rotunda crassos humores validius extenuat, & ab iis natas obstructions promptius expedit. Hinc asthmaticis, supiriosis & pleuriticis auxilio est. Gentianæ radix extenuando & abstergendo obstructions efficaciter expedit, idque tanta vi vt iumentis etiam non tussientibus modò, sed ilia quoque trahentibus auxilietur pota.

Myrrha tuberculo fabæ deuoratur in vetere tussi, orthopnoea, in laterum pectorisque doloribus.

Hæc autem peculia dote tabidis opem ferunt. Scabiosa calida sicca, non modò quia amara, sed & ingenita facultate validè adeò pulmonem expurgat, vt eius tum abscessus atque vomicas tum etiam pleuritidas proprietate rumpat & expurget.

Pimpinella calida siccaque ordine secundo, abstersionis adstrictionisque particeps: tabidis aptissima, cruentas excreationes sistit, sordidas ac purulentas expurgat, vlcera detergit, mirificè siccatur & agglutinat.

Tussilaginis radices & folia petuntur, hæc virentia temperatis proxima sunt siccata verò modicè acria & calida euadunt, hinc siccas tusses & orthopnoeas sanant, & accensa inspirato fumo pulmones tam blandè expurgant, vt sine noxa omnes thoracis abscessus rumpere credantur.

Symphytum, consolida maior ordine secundo excafacit siccaturque. Collectum in thorace pulmonéque pus expurgat & sanguinis reiectiones sistit.

Pulmo vulpis arefactus si bibatur suspiriosos adiuuat, tabidorum vlcera agglutinat, roboraturque pulmonum substantiam.

Ex his componuntur extantque medicameta huiusmodi, syrupus hyssopi, syrupus prafij, electariū diaireos simplex & diaireos compositum, conditum adianti, conditum florum iridis, conditum radicū enulæ, zinziber conditum, eclegma è scylla simplex & compositum, pilullæ scabiosæ. Et quæ ad sanguinis excreationem & ad tabidos purulentosve conferunt, trochisci è terra lemnia, syrupus symphyti. Quæ magna sit horum compositorum suppellex, rarò decernuntur alia nisi cum penuria subest, aut ad implicitos affectus insueta desideratur permistio, vt quæ leniendi & expectorandi hoc modo vim obtinet. ℞ zzyzypa, myxaria, ficus passas an. vj. nu. vuarum passarum ab acinis liberarum ꝑj. polypodij quercini, seminis enici, radicis elenij an. ꝑ. adianti albi, hyssopi, prafij, origani, sarureiæ an. m. j. seminis althææ & sefeleos an. ꝑ. coquantur exprimanturque ad

que ad sesquilibrium, adiectoque pari sacchari ponderere, coquantur in syrupum. Si vel eclegmata vel electaria rei presentis necessitas exoptulet, horum permistio ex his quas ante protuli formulis discenda.

*Quæ cordis disculant affectus, cardiaca appellata. Cap. XXI.*



**V**o d affectus pauci in cor inuadere posse credantur, cardiaca facultates præcipua sunt, noxia omnia malignaque depellere, & cordi robur conferre. Malignitatem depellunt alia frigida, alia calida. Cardiaca frigida hæc sunt: Buglossum vtrumque languentibus medetur & syncope vexatis, melancholicos exhilarat, & ex diuturno morbo conualescentes recreat. Viola & nymphaea in cardiacis frigidis quoque habentur, vtraque cordis tedia discutit, spiritus excitat ac tetros arcet vapores. Semen mali citrij amarum, venenis resistit, oris suauitatem commendat, ad mulierum malaciam confert. Succus mali citrij & punici acidi & arancij acidi frigidus siccus ordine tertio, aduersus internas & pestilentes putredines, venena, & partium principum maximèque cordis imbecillitatem in primis utilis est, & dum cardialgia hoc est mordicatio ventriculi os infestat. Semen oxalidis cordis & oris stomachi inextricabilia vitia, maximè scorpionum ictus sanat.

Mali odorati atque cotonei succus cor & stomachum roborat, syncopem tollit, venenum consopit aut arcet.

- 20 *Calida.* Melisophyllum syncopen ex frigida causa, mœrorem tristitiãque excutit. Doronicum quod Paulo Arnabo dicitur, radix calida & sicca ordine tertio, subdulcis, intus alba, foris flaua, pollicis crassitie, nodosa, dẽsa, cordis palpitationi & venenatorum moribus atque ictibus auxiliatur, ipsumque cor peculiariter roborat. Vetonica altera que & runix & bistorta, calida & sicca, subamara, contra nocturnas peregrinationes & difficiles somnos commendatur, aduersus toxica, serpentum & scorpionum ictus ex vino albo bibitur: succus pestis arcet cõtagia, & vomitiones cohibet. Dictamni radices & folia in vsu sunt, calfaciunt & siccant ordine tertio, tenuium sunt partium: ad morsus & ictus venenatos exhibentur, & ad pestilentium febrium malignitatem. Pẽtaphyllum tormetilla vulgo, siccant tertio recessu citra manifestum calorem, subadstringit, tenuium
- 30 est partium, venenis resistit & pesti, omnes sanguinis eruptiones cohibet. Attractylis hirsutior quibusdam, aliis acanthium, carduus benedictus vulgò, calidus siccus, amarissimus, obstructions internorum viscerum tollit, & eorum vlcera sanat: aduersus pestilentes aliosque venenatos & putres affectus in primis efficax. Stebe scabiosa, vt abscessus interiores rumpere, ita & pestilentium morborum virus è corde foras extrudere creditur, & eorum bubonas carbunculosque discutere. Ocimi semen cardiacum est, cor enim exhilarat eiusque defectionem tollit & humidum stomachum roborat.

*Corroborantia frigida.* Os è corde cerui, hominis cor quadam substantiã similitudine roborat, ad cardiacam affectionem & syncopem in primis utilis. pro quo in eisdem vsus cornu cerui substituitur. Cornu vnicornis omnium præstantissimum creditur cor tueri, veneni vim omnem obrundere, & pestilentium morborum perniciem lenire.

- 40 Ebur frigidum siccum primo gradu, cordis robur tuetur & conceptum adiuuat. Aurum temperatissimum, foliolis & veluti bracteolis ad naturam robur & affectus melancholicos, ad exolutum stomachum, ad cardiacos & præter rationem mœstos efficax. Argentum frigidum humidumque temperatè, auri vires quadamtenus æmulatur, sed iam metallicæ malignitatis quodammodo particeps.

Vniones seu margaritæ frigida sicca, integræ potiores, cor proprietate roborant, syncopen tollunt, putredini cor obsidenti pestique & venenis obsistunt.

- Saphyrus potus ictos à scorpione iuuare, & cor ab omni veneni labe tueri creditur, & intestinas vlcerationes emendare. Hyacinthus virulentarum quoque bestiarum ictibus & malignis medetur affectibus. Smaragdus, eadem non potus modò, sed & collo subnexus confert, & melancholiam mœstitiãque soluit. Corallus frigidus siccus secundo gradu, vt adstringendo stomachum roborat, & sanguinis reiectiones magnoperè sistit, ita & cordi robur conseruat, idque munit aduersus pestilentium morborum iniurias. Succinum cor & stomachum firmat, cardiacis & cordis palpitationi accommodatum.

Sigillum lemnium frigidum & siccu primo recessu, morsus serpentum & omnium repti-

lium sanat, mortiferas & venenatas potiones nocere prohibet.

Bolus armena frigida ordine secundo, pestilenti febris opitulatur eique resistit, putredinem cohibet, & sanguinis exspuitionem, & dysenteriam & destillationem.

Caphura malignos vapores praesertim calidos extinguit, ab hisque ortam sensuum exolutionem reparat.

*Calida.* Xylaloë ad cardiacos affectus, ad syncopem, ad omnia denique cordis frigida vitia vtiliter exhibetur.

Cortex citrei mali, odoratus, calidus siccus, cor aliasque principes partes muniens, putredini & veneni resistit.

Cinamomum calidum tertio ordine, siccum secundo, putridam saniem exorbet, ad 10 deleteria & venena vtile.

Caryophyllum calidum siccum tertio gradu, odoratum, acre, subamarum: cardiacos affectus & syncopen tollit, viscera corroborat, & cordis spiritus resarcit. Amomum calidum siccum tertio gradu, valide siccatur & adstringit odorisque suavitate cor recreat. Crocus calidus ordine secundo, siccus primo, coquit, digerit, mediocriter adstringit, cor in primis deinde alias partes roborat, emendatque earum putredines: sed extra modum sumptus lethalem vim inferre perhibetur. Moschus calfacit siccatur ordine tertio, tenuium est partium, odore spiritus instaurat, languidas partes ac praecipue cor firmat & roborat, lipothymiam & vires resolutas sarcit, sed imbecillum cerebrum biliosis praesertim ferit. Ambarum calidum siccum secundo gradu, humores calfacit, incidit, attenuatque, 20 stomachicis miscetur, cor & cerebrum proprietate roborat, & syncopem tollit, sed ebrietatem accersere dicitur permixtum vino: senibus & naturam frigidioribus accommodatius quam iuuenibus.

Hæc porro simplicia in compositiones coaptantur, quæ sunt huiusmodi: Syrupus buglossi, syrupus è succo aut infuso violarum, syrupus nymphæ, syrupus è succo oxalidis, syrupus malorum redolentium, syrupus è succo persicorum malorum, syrupus è succo limonum, syrupus granatorum, syrupus è cortice citrij, syrupus è succo citrij acido. Quibus omnibus cardiaca quodammodo vis inest cor muniendo arcendoque putredinem: vnus autem syrupus melissophylli malignitatem omnem extinguit. Electarium quoque de gemmis, diamargariton frigidum, electarium de ambra, electarium exhilarans, mithridarium & theriace. Flores praeterea & fructus saccharo conditi conseruati que, vt buglossi flos & radix, flos violarum, persica condita, mala odorata condita, cortex citri conditus, & nux moschata condita. Quinetiam non paucæ extemporaneæ compositiones in alias quoque transferuntur formas, vt in pulueres, in condita, in pastam regiam, in destillatum instauratiuum, in epithemata, in sacculos, in suffitus & odoratos globulos: quorum exempla quædam exercitationis gratia hic subiici. Puluis. ℞. Cornu cerui & vnicornis, margaritarum splendorum, scobis eboris an. gr. vj. fiat puluis tenuis ex cochleari sumendus, aqua buglossi & vino albo dilutus. Eiusce pulueris drachmæ duæ exceptæ vncis tribus sacchari albi soluti aqua rosarum stillaticia, concinnantur in tabellas quas manus Christi appellant. Huic & non nihil interdum additur electarij 40 de gemmis aut de ambra, interdum & ambaris momentum. Fit & ad pestilentiam hac formula: ℞. Fragmentorum gemmarum sapphyri, hyacinthi, smaragdi, margaritarum, coralli rubri an. ℥j. ossis è corde cerui, eboris, seminis ocymi, cardui benedicti, citrij, oxalidis, radicem tunicis, tormentillæ & angelicæ, daronici an. ℥ss. terræ lemnis, boli armenæ an. ℥j. moschi, ambaris an. gr. viij. sacchari albi soluti aqua melissophylli ℥ss. concinnetur electarium in tabellas pondo ℥ij. Conditum cardiacum. ℞. Corticis citri conditi, conseruæ buglossi, violarum & rorismarini an. ℥ss. pulueris electarij diamargariton frigidi & electarij de gemmis an. ℥ss. sacchari albi quod satis est ad conditi formam. Epithema. ℞. Aquarum stillaticiarum melissophylli, buglossi, cardui benedicti & rosarum an. ℥ij. aceti ℥j. In quibus dissolue omnium santalorum, xyloaloes, 50 caryophyllorum, corticis citri sicci tritorum omnium an. ℥j. croci ℥j. caphuræ ℥ss. fiat epithema cordi iuducendum ad æstum & malignitatem arcendam. In id quoque pulueres sacculo includuntur, qui vel siccus cordi admouetur, vel supra dicto liquore imbutus. Odore quoque labes arcetur ex his quæ epithema constituunt. Destillatum cardiacum & instaurans. ℞. Conseruæ buglossi vtriusque, violarum, rosarum & nymphæ, corticis citri conditi an. ℥ij. pulueris electarij diamargariton frigidi, ele-

gidi, electarij de gemmis & de ambra, croci an. ʒ ij. seminis citri, oxalidis, cardui, attractylidis & citrij mali, radicū dictamni, veronicæ & pentaphylli an. ʒ iij. iusculi caporum iuuenū alteratorum cum lactuca, oxalide, portulaca, scabiosa & melissa lb̄ vj. trita confusaque omnia vaporario vitreo inclusa igni mandentur, vel aquæ feruenti, sensimque liquor eliciatur. His nonnunquam perdicum aut turturum, aut etiam nemoralium testudinum præparatarum concisa caro permiscetur cū medulla panis albi. Excepti deinde liquoris libra dimidia cū sacchari vncis duabus & cinamomi drachma vna colo transmittitur in vsus, affusa interdum semūcia succi granatorum aut limonum. Destillatum aliud malignitatem arcens & obtundens. ʒ. endiuia, buglossi vtriusque, stēbes, pentaphylli, cardui benedicti, oxalidis, pimpinellæ, betonicæ recētium omnium an. m. j. radicū dictamni, veronicæ, & pentaphylli, aristolochiæ rotundæ, gentianæ, doronici romani, zedoariæ an. ʒ. ʒ. seminum oxalidis, cardui attractylidis & plātaginis an. ʒ. vj. theriaces, mithridatij veteris an. ʒ. ij. Recentes herbæ tundantur hisque aspergantur reliqua omnia exquisitè trita, sinanturque triduo macerari: ex his dein in vaporarium coniectis sensim liquor excipiat.

*Ventriculo accommodata. Cap. XXII.*

**V**AE stomachica nuncupantur medicamēta, alia humorum quibus est imbutus ventriculus illuuiem exugunt absumentque, vel prorsus detergunt, eius robore seruato: alia concoctionem adiuuant, cæterasque illius functiones confirmant. Prioris quidem classis sunt, malum citrium & medicum, malum punicum & cydonium seu cotoneum, cerasium, ribes, oxyacantha, sorba, mespyla, & quæcunque supra dixi æstuantem bilem frenare. Hæc enim bilis reliquias obtundunt, vomitiones sistunt, æstuantem ventriculum refrigerant, sitim extinguunt, cibi fastidia discutunt & appetentiam inuitant, dissolutumque ventriculum adstringunt & corroborant.

Quæ verò deinceps sunt id ipsum præstant in frigidis humoribus, qui stomachi tunicas infarciunt.

Menta vtraque calida & sicca principio tertij ordinis, gustu acris, subamara, tenuium partium, adstringendi & exiccandi vim obtinet. Stomacho apprimè utilis est, appetitum excitat, & in condimentis peculiarem vsum inuenit, in eo humores frigidos crassosque excalfacit, attenuat & absorbet, singultus, vomitiones choleraeque sedat, sanguinis vomitiones sistit: sed coceptioni resistere creditur. Betonica crudorum concoctione adiuuat, datur acidum ructantibus & stomachicis, dolorē capitis ex ventriculi sympathia sedat. Absinthium calidum primo gradu, siccum secundo, adstringens amarum & acre, excalfaciens pariter & detergens, roborans, & desiccans: eius decoctum stomachum corroborat, bilem eique inhaerentem pituitam detergit, vacuatque tum per aluum tum per vrinas. Hinc morbo regio correptos sanat, malaciam stomachi, & inflationes discutit, appetitum excitat, nauseam arcet, lumbricos pellit, comæ, folia & semen vsurpantur: sed succus stomacho intensus est. Salvia excalfaciens & subadstringens, appetitum excitat, cruda crassaque conficit, & stomachum corroborat, singultum quoque lenit. Silybrium, balsamita vulgò seu menta aquatica, excalfacit atque siccatur tertio ordine, tenuium partium est, & digerentis facultatis, ex redundante pituita vomitiones, singultus, stomachique dissolutiones cohibet, seu sumptum seu admotum, vrinam ciet. Non edendum grauidis nisi mortuo iam conceptu: quippe etiam impositum ipsum extrahit. Succinum calidum primo recessu, siccum secundo, ventriculum & corroborat, nauseam sedat, prauos ventriculi humores absorbet atque eos igni prohibet, ventrisque fluxiones sistit.

Corroborantia & adstringentia frigida, quæ tum reliquias acrium humorum absorbent, tum concoctionem iuuant. Rosa amara, adstringens præcipuè rubra, arefacta stomachum & iecur corroborat, eiusque dissolutioni medetur, vomitiones & lienterias sistit, Cyrtinus mali punici flos, stomachum roborat, fluentem aluum sistit, bibitur commodè sanguinem excreantibus. Balauustum adstringentem quoque vim habet, & eandem quam cyrtinus.

Myrtus tum baccis tum folio citra calorem, ventriculi superuacua & alui illuuiem siccatur atque concoquit, fastidium abigit, præcipuamque corroborandi facultatem adstringendo obtinet. Oliua recens flaua necdum matura, utilis stomacho, ipsum roborat, ad-

stringit, appetentiam mouet, humores acres digerit. Idem præstant oliuæ halmades, quæ muria conditæ seruantur.

Coriandri semen præparatū adstringit, terget, concoctionem adiuuat, ventriculum roborat, eiusque exhalationes in caput ferri prohibet. Rhus frigidum ordine secundo, ficcum tertio, vehementer adstringit, ventriculum eiusque facultates omnes roborat sumptum & admotum, vomitiones, dysenterias, sanguinis eruptiones, aliasque diurnas fluxiones cohibet obsonis inspersum, aut aliter sumptum, inflammationes mitigat, menses quoque sistit. Acacia frigida primo gradu sicca tertio, validè adstringit, stomachi robur virèque omnes fouet, vomitum sistit, menses suppressit. Lycium ficcum ordine secundo, calore temperatis proximum est, adstringit, terget, digerit. Hypocistis eadem quæ acacia, & multò validius præstat, eodem quoque censu cistus existit, aliquanto tamen siccantior & adstringentior.

Calida quibus præcipua vis est ad frigidos crudosque ichores absumentos, & ad concoctionem augendam, hæc ferè sunt. Mastiche calida & sicca ordine secundo, parū adstringit, minimum est acris, stomacho auxiliatur, purgantium actimoniam frāgit, exhalationes reprimat, destillationes arcet & absument, vomitionesque sistit. Crocus stomacho utilis est, ciborumque concoctionē iuuat. Myrobalani omnes vehementer adstringunt, stomachum expurgant & corroborant, vomitiones, dysenterias, & alia alui profuua compescunt, & appetentiam reuocant.

Galanga calida sicca tertio gradu, sapore acerrimo linguam admodum vellicante, concoctionem adiuuat, oris halitum commendat, venerem stimulat. Spica nardi calida excessu primo, sicca secundo, adstringit, subacris & leniter amara, stomachum roborat sumpta & admota, omnesque frigidos affectus concoquit. Agallochum odoratum, gustu adstringens & subamarum, ventriculum frigidum corroborat, concoctionem adiuuat, eius putredinem summouet, & superfluentes humores absorbet, flatusque discutit. Macer calidum ficcum tertio gradu, vi aromatica odorèque suaui præditum, subacre, tenuium partium: hoc peculiare habet vt ventriculum roborat, & concoctionem iuuat. Nux moschata calida sicca secundo gradu, vim habet roborandi ventriculum, & frigidos ipsius affectus sanandi, concoctionem iuuandi & flatu discutendi. Zinziber calidum tertio ordine, humidum primo, odoratū, obstructions aperit, stomachum corroborat & excalfacit, concoctionem promouet, vapores crassos & flatu discutit, crassos humores attenuat, aquosos absument. Caryophyllum ventriculi calorem roburque suscitatur, concoctionem perficit, cardialgiā tollit & nausæam, dolorèque ex cruditate & flatuum copia subortos.

Cinamomum excalfacit, adstringit, roboratque ventriculum & concoctionē iuuat.

Ambarum siccitate ventriculi superfluentes humores absument, odoris suauitate prauam illorum qualitatem omnemque impuritatem ac putredinē emendat, suscitato natiuo calore ac spiritu concoctionum iuuat, cæterasque functiones validiores efficit. In id quoque vsurpatur quæcumque cor natiuumque calorē fouere & roborare tradita sunt.

Ex his porro compositiones extant asseruanturque variæ, syrupus myrtinus, syrupus mentæ, & absinthij & miuæ cydoniorum, electarium myrtinum, electarium diarhodan, & aromaticum rosarum maius, trochisci è spodio, myrobalani emblicæ & cepulæ conditæ, iuglandes nuces conditæ, sorba conditæ, cydonia conditæ, cõserua rosarū & mentæ, cortex citri conditus, & nux moschata conditæ. Quarum imitatione aliæ quoque ex tempore præscribuntur, vt vinum absinthij & iusculū è radice cichorij & absinthij coma, iulepus è succo cydoniorum aut granatorū, & aqua rosarū stillaticia. Conditæ quoque multiplicis vsus. Ad hæc fomentū è rosa, cytino, saluia, menta vtraque, & absinthio, cum portione cyperi, calami aromatici & schœnathi, adiecto sub finem vini quadrante. Ceratum molle ex oleo mastiches, mentæ, absinthij, nucis moschatæ & nardino, aut horum quibusdā cum ceræ momento. His etiam vt vnguenti species euadat, interdum pulueres insperguntur galægæ, maceris, nucis moschatæ, xylaloës, & zinziberis, vt singulæ olei vnciæ singulas puluerū drachmas habeant cū ceræ tãtillo, & ambari aut moschi exiguo. Aut si plusculum puluerū atque ceræ sit, ceratū solidius existet, in quod plerunque solet mastiches triēs quadransve addi, tundique pilo calente: quod etiā pertinere videretur ceratum stomachicum. Sacculus præterea minutim transfusus in scuti formam concinnatur ex aridiorū tritorū puluere, vt qui habet rosarū rubrarū, cytinorū, mentæ, absinthij

absinthij, sampsuchi arefactorum an. ʒ iij. spicæ nardi, galangæ, nucis moschatæ, caryophyllorum an ʒ iij. croci ʒ ʒ.

*Iecori peculiaria medicamenta. Cap. XXIII.*



**V**M iecoris tum substantia tum venæ exiles sæpe infarctu & humorum illuuiæ præpediri soleant, magnaque sit huius visceris dignitas & præstantia, id quidem maximè medicamenta postulat quæ obstructione liberent atque corroborent, nullo vehementi calore. In hæc autem non omnia promiscuè, sed peculiari quadam dote ista conferre comprobantur.

10 Gramen modicè frigidum siccumque, substringens & suaue, tenuis substantiæ, iecoris infarctus soluit roburque tuetur. Intybum omne calidam hepatis intemperiem, atque etiam inflammationem extinguit, sanguinis feruorem sedat, obstructiones iecoris auferit: hinc biliosam eius collectionem expurgat, icterum persanat, iecur proprietate quadam corroborat, nec ventriculum offendit, semè genitale minuit. Cicerbita, hieracium & chondrilla, vt tēperatura affines sunt, sic viribus minimum discrepant: eadem quæ intybum, sed ignauius multò præstant. Lichen quæ hepatica, detergit, mediocriter refrigerat, iecoris obstructiones tollit, icterum & impetigines curat, sanguinis inflammationes compescit. Adiantum omne tenuat, digerit, aperitque iecoris obstructiones & ictericis confert. Quatuor semina frigida maiora & minora refrigerant, incidunt, ac de-

20 tergent, tenuium sunt partium, vt iecoris quoque obstructiones expediant.

Plantago frigida sicca ordine secundo, adstringit, & nihilominus digerit, hepatis obstructiones soluit, putredines & dysenterias coëcet, fluxiones sistit tum folio tum semine.

Oxalis omnèque rumicis genus tum radice tum semine blandè iecoris illuuiem expurgat, obstructiones expedit, ex eaque genitos affectus persanat: & adstrictione leni nec iniucunda ipsam pariter iecoris substantiam firmat & corroborat.

*Calida.* Eupatorium calfacit, incidit, abstergit, peculiariter verò iecoris obstructiones expurgat seruato robore, diuturnis & erraticis febribus apta. Fumaria iecur obstructum aperit, laxiusque firmat, bilem expurgat, sanguinem impurum clarificat, & putredini resistit.

30 Lupulus calidus siccus primo ordine, detergit & aperit, expurgat iecur, & obstructionibus liberat, icterum sanat, mēlésque mouet. Asparagus iecur infarctum liberat tum radice tum semine: regiòque morbo auxiliatur. Idem ac etiam efficacius conferunt apij, petroselini & feniculi radices, quæ si calidior erit affectus, aceto macerandæ sunt.

Absinthium vt ventriculo, ita præcordiis & iecori opitulatur, quòdque in venis biliosum est per vrinas expurgat.

Prassium vt gustu amarum est, ita iecur infarctum liberat, & regium morbum expurgat.

Peucedanum veteres hepatis obstructiones aperit, confertque incipienti scirrhu.

Chamædrys amara, subacris, incidit, terget, viscera præcipuè verò iecur expurgat & obstructionibus liberat. Chamæpytis terget, purgat, obstructum iecur liberat, ictericis

40 auxilio est.

*Corroborantia frigida.* Santala omnia frigida gradu tertio, sicca secundo, calidis naturis conueniunt, propriè verò hepar corroborant & refrigerant, cardiacos iuuat. Ebur frigidum siccum gradu secundo, adstrictionis cuiusdam particeps, qua visceribus robur adiicit. Spodium ebur vstum, refrigerat, adstringit, sitim compescit, ventriculum & hepar roborat. Rosa & lichen iecur roborant. Corallium frigidum siccumque ordine secundo, adstringit, roborat, bilis feruorem compescit, eiúsque impetum seu sursum seu deorsum sedat, iecoris substantiam quouis modo solutam impingit atque coarctat, & sanguinis vndecunque manantis fluorem sistit.

50 *Calida.* Iuncus odoratus seu schœnanthum modicè calfacit adstringitque, mediocriter digerit, ventriculum & hepar corroborat, sanguinem excreatibus auxiliatur. Calamus aromaticus calidus siccus ordine secundo, leniter adstringens, minimum acer, ventriculum & hepar excalfacit roboratque, hydropem sanat & tussim. Eupatorium moderato calore peculiariter hepar corroborat. Vua passa tota substantia iecori familiaris, moderata adstrictione ipsum roborat. Id ipsum præstat pistaciam subamarum, odoratum, atque essentiæ tenuitate iecur obstructum expedit.

Composita medicamenta quæ humorum reliquias è iecore per vrinas expurgat sunt

syropus cichorij, syropus endiuæ, syropus byzantinus, syropus è radicibus minor, syropus è radicibus maior, & oxymeli compositum. Corroborât verò electarium trium fantaloni, & trochisci eupatorij, electariū diacubebe, & trochisci è succino. Refrigerant verò conserua cichorij, surculi lactucæ, endiuæ & portulacæ conditi, cerasia condita, oxycantha condita, & rhibes conditū, aut si quando res ipsa expostulet recentia fient apozemata modò simplicia, modò acida, affusis interdū herbarū succis. Electaria quoque & condita confusis pulueribus atque cōseruis. Fetus præterea siquid emolliendū aut calfaciendum est, & epithema si refrigerandū ex aquis stillatitiis endiuæ, portulacæ, absinthij, plāraginis, & rosarum paribus portionibus & aceti parte octaua, in quibus triū fantalorum, rosarum, lupinorum & trochiscorum è caphura pulueres conuenienti dosi soluti sint. Illitus quoque & vnguenta ex his quæ ipsi quoque vētriculo accōmodauimus.

*Quæ lieni conueniunt. Cap. XXIIII.*



**P**TA lieni medicamēta ea sunt quæ suauitate quadam terrenum illius humorem vel emolliunt, vel quodammodo colliquant, detergunt & attenuant, sine adstrictione cōspicua, vt deinde obstructione soluta facilius excidat in aluum. Horum quædam moderatè frigida sunt & humida, quæ exuperanti bili retorridæ conueniunt, vt viola, buglossum vtrumque, succus malorum fragrātium. Plurima verò moderatè calida sunt & tenuium partium, vt crassam fæculentamque melancholiam attenuent atque dissipent: qualia hæc sunt: Lupus salictarius seu lupulus, lienis obstructiones expedit eumque expurgat. Cassutha peculiariter lienem obstructione liberat, arquatūque nigrum pellit. Scolopendrium seu asplenium & ceterachum, proprietate lienem expurgat absumitque. Raphanus lienem extenuat & obstructione liberat, iecori etiam prodest. Radix apij lienem expurgat, & obstructione liberat, eiusque tumores dissoluit. Cortex thamaricis peculiariter lienem expurgat, obstructionibus liberat absumitque & icterum sanat. Capparis radicis cortice imprimis, dein fructu & cauliculis tum decoctis in oxymelite tum pulueratis spleni scirrhuso eximiè benefacit, atque frequenti vsu lētos crassosque humores exterget & incidit, tandemque per vrinas & per aluum exigit. Agnus calidus siccus tertio gradu, flore & semine insignis, aperit, extenuat, flatum discutit, duritiem & obstructionē lienis dissoluit: sed genitale semen absumit, & libidinem extinguit. Chamædryes lienem validè aded expurgat, vt ipsum absumere credatur. Acori veri radix in vsu est, quæ galāga maior dicitur: calfacit & siccatur tertio ordine, gustu acris est & modicè amara, odore nō iniucūda, tenuium partium, detergit & extenuat: lienes induratos resoluit atque comminuit, duritias & collectiones omnes sanat decocto huius fountibus. Scylla calida sicca ordine tertio, summè incidit & resoluit, duritias lienis collectionesque discutit, & obstructiones validè expedit: quartanam & icterum sanat.

Lapathum digerēte detergentēque facultate præditum, lienem ex aceto sumptum iuuat, ex vino coctum sumptūque regio morbo prodest, lepras impetiginēsque sanat.

Rubiæ semen ex oxymelite potum lienem absumit. Idipsum præstat & peucedanum & raphanus & iris similiter ex aceto aut oxymelite pota. Aristolochia multò validius lienem obstructione liberat, lateris que doloribus auxiliatur, putrescentia sanat, & sordida expurgat. Cancamum vulgè gummi lacca, obesos extenuat, concretūque lienem dissoluit. Horum quædam etiam foris admota, sed maximè quæ deinceps sunt lienem plurimū expediunt.

Ruta tum sumpta tum admota ex aceto cataplasmatice vice lienis obstructiones duritiasque tollit. Nasturtium præsertimque semen eius cum melle illitum lienem extenuat & comminuit.

Struthium duritiem quoque lienis soluit. Vrtica cum cerato imposita concretum conduratūque lienem, colliquat. Sinapi calidum siccūque quarto recessu, lienis tumores omnisque generis dolores ex alto in summa trahit.

Centaurium minus calidum primo ordine siccum tertio, summè amarum & subadstringens validèque abstergens, optimum est ad lienis & iecoris obstructiones soluendas: sed & lienē induratum foris impositum sanat. Asarum calidū siccū tertio ordine, tenuium partium, hepatis & splenis obstructiones reserat, eorumque duritias dissoluit,

icterum

icterum sanat, febribus diuturnis auxilio est: valet foliis sed radice efficacissimum.

Cyclaminus calidus siccus tertio gradu, radix in usu est. Incidit, terget, aperit, digerit, resoluítque. Lienis durities & tumores fotu aut illitu persanat: tū recens tum aridus arquatum sistit, & biliosum sudorem ciet.

Alia ex his aptantur in eos syrupos qui tetrū bilis atræ vaporē demulcent, cuiusmodi sunt syrupus violarum, syrupus buglossi, syrupus è succo malorum benè olentium, & syrupus melissæ & cōfectio alkermes. Alia in eos qui melancholiæ reliquias ex tumen-  
te liene vel dissipant vel absument: quales sunt syrupus scolopendrij & fumarix, syru-  
pus è radicibus, oxymel scylliticum, electarium diacapparix, trochisci è capparibus, &  
10 diallacca, electarium de gemmis, electarium exhilarans, & aliæ complures compositio-  
nes ad cordis affectus relatę. Ex quibus dein in rem presentem iulepi fiunt & apozema-  
ta, electaria quoque & condíta. Fortis præterea fotus ex ruta, vrtica, struthio, nasturrio,  
centaurio minore, in quo aceti quadrans insit. Illitus ex oleo rutaceo, oleo de capparibus,  
oleo amygdalorum amarorum, oleo liliorum lotis aceto scyllitico cum cera: qui-  
bus si sextans adiectus sit puluerum iridis, asari & cyclamini, cum bdellio & ammoniaco  
solutis aceto forti, emplastrum efficiet lienis obstructioni tumorique accommodatum.  
Possunt & aliæ formæ complures pro rei necessitate ex tempore præstitui.

*Renum ac vesicæ medicamenta. Cap. XXV.*

20 **V**AE leniunt & refrigerant, arenulas minimè sinunt in calculū concre-  
re, vrinæ ardorē demulcent, eamq; facilius emittūt. Quę vrinas ciēt tenui-  
tate substantiæ ac siccitate sanguinē attenuant & colliquāt, serūmque se-  
cernunt atque deducunt in renes. In hoc genere nōnulla traduntur mo-  
deratè frigida, vt pepones, melopepones, cucurbitæ, cucumeres, hordeum  
& gramen: sed omnium efficacissima sunt quæ in substantiæ tenuitate calida siccaque  
sunt tertio recessu: vt apiū, petroselinū, feniculum, daucus, phu, fefeli, asarum & smyr-  
nium. Quęcunque vrinas strenuè ciet, eadem quoque renes & vrinæ ductus abster-  
gendo incidendq; expurgāt, & arenulas pariter exturbāt, & calculos ex arenularum  
30 adhæsu leuiter cōcretos dissoluunt atque diripiunt. At verò solidiores verosq; calculos  
quę propriè cōminuere traduntur, attenant inciduntque nullo calore nullaque sicci-  
tate insigni: nimius enim calor concretum calculum magis excoquit & obdurat, obi-  
tētque quęcūque mediis viis obhærescunt superuacanea secū in renes deducit, vnde  
vrina aliàs supprimitur, aliàs tenuis & pellucida præterfluit. Hoc genere sunt limonum  
succus, radix oxalidis, rubi, asparagi, graminis & personatæ, betonica, adiantum, asple-  
num. Nonnulla etiam asperitate sua calculi summam faciem abstergunt & attritu cō-  
minuunt: vt vitrum cōbustum, ouorum testæ, milium solis. Nec desunt quę id proprie-  
tate efficiāt, vt lapis Iudaicus. Vtraque igitur affectis renibus opitulātur: sed hæc præci-  
pue: Amygdala amara & dulcia eorūmq; recens oleum, zzyzpha, myxaria, glycyrrhiza,  
40 gummi amygdalæ amaræ & cerasi, pistacia, strobili, caricæ, & quęcunque leniendis  
pulmonibus cōuenire diximus, eadem renum ac vesicæ scabriciem leniūt, vrinam de-  
mulcent atque effundunt, nec arenulas in calculum coagmentari sinunt. Althæę radi-  
cis ius potum eadem confert, & vrinæ difficultati medetur, renum & vesicæ cruditates  
pellit: eius semen renum calculos etiam confringit. Quatuor semina frigida minora, la-  
ctucæ, portulacæ, intybi, cichorij renum siccitatem, asperitatem ardorēque leniūt. Se-  
men melonum & quatuor semina frigida maiora sicca sunt ad finem primi ordinis, in-  
cidunt, tergent, tenui sunt essentia, præsertim arefacta & cōtrita: hinc vrinas adeo mo-  
uent, vt renibus arenis aut calculo pressis non mediocriter profint. Halicacabi ruben-  
tes fructus tenuandi & abstergendi vi renes validè expurgant & vrinam pellunt. Fraga  
50 quoque chamębati Idæi fructus, renum & vesicę sordes & arenulas eluunt, detritosque  
calculos excludunt, præcipue autem ab his aqua stillaticia.

Plantago vtraq; semine aut folio arefacto, renum obstructiones tollit, idque abster-  
gendi quadam & tenuandi facultate qua præter cæteras pollet.

Adiantū omne vrinas ac menses mouet, renēque validè aded expurgat, vt calculos  
minuere credatur. Helxine subfrigida, abstergit, leuiterque constringit, calculo tamen  
& vrinæ difficultati succurrit. Graminis radix moderatè frigida & sicca, tenuiūque

partium, urinæ difficultatibus medetur & calculosa vesicæ rudimenta comminuit, quod & eius semen præstat. Asparagi radix trita & ex vino pota urinam ciet, renes infarctu liberat, calculos exturbat, nephriticis auxiliatur: neque credi par est longo eius usu vesicâ exulcerari, semen genitale auget, veneremq; stimulat. Ruscus tum radice subamara, tum foliis & baccis ex vino potis urinam ciet, vesicæ calculos deterit, stillicidio urinæ medetur, mensisque mouet & morbum regium sanat. Eryngij radix calore temperata, non modicè sicca, pota colicis medetur, calculos, stillicidia, difficultates urinæ & renum vitia sanat. Chamæmelum potu & infessu calculos urinâsque pellit.

Quæ verò subiiciuntur quòd calidiora acrioraque sint, ad ea ipsa vesicæ renumque vitia efficaciora comprobantur. Cicer omne calidum siccum ordine primo, incidendi abstergendique facultate præditum, obstructions tollit, urinam mouet & renes expurgat, renum & vesicæ calculos exterit: sed nigrum & paruum validissimè, ab hoc deinde rubrum. Terebinthina calfacit, mollit, discutit, terget, expurgat, viscerum omnium maximèque renum obstructions tollit, & angustos meatus aperit, urinam ciet, putredinem cohibet. Pimpinella calida sicca ordine secundo, ex vino pota calculos terit, & stranguriam decocta iuuat. Saxifraga calida & sicca, eadem sed multò efficacius confert.

Crithmum vulgò creta marina calida sicca tertij ordinis initio, dysuriæ & regio morbo opitulatur, renumque calculos confringit.

Lithospermum vulgo milium solis semine ex vino potu calculos comminuit, urinas pellit, stranguriamque discutit. Sisymbrium aquaticum & Sion excalfaciunt, tenuium sunt partium & sapore acri, ea cruda coctâq; potenter urinas mouent, calculosque dissoluere atque excernere traduntur.

Vrtica calida sicca recessu tertio, tenuium partium & acris, tanta absterfione valet vt ventrem subducatur, renes infarctu expediat calculosque terat. Anonis calida ad finem secundi, attenuando regendoque urinas ducit, calculosque confringit, radicis cortex præcipuè utilis, deinde eius cauliculi, qui antequam spinis muniantur sale conditi gratissimi sunt. Petroselinum vulgare, Plinio apium satiuum, Græcis selinum, calidum ordine secundo, siccum tertio, foliis, semine & radice obstructions tollit, urinam ciet, renes & vesicam abstergit, eorumque calculos comminuit: eadè foris tum fotu tum infessu confert. Feniculi radix & comæ renum & vesicæ vitia expurgant, urinam mouent tum sumptæ tum admotæ. Smyrniū quod & libypticum, radice urinæ difficultati medetur: semen etiam renum & vesicæ vitiis confert, cætera præstat quæ apium & petroselinum. Raphanus vterque calidus tertio, siccus secundo, tum radice tum semine renes expurgat, urinam ciet, calculos comminuit & exturbat. Apium saxatile quod petroselinum Macedonicum, calidum siccumque tertio recessu, radice præsertimque semine urinam ducit, renum & vesicæ doloribus potu succurrit. Daucus semine primùm, deinde radice calfacit & exiccat, urinam vehementer pellit vt etiâ calculos excludat. Sefeli massiliense daucum viribus æmuletur. Personata quæ barbana, radice & semine urinas pellit, renes infarctu liberat, arenulas calculosque excutit. Pæoniæ radix acris & subamara, ex vino pota renū & vesicæ dolores lenit, seminis grana sumpta calculorum rudimenta pueris eximunt. Tribulus vterque præsertimq; syluestris, potu semine renes purgat, calculosque medetur. Sparthū genista appellatum, secunda classe calidorum & siccorum, incidendi extenuandique viribus præditum semine præsertim urinas ducit, & tum vesicæ tum renum calculos comminuit.

Iuniperi fructus calidus tertio siccus primo, stomacho utilis est, renes detergit, & urinam pellit: sed caput tenet.

Lauri bacca & folia tum fotu tum infessu vesicæ conferunt affectibus: radicis cortex renes expurgat & calculos rumpit, sed conceptus enecare traditur. Calamus odoratus urinam mouet, renum vitiis & stranguriæ commodè opitulatur. Cyperus radice insignis quæ calida & sicca, citra acrimoniam incidit, calculo vexatis congruit, & urinam mouet.

Cardamomum ex vino sumptum affectis renibus & dysuriæ medetur. Periclymenum quod est inuolucrum maius, & caprifolium officinis, vehementer calidum & siccum, tum fructu tum folio urinam mouet, calculos pellit, & si plusculum bibatur cruorem profundit.

Præcipue ex his comparatę compositiones sunt, syrupus capillorum veneris, syrupus de limonibus, syrupus althęę, syrupus raphani, electarium diaspermaton, & electarium *λιθον περιερον*. At verò in rem præsentem varia ex his apozemata decernuntur, alia quę leniant & laxent, alia quę expurgent deturbentque arenulas aut calculos: quibus interdum oxymeli scylliticũ vtiliter affunditur. Pulveres quoque & electaria & condita his formulis quę supra sunt expositę. Fetus quoque & infessus tum ad compescendos nephriticos dolores tum ad comminuendos calculos, ex radicibus althęę, raphani, petroselini macedonici, feniculi, eryngij & bardanę, cum malua, parietaria, berula, chamæmelo, betonica, nasturtio, pinpinella & origano, lauro & iunipero. Ex quorum dein-  
 10 de magmate, addito polline seminis althęę, lini & fenigręci, seseleos & dauci cum a-xungia cuniculi & anseris cataplasma concinnandum est. Illius præterea ex oleo li-liorum, chamæmelino, laurino, nardino, è scorpionibus & terebinthino. Nonnulla eti-  
 am in clysteres induntur, qui eductis primũ fecibus summè sint profuturi.

*Uteri medicamenta. Cap. XXVI.*

**V**AE VTERO conferre traduntur, alia immodicũ eius fluore sistunt, alia sup-  
 20 pressum mouent, alia humorũ colluuiem eluunt expurgantque vterũ, alia  
 corroborant. Quę mensium fluore sistunt ferè frigida sunt omnia, genita-  
 le semen extinguunt, sedantque veneris impetus & vteri strangulatus cõ-  
 pescunt: nec frigidis aliter iuuatur vterus. Nymphęa quę præsertim candidã  
 radicẽ habet, muliebri profluuiio medetur veneris insomnia cohibet, & semen genita-  
 le extinguit. Cytinus & balauustum refrigerant siccantq; gradu secundo, adstringendi  
 vim habent, menses aliãsq; vuluę fluxiones cohibent. Rhois semen obsoniis inspersum  
 pro sale, & decoctũ potui datum mēstruas mulierum purgationes & alba earũ proflu-  
 uia retardat. Idem ramusculorũ rubi decoctum præstat multoque efficacius eius folio-  
 rum & caulicorum succus expressus & sole siccatus. Cornu cervi vstum & lotum, &  
 ebur in tenuissimã scobem redactũ fœminis fluxione vuluę laborãtis magnoperè pro-  
 sunt è conuenienti liquore hausta. Portulaca mulierũ purgationes sistit, veneris que im-  
 30 perus & insomnia sedat. Plantago refrigerat densatque, hinc sanguinis eruptiones o-  
 mnes cohibet, atque vtalui profluuia ita & vuluę fluxiones compescit, & aduersus vte-  
 ri strangulationes ex lana subiicitur.

Semperuiũ vtrunque refrigerat gradu tertio & moderatè siccatur, muliebres fluxio-  
 nes sistit & veneris ludibria strangulatũque retundit.

Quęcunque autem menses mouent, calida ferè sunt recessu tertio, nec tamen vehe-  
 40 menter siccant, eiusmodi sunt amara & acria, quorum tanta vis est, vt in distãtissima sal-  
 uis viribus penetrare possint, & venarũ ora reserare, crassa extenuare & lenta deterge-  
 re: atque etiam cum mēstris pleraque peculiari dote alias quoq; vteri sordes & illuui-  
 es expurgare. Nec pauca ex his cõceptus secundãsq; pellunt, aut etiã fœtus enecant. Cha-  
 mæmelum calidum siccũque primo recessu, tenuium partium, anodyna digerendũ-  
 que facultate præditũ, potu & infusione menses & fœtus euocat, vteri duritias & flatus  
 dissoluit. Betonica vterum expurgat, & nihilominus corroborat & conceptum retinet:  
 vtilis prægnantibus, quibus alba sordidãque illuui-  
 es ex vtero manat. Laurus calfacit &  
 emollit eiũque decoctum in muliebres infessus additur, & vuluę sordes vel prægnanti-  
 turò eluit. Parthenium decoctum ad vuluę duritiem & strangulatum infessu prod est.  
 Lilium radice, foliis & floribus vtile, assum & ex rosatio tusum subditũque vuluã e-  
 mollit, & blãdè expurgat. Trifolium odoratum calidum siccũq; ordine tertio semen  
 & folia ex aqua pota vuluę strangulatu succurrunt. Peonię radix eiũque grana nigra  
 vuluę strangulatu & vteri doloribus ex vino pota medentur. Quę validius menses ciēt  
 50 aut vterum expurgat, minimè tuta sunt prægnãti, quòd pleraque solutis acerbulis cõ-  
 ceptum eiiciant, quędam etiã seu sumpta seu admota interimant. Sampsuchus menses  
 ducit tum sumptus tum in pello subditus. Ocimum sumptum in acerariis vterũ expur-  
 gat, veneremque stimulat. Origanum attenuans aperiensque menses euocat. Melisso-  
 phyllum secunda classe calidorũ, prima siccorum, ad menses educendos tum potu tum  
 infessu vtile & ad concipiendum iuuat.

Prassium mulieribus quę non purgãtur, menstrua & à partu secũdas pellit, difficilè

parturientibus salutare. Scordium menses ducit, & fotu potuue partum accelerat.

Baccharis odorata, radice subdita partū educit. Artemisiæ species duæ calidæ secūdo siccæ primo tenuiū partium, sumptæ aut in vteri fomenta vel infessus accommodatæ, menses ducunt, secundas foetusque extrahunt, vteri præclusioni conferunt: earum quoque succus cū myrrha subactus & admotus, elicit quæcunque concluduntur in vtero. Pulegium calfacit siccatq; ordine tertio, potū extenuando menses, secundas foetusque pellit, tumores, duritias & vteri cōuersiones infessu tollit. Cyperi radix refrigeratæ & præclusæ vuluæ fotu auxiliatur, mensis que euocat. Phu valeriana dicta, calida siccatque ordine secundo, menses fotu ducit & vrinas. Rubiæ maioris radix semēque menses, secundas, foetusque subditum trahit, sumptūque pellit.

Polium montanū cui teucricio nomen est, menses & a partu secundas, mortuūque foetum sumptum eiicit. Sefeli tum semine tum radice vteri strangulatu medetur: menses & foetum vtero excludit. Dauci semen efficax ad eō promouēdis mensibus vt etiam secundas foetusque pellat, & strangulatus sumptum sedet.

Ruta incidit & digerit, mēstrua ducit, flatulentos vteri tumores discutit ex oleo cocta & infusa, & vuluæ strāgulatu liberat: cum melle trita & obscenis partibus inducta veneris appetentiā & semen extinguit. Calaminthe calida siccatq; tertio recessu, acris & modicē amara, vehementer incidit & abstergit, menses validē ad eō ciet, vt & conceptum seu pota seu admota interimat & eiiciat. Sabina tertio est gradu calidorum & siccorum, acris & validē digerens, menses siquid aliud prouocat, foetum etiam viuētem enecat & mortuum eiicit. Diſtamni radix tum pota tum vel suffitu vel pello excepta mortuos iam foetus educit, & solo gustu partus accelerat. Aristolochia vtraque menses secundas, & foetus cum myrrha & pipere pota pellit: subdita eadem præstat, & vteri sordes expurgat. Gentianę radix sumpta extenuat, abstergit, purgat & obstructione liberat, nec modō sumpta, sed & subiecta menses, foetus & secundas excludit. Iridis radix fotu mollit aperitque locos, & muliebria trahit, & glandis modo cum melle apposita foetus euocat. Aſari radix subdita menses conceptūque trahit. Smyrnum radice, herba aut semine sumptum, aut etiam feruefactum subditūque menses secundasque pellit, & abortum facit. Myrrha calida siccatque ordine secundo, tenuis & validē detergens, vuluam emollit, & præclusam aperit, mēses & partus celeriter extrahit, præfertim que stacte appellatur. Styrax & bdelliū myrrhæ vires imitantur. Castorium cum pulegio potum menses, partus & secundas eiicit. Sagapenum ex hydromelite sumptum, menses, potenter, ciet sed foetum exanimat. Galbanum nō sumptum modō, sed admotum mēses partūque euocat. Oppopanax vteri tumores duritiāsque appositum soluit, menses trahit, sed foetum enecat.

Eorum que corroborando vtero designantur, alia eum ipsum firmant conceptūque continent, alia moderato calore fouent, & manantem illuuiem exorbent, amara quadamtenus & odorata vt simul aperiant & calorem suscitent, odorisque suauitate vterum oblectent. Prioris generis sunt.

Bistorta officinis appellata, frigida siccatque moderatē & adstringēs, mēstrua sistit, vterum corroborat, conceptūque retinet ac fouet tum admota radice tum sumpta cum nuce moschata & caryophyllis.

Corallium tum sumptū tum subditum menses cohibet, vterū conceptūque corroborat. Costus impurum vterum expurgat tum fotu tum suffitu, & ad cōcipiendum iuuat. Betonica eadem vt supra dixi confert, foetūque recreat.

Caryophyllum tum sumptum ex vino odorato tum subditum, vteri strāgulatum lenit, & vterum foetūque recreat. Nux moschata & macer eadē quoque vires obtinent.

Nardus seu spica nardi impura vuluæ profluvia saniēmque subdita absorbet, conceptūque suffitu adiuuat. Styrax suffitu quoque vterum expurgat, exiccat & corroborat, vteri strangulatum compescit, & ad concipiendum præparat.

Succinum suffitu potūque vterū siccat, prauos humores in eo gigni prohibet, corroborat, & ad concipiendum iuuat. Melanthium suffitu menses ob crassitiem lentoremque suppressos educit, vterū excalfacit, exiccat & corroborat. Calamus odoratus tum potu tum appositu aut suffitu menses euocat, vterum siccat & recreat. Benioin liquor creditur cytenacus, calidus summē tenuis & halitu digerens vteri fluxiones suffitu vel pello exorbet, ipsumque vt & partes omnes neruosas corroborat. Moschus tum

sumptus,

sumptus tum pefso subditus, vteri strangulatum tollit, venerem proritat, vterum odore recreat, ficut & corroborat, concipiendique spem auget. Ambar quoque præfocationem arcet atque sistit, & tum sumptum tum subditum omnia quæ molchus validè confert.

Compositiones verò ad vteri refrigerationem & ad immodicos menses cohibendos hæ extant: Syrupus è portulacæ, syrupus è succo oxalidis, syrupus myrtinus, aqua plantaginis aut portulacæ diluti: trochisci spodij, trochisci terræ lemnix, trochisci succi cini: oleum rosarum, nymphæ & myrtinum, vnguentum Comitit.

Ex tēpore autem decerneretur iulep rosarū, & ex aquis stillaticis myrti, plantaginis & oxalidis, adiecto, succo vel oxyacanthæ vel cydoniorum. Pulueres quoque & electaria aut cōdita ex corallio, lapide hēmarite, margaritis, cornu ceruice vsto & succino, addito saccharo rosato aut cōserua rosarum, aut alia quauis adstringēte. Emplastrū quoque quod habet boli armenę lotę in aceto ꝑ iij. terræ lemnix similiter lotę ꝑ ij. sanguinis draconis, mastiches an. ꝑ j. nucum cupressi, gallarum, rosarum, balaustiorum tritorum an. ꝑ s. cerę & vnguenti comitit an. quantum satis est ad corporāda in emplastri formā. Vel farinæ fabarum dilutę mucilagine gummi Arabici vel tragacanthę quantum satis est ad excipiēda & vincienda & cogēda omnia in emplastri consistentiā: quod lumbis & pubi inducetur. Ex eadem quoque materia pessī subdentur vel iniectiōnes. Ad mouendos porrò menses & ad expurgandum vterum extant syrupus capillorum veneris, syrupus hyssopi, syrupus artemisiæ, electarium diacalaminthes tum simplex tum compositum, trochisci è myrrha qui etiam secundas pellunt, & pilullæ sagapeni, quibus etiam vis inest mortuum fœtum excludendi. Harum exemplo aliæ quoque formulæ re vrgente præscribentur tum sumendæ tum admouendæ: vt fœtus huiusmodi. ℞. Chamæmeli, sampsuchi, ocimi, pulegij, origani, prassij, calaminthæ, artemisiæ, melissophylli, parthenij, abrotani, absinthij an. m. ij. coquantur in aqua quæ satis sit ad fœtum vel infellum, vel iniectiōnem. Eadem aptari poterunt in pessos, quos etiam vtiliter ex radice diſtamni, aristolochiæ, gentianæ, ex myrrha, styrace & aloë, terebinthina exceptis concinnare liceat.

Ad vterum verò corroborādum & ad iuuandam concoctiōnem extant electariū de gemmis, electarium aromaticum, electarium diasatyriō, satyrium conditum & eryngium conditum. Suffitus quoque decerneretur qui habeat melāthij seminis ꝑ s. styracis calaminthæ, succini, schœnanthi, calami odorati, spicæ nardi an. ꝑ iij. rosarum rubrarum ꝑ ij. fiat puluis ad suffitum. Aut pessus. ℞. Liquoris cyrenaici, iridis rosarum rubrarum an. ꝑ s. zibeti, ambaris an. gr. iij. molchi gr. ij. fiat puluis qui syndone exceptus in balanos aut pessos aptetur.

*Quæ arthritidi & externis quibusdam affectibus medicamenta conferunt. Cap. XXVII.*

**X**TERNI affectus qui vnam quāpiam particulam siue cum vlcere siue citra vlcus incidūt, peculiaria habent libro proximo tradēda remedia. Qui verò in plures partes inuadunt, vt arthriti, paralyſis, tremor, artuum dolores & qui ex vniuerſa fluxione orti fuerint, huc commodè referri possunt. Per hos igitur affectus cū iam satis purgatum corpus & fluxio cohibita fuerit, si humorum reliquæ sumendis digerendæ dissipandæque videbūtur, in id apta erunt simplicia quæ ad cerebri affectus suprā attulimus: quandoquidem neruorum eadem atque cerebri est ratio. Propriè verò & peculiariter ad artuum dolores hæc commendātur: Helenij radix & iridis, chamępytis, verbascula duo, calaminthe, acori radix, centaurium minus, hermodactylus, in apozemata aliāve compositiones aptanda: de quibus mox sigillatim dicā. Cæterum præcipua ad horum malorum curationē topicorum vis est, quorum alia statim initio ardorem si quis inest extinguunt & fluxiones arcent, nec tamen humores in partem inflāmatam altius impingūt: alia dolorem qui citra inflammationem fuerit cōpescunt: alia dolore sedato impactum humorem attenuant, digerūt dissipantque ne tempore obdurescēs concreſcat in tophū. Quum igitur chiragræ aut podagræ initio dolor ardorque articulos obsidet, hæc ex vsu erunt: Aquæ stillaticię rosarum, plantaginis & solani, quibus aceti sextans aut quadrās affundatur. id enim fœtu calido inflammationes sedat reprimūtque fluxiones, & collectas quodammodo

discuti t, arthriticis & podagricis accommodum. In eius lb j. si caphuræ ʒj. aut ʒj. b. soluat, cæteros articulorum cruciatus qui etiam altè demersi sunt compefcit.

Pfill ij semen maceratum mucilaginem edit, ad omnes inflàmationes sed propriè ad articulorum calidos dolores in primis salutarem. Cotonei mali & althææ semina mucilagines quoque reddunt non minus efficaces, si præsertim ex aqua solani aut plantaginis elicita fuerint. Hyoscyami folia recentia aut per se aut cū polenta calidas acrésque fluxiones sistunt, omnesque dolores mitigant, & medicamentis in id compositis commodè miscentur. Cicutæ folia atque semen arefactusque succus omnem dolorem sedant qui præsertim ex inflàmatione ortus fuerit. Eadem quoq; vis semperiuo vtrique & mandragoræ: quibus si dolor intolerabilis non facile finiri potest, opij momentum addetur, quod sensus torpore inducto in calidis præsertim affectibus dolores omnes sedat atque consopit.

*Anodyna quæ dolores quacūque ex causa ortos demulcent.* Lac vaccinū acres fluxiones partiumque omnium inflàmationes fotu mitigat: quod & polentæ forma permittis anodynis eidentius præstat. Stercus vaccinum cū præsertim depascuntur herbas impositum, emollit & resoluit, ardores dolorésque mitigat, vesparum ictus sanat & addito acetum tumores digerit. OEsypus calfacit & emollit, paulumque digerit, dolores quacūque ex causa compefcit: quod & lana succida eo imbuta præstat. Thus calidum ordine secundo ficcum primo, anodynum quoque est, & ex oui cãdido subactum impositumque omnem dolorem lenit.

*Dolorum autem humorumq; reliquias hæc imposita digerit & euocat.* Verbascula duo quæ paralysis & arthriticæ herbæ vocantur, calida & sicca, manifestè adstringunt atque digerunt, foliaque tusa vtiliter imponuntur articulorum doloribus & paralyfi.

Chamæpitys quæ iua arthritica, citra insignè calorem aut acrimoniam latètes in alto & in flaccidis partibus humores imposita absorbet & exiccat, partesque firmando corroborat. Calamintha triplex, affecto articulo inducta totū excalfacit, humoremque ex alto euocat, ischiadicis familiaris. Nasturtij quemadmodum & vrticæ semen adurentis particeps est facultatis, & idcirco fixos peruicacesque coxëdicis dolores euellit. Helenij radix frigidus diurnosque partium affectus sanat, & coxendicum dolores, & articulos humore nimio luxatos. Cætaurij minoris decocti ius clystere sæpe infusum ischiadicis mirificum auxilium præstat, humorem enim elicit dolorémque leuat. Succus verò epotus, aut etiam herba ipsa ex hydromelite decocta, peculiariter neruorum vitiis succurrit: & cum oleo partibus contusis emplastri modo imposita præsentissimo est auxilio. Hermodactylus pituitam crassam ex articulis trahit & expurgat, podagræ & arthritidi confert tum sumptus tum ad motus in cataplasmate. Oppopanax ischiadicis inductum & podagricis opitulatur. Bdellium calfacit, emollit, discutitque duritias, & neruorum nodos.

Ammoniacū calfacit & inter emollientia principatum obtinet, articulorū thophos dissoluit, & induratos lienes sanat, arthricos & podagricos iuuat. Sagapenum calidū tenuiumque partium, paralyticis & conuulsis confert, articulorum nodulos dissoluit. Galbanum mollit ac digerit, eadem quæ sagapenum confert. Castorium tenuium partium & calidum, neruis accommodatum, cõrumaces & scirrhosos eorū affectus sanat, potum illitumve prodest tremori, conuulsioni & omnibus neruorū vitiis. Euphorbium omnium calidissimum, causticæ & vrëtis facultatis, tenuium partium: crassos & lentos humores quocunque sint loco incidendo digerit: aurium sonitum & dolorem tollit, coxendicos & paralyticos iuuat.

Non pauca ab his cõpositiones deducuntur, aliæ leniter refrigerantes, aliæ anodynæ, aliæ dissipantes & exiccantes, quæ quoniam externæ sunt, in proximum librum aptè referuntur: ex tẽpore verò hæc facile apparari possunt. Forus per oxycratum cõpararum ex aquis stillaticis vel succis solani, plantaginis & rosarum, vel etiam hyoscyami si dolor vehemèter excruciet: in quibus quadrans aut sextās insit aceti. Aut si dolor altè sit demersus vt in humeri, cubiti, aut coxendicis articulo, caphuræ etiã nõnihil insit, in singulis quippe libris binæ drachmæ. Ad hæc mucilago seminis cydoniorum ex aqua solani inducta, aut è semine psyllij, aut vtraq; simul hoc ferè modo, ℞. Aquæ stillaticæ plantaginis & solani an. ʒiij. in quibus macerari finito super cineres calidos seminis cydoniorum & psyllij an. ʒb. extrahatur mucilago quæ tepida inducatur locis dolentibus, obducaturque

ducaturque stupa canabina, aut linteo oxycrato tepido imbuto. Herbe quoque ex oxycrato in cataplasma coquuntur sine oleo, sine adipe. Nihil enim pingue inflammatis partibus imponendum: quanquam hac in re non parum confert vnguentum populeum in aceto lotum. Ardore sedato quum doloris immanitas repressa fuerit, cataplasma anodynum ex medulla panis in pultis formam fiet hoc modo: ℞. medullæ panis lb. j. sensim ex lacte coquatur dum crassescat, asperso pulvere qui habeat florū chamæmeli & meliloti an. ℥ j. rosarum rubrarum, saluiaz an. ℥ ss. croci ℥ ij. nonnunquam & oleum inditur chamæmeli vel liliorum. In id quoque illitus conveniet, qui habeat mucilaginis seminis althææ, lini & fenigræci depromptæ ex aqua chamæmeli ℥ j ss. olei liliorum, chamæmeli & violarum an. ℥ ss. axungiaz anseris ℥ vj. croci ℥ ij. ceræ quod satis est ad illitum.

Doloris demum impactam materiam antequam obdurescat digerunt, emplastrum è mucilagibus, è meliloto, & oxycroceum: sed validè quod habet gummi pini, picis nigrae an. ℥ ij. ceræ, axungiaz an. ℥ j. thuris, hermodactylorum, radice iridis, sulphuris non extincti an. ℥ ss. olei irini quantum satis fuerit ad concorporandum in emplastri formam. Locis compactioribus præsertim coxendici ex cæteris gummis validiora inducuntur, synapismus quoque & alia proximo libro tradenda.

METHODI MEDENDI LIBRI QVINTI FINIS:

20  
Methodi medendi liber vj.

DE EXTERNORVM MEDICAMENTORVM MATERIA.

P R A E F A T I O.

30 **S**VMMAS externorum medicamentorum facultates tot omnino statuendas esse, quot & summa externorum affectuum genera, medendi lex methodusque demonstrat: ipsamque eorum materiam in quam nunc incumbo in quasdam facultatum classes digerendam, quæ affectibus ex aduerso contrariæ sunt. Harum quidem aliæ calidis affectibus fluxionibusque succurrunt, quales sunt refrigerans, repellens, emplastica seu infarciens, anodyna, narcotica. Aliæ tumoribus affectibusque frigidis, ut rarefaciens, emolliens, attenuans, absumens vel exiccans, attrahens atque resoluens. Aliæ abscessibus & vlceribus, ut suppuratoria vis, narcotica, agglutinans, detergens seu expurgans. Aliæ contra, soluendæ cuti & aperierendæ conueniunt, ut vesicans, cathæretica, septica, escharotica & caustica. De his 40 igitur de quæ earum contrariis sigillatim tradendum, & quas vnaquæque facultas alias de se particulatim vires proferat:

*Refrigerantia medicamenta. Cap. I.*

50 **E**ORVM quæ refrigerant ut varij ordines, ita & effectus quoque varij sunt, alia simplices inflammationes demulcent, alia erysipelata, alia herpes, carbunculos & ignem sacrum: quæ hac ita seria subiunximus à lenioribus exorsi. Leniora ea sunt quæ ad interiorum quoque æstum tuto sumuntur, ut lactuca tum satiuæ tum syluestris, portulaca, intybi genera quatuor, helixine, hieracium: calidas enim phlegmonas & lenia erysipelata compescunt: sed hæc potentius.

Lenticula palustris frigida & humida ordine secundo, collectionibus calidis, podagris & igni sacro commodè illinitur cum polæta. Umbilicus veneris humidus ac frigidus, obscure adstringentem & leuiter amaram obtinet facultatem, qua phlegmonas erysipelatosas, & erysipelata phlegmonosa per sanat, & omnibus partibus excalfactis in cataplasma commodissimè aptatur. Psyllium secundo ordine frigidum, semine in primis efficax, prodest erysipelatis, frõti imponitur in dolore & temporibus ex aceto aut posca,

eius mucilago vtiliter illinitur cuiusque dolori & collectioni inflammationique: si quidem egregie adeo refrigerat, ut si in aquam feruentem coniecta fuerit, ea protinus deferuescat. Hyoscyamus albus tertio ordine refrigerat. succus ex tenero semine, foliis caulibusque expressus, collyriis dolorem lenientibus commodè miscetur, & contra acres calidasque fluxiones: cum farina aut polenta contra oculorum, pedum, aliarumque partium inflammationes. semen eadem tritum potest additum cataplasmatibus dolorem leuantibus. folia ad eadem tum per se tum cum polenta vsurpantur. Papauer fatiuum ordine quarto, frigidum. eius capita trita & cum polenta cataplasmatibus mista inflammationibus & ignibus sacris medetur. Capitis ardores cum rosaceo, oculorum inflammationes cum oui candido & croco mitigat. Nigrum frigidius est albo, cuius succus est vocatum opium, ad omnia longè efficacissimum. Caphura frigida sicca gradu tertio, lachryma Indicæ arboris, tenuium partium, acris & odora: repellit & facile penetrat. phlegmonas & erysipelata refrigerando mirè iuuat. ad gonorrhœam & albas vuluæ fluxiones efficax, cum succino è conuenienti liquore hausta.

Hæc igitur simplices inflammationes quæ præsertim è feruidiore sanguine profectæ sint, ut phlegmonas, erysipelata & artuum dolores per sanant. Quæ verò deinceps erunt, quoniam præterea austeritatem quandam & adstrictionem obtinent, ardentes biliosasque eruptiones extinguunt, herpetas, epinyctidas, carbunculos & ignem sacrum.

Portulaca recessu tertio frigida humidaque secundo, estuētibus auxiliatur, & calfacta omnia egregie refrigerat: quodque austeritatis & adstrictionis cuiusdam sit particeps, fluxiones omnes reprimit, biliosas eruptiones ut herpetes, impetigines, ignemque sacrum retundit. Polygonum portulacæ vires æmulatur, collectionibus feruidis ignibusque sacris auxiliatur. Plantago exiccatur & adstringit, pariterque refrigerat ordine secundo. Hinc eruptiones sanguinis, nomas, carbunculos, herpetas, epinyctidasque cohibet, ambusta & inflammationes demulcet.

Ligustri folia astrictoria vi feruidis inflammationibus & carbunculis illita profunt, & commanducata oris vlcerebus medentur, & eorumdem decocto ambusta vtiliter fuentur. Solanum hortense refrigerat & adstringit ordine secundo, ad inflammata & omnia quæ refrigerari & adstringi postulant, & ad fluxiones acres mirè conducit: ignibus sacris & herpetibus folia cum polenta inducuntur. Somnificum verò multò magis refrigerat, ut penè ad papaueris vires accedat, nec nisi foris illini aut aliter admoueri innoxie possit. Cortex radicis eius vsurpari debet. Semperuiuum vtrumque ordine tertio refrigerat, desiccatur verò & adstringit mediocriter, phlegmonas refrigerat, erysipelata, herpetasque cohibet. Sed & ad nomas, oculorum inflammationes & ambusta, folia per se vel cum polenta illita conferunt. Succus per se eadem præstat fotu, aut cum rosaceo infusus. Corianum refrigerat & leuiter adstringit, erysipelatis & herpetibus medetur, epinyctidas, testium inflammationes carbunculosisque cum melle sanat. Succus eius cum cerusa & aceto ardentes in summa cute inflammationes iuuat. Mādragora tertio ordine refrigerat. Radicis cortex valētissimus est, ab hoc succus è malis aut è caule collectus. Folia recentia oculorum inflammationibus, & iis quas vlcera excitarunt cum polenta inducunt profunt, articularum dolores leniunt. Radix trita ex aceto herpetibus & ignibus sacris medetur. Acetum refrigerat & adstringit, inflammationes arceat impositum, fluxionesque reprimit, sedem vuluamque proci dentem: ad ignem sacrum, lepras, impetigines cum aliquo conuenienti efficax est: phagedænas vlcerebus nomasque fotu cohibet, item vlcera quæ serpunt, panos & pruritus. Omphacium & mali punici, citrij limonumque succus perfecte refrigerat, & bilis acrimoniam impositus validè obtundit. Eo commodissime vtetur contra omnes calidos & biliosos affectus, non quidem puto, ne adstrictione immodica calorem ipsorum cute desata includat, sed succo portulacæ aut semperuiui temperato: ita enim herpetas, impetigines, lepras, phagedænas nomasque sanat.

Compositiones ab iis fiunt, oleum rosarum, oleum violarum, oleum nymphæ, oleum papaueris, hyoscyami & mandragoræ, vnguentum refrigerans & vnguentum populeum. Præter hæc verò te exigente alia præscribuntur his sanè præstantiora. Nam oleo cerato aut vnguento moderata vis inest refrigerandi, neque quum ingens inflammatio erysipelatisve summa corporis exurit, satis ea profunt, nisi & aceti momento perfundatur: omnis quippe adeps omnique oleum mox ut incaluit, quasi incensum partis calorem auget,

rem auget, & summam cutem exulceratam exasperatamve sorde coinquinat. Multo ad refrigerandum præstantior vis inest epithemati, fomento aut cataplasmati. Epithema fit ex aquis stillaticis rosarum, plantaginis, solani, intybi & portulacæ. Valētius comparatur ex recentium herbarum coctarum iure, valentissimum ex earum præsertimque è solani, semperuiui, hyoscyami, papaueris & mandragoræ expressis succis, qui linamentis sint excepti. Quinetiã ea ipsæ ruscæ herbæ imponuntur cataplasmatibus specie. Benefacit & mucilago è seminibus althææ, cydoniorum & psyllij, aqua vel succo quodã accommodato maceratis depropta: vix quippe vlla potest adstrictio in lenta mucilagine haberi. Debent autem in liquoris tepidi libris singulis seminum vnciæ quoque singulæ demergi, dum liquor cõcreuerit. Quum leuior est ardor, mucilagini permisceretur oleum quoddam refrigerans linimenti forma. ℞. ceræ albæ liquefactæ ℥j. in quam dissolue oleorum violarum & papaueris lotorum aqua solani frigida an. ℥j. mucilaginis feminis cydoniorum & psyllij extractæ in aquis vel succis solani & plantaginis ℥ij. fiat illitus. huic addi potest caphuræ ℥ss. Mirè iuuat cataplasma ex refrigerantium succis, & hordei expurgati farina, quæ sine igne agitantur, & ea temperatione permiscerentur dũ polentæ aut puliculæ nanciscantur crassitiem. additur vtiliter caphura: additur quoque sub permissionis finem interdum mucilagine, rarius olea. Quæ igne permista coquuntur, melius quidem coeunt ac firmitus coherent, sed minus refrigerant. Omnia porrò in vehemēti ardore & æstuoso cælo frigida inducentur, atque etiam interdum arte refrigerata: & protinus vt partis feruore acrius incalescunt arēscuntve, commutantur, quod subinde fit, dum represso ardore atque dolore pars liuescere incipiat. consistendum enim tum est, ne pariter extincto insito calore pars gangræna vel sphacelo pereat. Hæc verò atque mitiore inflammatione repida etiã subinde admota iuuat. Ad herpes verò, imperigines, phagedanas aut ignem sacrũ, portulacæ, plantaginis aut semperuiui succis, aceti, omphacij, succi limonum aut granatorum par modus additur in fortu: aut ex his farina orobi & hordei permistis, pulvis specie cataplasma existit.

*Repellentia medicamenta. Cap. II.*

**R**EPELLENS medicamentum quod Græci *ἀπορροιστικόν* dicunt, id appellamus & quod influentem humorem cohibet, & quod eum ipsum aut etiam partem leuiter infixum in aduersum reicit, estque hoc priore vehementius. Vtrumque frigoris vi perficitur, cuius natura est cohibere, comprimere, repellere & retrudere. Sed ad hos effectus validissimum id frigus est, quod in crassa terrenaque substantia consistit, qualis nimirum ea est quæ acerbo, austero, adstringentique sapore deprehenditur. Ea enim partis substantiam premens atque coartans, influentem humorem remeare cogit, huic ex diametro attrahens opponitur, de quo postea sermo habendus. Vitis viniferæ folia capreolique refrigerant & adstringunt, trita & illita capitis dolores, stomachi inflammationes, & aliarum partium ardores fluxionesque sistunt. Rosa refrigerat & adstringit præcipue rubra, sed arefacta magis. Cõtusa & illita præcordiorum inflammationibus & sacris ignibus medetur. Succus oris vlcera, gingiuas, tonsillas & faucium ardoris gargarizatu reprimat & fluxiones cohibet. Arida verò rosa vino aut aqua calente dũ extabuerit macerata, ad capitis, aurium, oculorum, sedis, recti intestini ac vuluæ dolores facit fortu adhibita. In id efficax quoque est rosarum fæx post rhodostagma in alambici fundo residua, similiter macerata & calens locis dolentibus imposita, partim ita mitigata partim repressa doloris causa.

Rubus immaturo fructu & floribus refrigerat, potenter adstringit & desiccatur, mollioribus & recens natis foliis & germinibus leuius. Hæc tamen mansu aphthas & alia oris vlcera sanant, & gingiuas firmant. Flos & fructus immaturus vt hæmorrhoidas manantes, dysenterias, & alia ventris profluvia sistunt, ita herpes cohibent, oculosque proci-dentes confirmant. Myrti vtriusque germina, folia, baccæ & semē refrigerant & adstringunt, sanguinem excreantes sanant, & vesicæ erosiones exiccant, oculorum fluxiones & inflammationes cum polline polentæ leniunt. Semē in desensionibus vtile, sedis vitiis & vuluæ proci-denti aut fluxione laborēti, fluētes quoque capillos cõtinet. Trita folia & ex aqua imposita, partibus omnibus fluxione laborantibus cœliaciisque profunt: & admisto omphacino oleo ad vlcera serpētia, ignē sacrũ, testium inflammatione & ambusta conferunt.

Cupressus folio & nuce seu pilulla modicè refrigerat, sed valdè siccatur & adstringit. Folia hernias intestinorum per se reprimunt, & cū polenta ignibus sacris, vlcerebus que ter-

punt, carbunculis & oculorum inflammationibus illinuntur. At tum folia tum pilullæ ex vino potæ dysenterias aliâque alui profluvia & sanguinis reiectiones sistunt: vulnera glutinant & sanguinem ex iis manantem supprimunt. Quercus; siccat & adstringit: sed validius adstringit quæ in truci cortice mēbrana subest, & quæ sub glandis putamine fructus carnem conuestit, ab his folia. Omnium decoctū datur dysentericis, sanguinem excreantibus, ventrisque diurno profluvio vexatis: & in pessō cōtra mulierum fluxiones. Eodem ad incipientes & crescētes phlegmonas aliâve humorum defluxiones vruntur, nam quæ iam vehementer constiterunt, adstringentibus haud indigent.

Galla omphacitis tertij ordinis in siccando, secundi in refrigerādo, admodum acerbâ & terrea: desiccet & reprimat fluxiones: adhæc constringit comprimique partes laxas ac lāgidas, omnibūque fluxionum affectibus strenuè resistit. Galla altera flaua, laxa & magna, exiceat quidem & ipsa & adstringit, sed tanto imbecillius quanto acerbæ qualitatis minū est particeps. Decoctum earum ad infessus vtile, contra vuluæ & sedis procidentias fluxionēque.

Balaustū syluestris mali punicæ flos, cytinus sariuæ & domesticæ, insigniter adstringunt, siccant & refrigerant, crassæ sunt essentiæ, fluxiones cohibent, hūmida gingiuarū vitia mobilēque dentes decocto colluto emendant: herniam prolapsu intestini erumpentem cataplasmate repellunt. Malicorium asperum mali punici putamen, eadem præstat quæ balaustium.

Acacia ex fructu aut foliis Ægyptiæ spinæ expressa & arefacta in umbra, siccat ordine tertio, refrigerat primo.

Hæc ignem sacrum, vlcera quæ serpunt, mensium exuperantiam & prociduum vuluam cohibet, procidentes oculos & citam aluum reprimat. Lota leuem suam acrimoniam deponit & commodè oculorum medicamētis admiscetur. In eius locum ex fructu immaturo & virgulis prunorum agrestium coctis succum expressum, coactum & in tabellas confectum in solatūque substituimus.

Hypocistis acaciæ vires imitatur, verū aliquanto magis & adstringit. Rhus vulgò sumach, fructus est racemosus, cortice acido, adstringente, repellente. Fracta, contusa, liuidaque illitus ex aqua ab inflāmatione vindicat, fluxiones omnes compefcit: Aqua in qua is maduit decocta cogitur coitque in mucilaginem, omnia quæ semen præstans. Folia etiam eandem vim sortita, gangrænas & pterygia cohibent ex aceto illita: liquamentum mellis consistentiæ fit ex aridis foliis ex aqua decoctis, eadem quæ lycium cōferens. Oxyacantha adstringit & desiccet, & secundo ordine refrigerat: alui profluvium & muliebrem fluxum, omnēque fluxionum affectus cohibet atque sistit. Mespila adstringunt, stomacho grata sunt, aluūque supprimunt.

Sorba minus quàm mespila adstringunt, aluo fluenti in cibo accommodatissima, quod & decoctum eorum potest.

Corna in cibo adstringunt, profluvio alui atque dysenterię salutaria. Cotonea mala parua rotunda & odorata, adstringunt & refrigerant, fluxiones sistunt: decocto eorum sedes & vuluæ procidentes proluuntur. Cruda cataplasmatibus miscentur ad cohibendam aluum, contraque stomachi subuersionem & ardorem mammarūque inflammationes. Hæc quidem sumpta nec minus tamen admota iuant.

Compositiones quæ fluxionem inhihent repelluntve sunt, oleum omphacinum, o-motribes, & ex hoc recenti oleum rosaceum, oleum melinum, oleum myrtinum, oleum mastichinum comparatum: vnguentum diachalciteos, emplastrum Comitibus, emplastrum ad herniam & alia quædam inter emplastica relata.

Quum igitur leuior quædam calidâque fluxio vt phlegmone incipiens fatigabit, reuulsione præmissa & dolore si is acrius vrgeat mitigato, adhibendus fofus oxycrati specie, ex aquis stillaticis rosarum, plantaginis & solatri, addito aceti rosati sextante eave temperatura vt bibi possit. Mox vnctio ex oxyrhodino, quod interdum myrtini olei dimidium habeat. Benefacit & mucilago è semine cydoniorū & psyllij ex aqua rosarum, plātiginis, solani, affusa aceti parte octaua. Efficaci⁹ est cataplasma ex decocto aut succo rosarum, balaustiorum, plantaginis, solani, & semperuiui, & ex polline fabarum permistis omnibus coctisque in polentę aut puliculę speciem. huic si grauior fluxio exposcet, pulueres inspergētur rhois, myrti, rosarum, boli armenæ, aut terræ lemniz. Ad extremum his non satis proficientibus, adstringentis nostri emplastri portio oxyrhodino diluta

no diluta imponetur vnguenti specie. Supra verò sedem affectam locus per quem fluxio decurrit cingetur emplastro adstringente, quod fluxionis vias coangustet. Horum continuandus eousque est vsus dum fluxio consistat, & tumor aut non amplius increcere aut subidere videatur. Ac tñ deinde ad vnguentum diachaleiteos & cetera trāsēdum quibus mistæ insunt vires. Atque ita fluxionum quidem in initio tempestiuus est repellentium vsus, nisi fortè vel pestilens, venenata aliterve maligna materia existat, vel critico modo depulsa, vel emunctoriis excepta allectave sit, vel acerbum & excruciantem dolorem habeat coniunctum, quippe illicientibus tum & paregoricis vtendi locus est, non repellentibus & exasperantibus.

10 *Emplastica medicamenta repellentibus finitima. Cap. III.*

**E**MPLASTICORVM quæ temperatura sit & quæ materia, quæque vires sortita ea sint, supra quidem comprehensum est cum detergentibus illa opposui. Quæ verò simpliciter talia dicuntur, frigida crassa atque terrena, nec vlla qualitate molesta sunt: proinde meatus infarciunt, tenuemque humorem permissione inerasant. Alia quædam insuper siccant & vlcera humores absorbent. Alia etiam leuiter adstringunt & roborant, nec humores difflueri sinunt. Primo hæc genere continentur.

Triticum lentoris quiddam & obstruentis naturæ nactum est. Eius farina cum oui  
20 liquore iuncta fluxiones sistit, ex hyoscyami succo neruorum fluxionibus illinitur, pollen verò eius ex aqua mulsæ aut hydrelæo coctus omnem inflammationem valentius quàm farina simplex compefcit: extrinsecus ad motus cutis spiracula infarcit & humores coercet. Fabarum farina ex liquore quouis frigido admota cataplasmatism specie eadem cõfert. Amylum, farinã triticeã tum frigidius tum siccius, verè ac propriè emplasticum est: contra fluxiones oculorũ & pustulas cauæque vlcera efficax: sanguinis quoque reiectiones potu cohibet. Crudum oui albumẽ emplasticum est, refrigerat, fluxiones arceat, oculorũque inflammationes lenit, vesicæ & renum exulcerationibus prodest. Quæ verò sequuntur emplastica, exiccant pariter & vulnerum aut vlcera quemcũque attigerint humorem, combibunt exorbentque, vt idcirco sistendo sanguini con  
30 ueniant. Mumia humani est cadaueris liquamẽ, thure, myrrha & aloẽ in sepulchro cõditi, calida sicca ordine tertio, leuiter adstringit: peculiariter verò tum sumpta tum admota sanguinem vndecunque prorumpentem sistit. Mastiche leuiter adstringit, siccatque sine morfu, & sanguinis reiectiones cohibet.

Corallium adstringit & moderatè refrigerat, contra sanguinis reiectiones in primis efficax, excrescentia coercet, vlcera caua & oculorum cicatrices abstergit.

Lapis hematites adstringit & refrigerat, tenuissimè tritus ex oui candido oculorum phlegmonas lenit, sanguinis expuitioni & cuius eruptioni conducit, oculorum vlcera per se siccat, & cicatrice includit. Terra omnis in medendi vsu recepta, summè siccat citra omnem morfum, quòd omnis igneæ substantiæ prorsus sit expers, vt quæ pro  
40 priè argilla appellatur. hinc leuiter refrigerat siccatq; & meatus oblinat occluditque, quæ præsertim lota fuerit. Sigillum lemnium strenuè siccat & leuiter adstringit, vique emplastica vndecunque prorumpentem sanguinem tum sumptum tum ad motum cohibet. Bolus seu terra armena validam siccandi vim obtinet, qua putria oris & tabidorum vlcera desiccant, sanguinis expuitiones aliàsque reiectiones, quemadmodum & dysenterias, compefcit.

Sanguis draconis officinis factitius ex hircino sanguine, bolo armena & sorborum aliorũve adstringentium succo, eadem quæ bolus, ac etiam promptius efficit.

Gypsum emplasticum verè est ac siccans, ad sanguinis eruptiones vtile & ad ophthalmias ex oui candido.

50 Vstum ac deinde lotum, quemadmodum & calx elota, emplasticum magis euadit. Omnia quidem excipienda diluendaque sunt aceto, cui etiam vni præcipua vis est vt foru solo erumpentem sanguinem protinus compefcit.

Metallica quæ subiiciam emplastica quoque sunt, & sine morfu siccant, adhæc quoque non leuiter adstringunt. Lithargyrus, chrystitis & argyritis siccat primo recessu, nullo insigni calore aut frigore, modicè adstringit & terget, cum oxelæo cocta emplastica fit & complurium emplastrorũ materia. Vis ei occludere, adstringere & explere caua.

Cerusa refrigerat, siccatur, occludit, repellit & adstringit, emplastica tamen est, candefacit emplastra quibus inditur.

Pompholyx, Arabum tuthia ex aris vel detrita cadmia fauillis tenuissimis, quæ fornacum metallicarum summis caminis adhærent progignitur, refrigerat, adstringit & exiccat, lota omnium propè citra morsum siccantium euadit præstantissima hinc ad vlcera cancrofa ad aliâque maligna, & ad oculorum fluxiones efficacissima. Spodiû verò pompholyge aliquâto crassius & adstringētius, è crassiusculis enim fauillis quæ in fornacum pauimentum decidunt succrescit: plurimas tamē pompholygis vires imitatur.

Cadmia factitia borrytis appellata, & pompholyge & spodio crassior ac magis terrena, siccior & adstringētior. Naturalis verò quæ officinis est lapis calaminaris, sicca minus existit, veruntamen vsta sepius acetoque restincta & in exquisitum lauorem trita, oculorū inflammationes arceat, palpebras inuersas reducit & in emplastris laxos œdematososque tumores siccatur atque dissoluit. Stibium vulgò antimonium, valenter adstringit, refrigerat, meatus obstruit, fluxiones oculorum in collyriis inditum & sanguinem manantem, quod præsertim coctû fuerit sistit, est enim rosionis expertus, & vim habet vsto plumbo persimilem. ambusta igni in pustulas erumpere non patitur cum adipe receti illitum, & maligna vlcera comprimit, nec latius serpere sinit. Plumbum frigidum humidumque existit multò magis quod aceto lotum fuerit, & in pollinem redactum, adstringit & phlegmonas incipientes arceat, oculorū fluxiones reprimit, partiumque omnium ac præcipuè sedis vlcera rebellia & cancos demulcet. Plumbum vstû eadem efficit, sed acrimonia maiore nisi lotum fuerit. At plumbi recrementû quod scoriam appellant, his multò vehementius adstringit. Molybdæna plumbago dicta recrementum in camini fundo repertum, quo vi plumbi argentû aurumve expurgatur, magis refrigerat & adstringit quàm lithargyros, estque substantiæ crassioris: eundè tamen vsum in emplastris obtinet acrimoniæ expertibus, detergentibus minimè idonea. Alumen scissile & candidum adstrictione est vehementissima præditum, ab hoc rotûdum, quod aqua soluitur & igni liquefcit celerius quàm scissile. gingiuas humore turgidas comprimit, dimotos vacillantésque dētes cum aceto firmat: sanguinem profluentem, eruptiones papularum & aurium fluxiones inhibet.

Compositiones ab iis extant vnguenti aut emplastri forma, vnguentum album, vnguentum è cerusa, vnguentum è lithargyro, vnguentum nutritum, vnguentum diachalciteos, vnguentum diapompholygos & vnguentum exiccans rubrum. Ad hæc autem alia in rem præsentem comparatur hæc formula, quæ sanguinis aliorumque humorum fluxû sistit. ℞. Boli armenæ ℥ ij. amyli ℥ j. sanguinis draconis, mastiches, myrrhæ, olibanî an. ℥ β. symphyti, rosarum rubrarum an. ℥ ij. Bolus & sanguis draconis diluuntur aceto, cætera teruntur, omniâque oui candido & oleo rosato vel myrtino excipiuntur in cataplasma. his interdum vehementiora accedunt adstringentia, vt trochisci è terra lemnia & alumen vstum. Plæraque etiam intrò summuntur ad immodicos sudores, ad dysenteriam, ad cruentam excreationem, quæ fiunt ex mucilagine gummi Arabici & tragacanthæ deprompta ex aqua plantaginis & rosarum, asperso amylo aut tritici vel orizæ polline. Conuenit & puluis qui habeat, boli armenæ ℥ j. terræ lemnia ℥ β. lapidis hæmatitæ, corallij rubri an. ℥ j. sacchari rosati ℥ j. β. vel conieruæ rosarum & symphyti an. ℥ j. Idem quoque puluis exceptus mucilagine tragacanthæ in hypoglottidas fingitur aduersus hæmaptoicos.

*Anodyna medicamenta. Cap. IIII.*

**D**OLORIS causa admodum multiplex est, & quicquid eam contrarietate tollit, dolorem verè sedat, at nequaquam anodynum id appellamus, sed quod persistente causa dolorem lenit & mitigat, quanquam propriè pægoricum dici debet. Id autem vel temperatum existit corporique nostro confimile, vel ordine primo calidum tenuisque substantiæ, quod nimirum doloris causam æquabilem reddit, temperat, demulcet, corporisque substantiam fouet. Eius sunt generis quæ tum pus mouent tum emolliunt, præcipuè verò hæc:

Althæa ordine primo calida & modicè humida, laxat, digerit, phlegmonem demulcet, mitigat & concoquit.

Radix in aqua malsa decocta & cū adipe anserino aut suillo subacta ad vteri inflammationes

mationes & præclusiones utilis. Decoctum radice ex aceto collutione dētium mitigat dolorem: radice mucilago ad omnia utiliter accommodatur.

Malua humida & glutinosa, leniter digerit & emollit, moderato & tepido calore prædita. Eius decoctū vulvas in fessione mollit, erosionibus intestinorū, vulvæ & sedis prodest clystere infusum, aut fotu admotū. Sacris ignibus & ambustis decocta ex oleo folia imponuntur, nervis prosunt & vesicæ: potum decoctæ ius facilem partum reddit crebriore vsu. illita inflammationes lenit & indurata emollit. Id illi peculiare est ut imposita icētibus vesparum & apum dolores levet.

Lilium radice & foliis desiccatur, abstergit & digerit. Radix assa aut cum rosaceo trita ambustis medetur, vteros emollit, mensesque prouocat, & in vino cocta clauos pedum tollit, si triduo non soluitur. Succus è flore expressus ad omnia efficacior. Chamæmelum temperato est calore, extenuat, digerit, rarefacit & laxat, dolores mitigat, & ad lassitudines mirè confert. Tensa remittit & laxat, quæque mediocriter dura sunt emollit & condensata rarefacit, eius decocto vesicæ vitia utiliter fouentur. Melilotus omnes sed præcipuè oculorum inflammationes mollit, deinde etiam vteri, sedis & testium in passo decocta & illita, addita aliquando fenigræci farina, aut lini semine, aut polline molario.

Lini semen primo ordine calidum, omnem intus forisque inflammationem compescit & emollit cum melle, oleo & exigua aqua decoctum. Cum lixiuo parotidas duritiæque discutit, herpes & fanos purgat in vino decoctum. Ad vulvæ inflammationes in defessioneibus utile.

Fenumgræcū secundo ordine calidum, siccum primo, digerit, eius farina molliendi & discutiendi facultate prædita: inflammationes exiguas sed duras digerendo curat. Seminis decoctum in fessu ad vteri inflammationes præclusionesque utile, & exulceratis locis cōmodè infunditur. Farina cum anserino adipe pelli vice apponitur, loca quæ iuxta vterum sunt emolliens & relaxans.

Lac alienæ omnis qualitatis expers medicamentū leniens est, ad acres & mordaces fluxiones præcipuè oculorum cōmodissimum, non eas modò sero abluens, sed etiam pinguedine corpora illiniens, ad quæ omnia lac mulieris bene habitæ recens, utilissimum & humano corpori est familiarissimum. Lac omne cōcoquit & relaxat, sed maximè bubulum, phlegmones oculorum cum rosaceo & ouo cōcoquit: infunditur & vtero exulcerato, ad sedis & pudendorum vlcera, & ad omnia quæ leniri postulāt apprimè conducit. Hinc cancrōsis vlcibus aliis medicamentis anodynis permistum applicatur. Collutum oris phlegmonas mitigat, tonsillas & columellam phlegmone liberat, venena erosionem interimentia nocere prohibet.

Butyrū facultatis est remollientis, concoquentis, paululum etiā digerentis. Exiguas & quæ in teneris & mollibus sunt corporibus phlegmonas id solūm perfanat, vt parotides, bubones & oris inflammationes. Gingiuus puerorum assiduè illitum, exitum dentibus accelerat: cataplasmatibus inditur quæ extrinsecus imponuntur parotidibus, hypochondriis, bubonibusque idque initio ex aqua rosacea lotū, & modico intinctum croco. Oleum quod ex maturis oliuis exprimitur, salis expers, ætate mediū, moderatè calidum est, lenit, omniumque maximè humectat & emollit, lassitudinis optimum remedium ob idque Græcis acopum appellatum: corpus ad obeunda munera promptius alacriusque reddit. Oleum amygdalarum dulcium ad hæc omnia quàm simplex oleum præstantius & efficacius tum admotum tum sumptū. OElypus calfacit ac emollit, paulumque digerit omnium partium doloribus tum per se tum ex aceto & rosaceo efficaciter imponitur. Succida lana easdem vires habet: percussis & cōtusis peculiariter succurrit. Adeps omnis qui tenuitate substantiæ sit præditus, dolorem lenit atque demulcet, humorum acrimoniam obtundit & aliquantum digerit: eiusmodi est qui à feris & agrestibus animalibus sumitur: at qui à domesticis quæ cōclusa degunt in vrbibus, tum crassior est tum humidior. Adeps suillus insigniter humectat, emollit & relaxat, at nõ admodum excalfacit, quòd calore obtineat nostro calori finitimum: vicinam oleo vim nactus nisi quòd aliquantò magis tum emollit tum cōcoquit. Quamobrem cataplasmatibus quæ ad phlegmonas exiguas & aliquantum duras accommodari solent miscetur, in teneris præsertim corporibus. Adeps vitulinus suillo aliquantò calidior & siccior, eumque proximè viribus imitatur. Adeps gallinaceus suillo vehementius emollit & relaxat, simulque

humorum acrimoniam obtundit. Adeps anserinus tum suillo tum etiã gallinaceo calidior est & partium tenuiorum, magis que obtundit quæ in alto corpore demersa fuerint. Adeps humanus vt omnium medius, ita & mediocriter ad omnia vsurpatur. Medulla indurata & scirrhosa corpora emollit. Optima omnium ceruina, dein vitulina, ex vtraque pelli componuntur ad emolliendos vteros: miscentur commodè omnibus medicamentis emolliendi vi præditis. Et hæc anodyna simplicia. Quæ autem causam vel summouendo vel compescendo leniunt dolorem, quòd curandi lege id efficiant, ex iis petenda & depromenda sunt, quæ ad vnumquemque curandum affectum proferentur.

Eliciuntur extantque ab iis oleum chamæmelinum, oleum liliorum, oleum leucoij lutei, oleum sesaminum, oleum amygdalarum dulcium, oleum anethinum, oleum irinum, oleum ex vitellis ouorum. Itaque cum dolor vehementer fatigat, is promptè ne vires prosternat leniendus est fotu ex iure althææ, maluæ, violæ, liliorum, chamæmeli, meliloti, anethi, semine lini & fenigræci, ex aqua & lacte percoctis, deinde cataplasmate ex libra vna medullæ panis similaginei ex lacte aut sapa coctæ, adiectis ouorum vitellis tribus, rosacei sescuncia & croci drachma vna. Huic etiam interdum permiscetur mucilagines seminis althææ, lini & fenigræci, cum florum chamæmeli & meliloti tritorum an.  $\frac{3}{4}$  lb. Summè conferunt memoratæ mucilagines depromptæ ex aqua chamæmeli, additis oleis aut adipibus occommodatis & ceræ momentò illitus forma, vt qui ℞. mucilaginis seminis althææ & lini tractæ ex aqua rosarum  $\frac{3}{4}$  j. olei liliorum & amygdalarum dulcium, cæsyphi, axungie anseris recentis an.  $\frac{3}{4}$  lb. ceræ  $\frac{5}{8}$  j. Hęc vera est & simplex anodynorum ratio, quorum tamen vis eorum permistione augetur & increscit, quæ doloris causam tollunt. Sic enim ad artuum atque neruorum dolores ex frigida materia ortos, veteres acopa & myracopa ex his concinnarunt. ℞. samspuchi, rorimarini, rutæ, pulegij, origani, centaurij minoris, marrubij an. libram dimidiam, radicem iridis florentinæ, cucumeris agrestis & aristolochiæ rotundæ, baccarum lauri & myrti contusarum an.  $\frac{3}{4}$  ij. florum iunci odorati  $\frac{3}{4}$  j. Tunsis omnibus affundantur vini & olei an. lb. vj. macerenturque horis xxiiij. postridie coquantur dum vinum fuerit absumptum. In expresso humore eliquantur terebinthinæ, bdellij, ammoniaci, resinæ & ceræ an.  $\frac{3}{4}$  ij. caryophyllorum, nucis moschatæ, cinamomi an.  $\frac{3}{4}$  lb. compositio in pyxidem reponatur ad vsus. Sic etiam plethorico aut cacochymo corpore quum acerbus dolor ex fluxione vrget, qui mitigari euestigiò postulet, quòd sola lenientia partes laborantes relaxant & enervant euocantque fluxionem, vnde magis distenduntur atque dolent, ipsis propterea conuenienti modò adstringentia permiscuntur, nimia siquidem astrictio conduplicat dolorem, & relaxatio partes dolentes effæminat. Modus itaque erit vt fluxio leniter reprimatur, infimisque partibus robur, & excrucianti dolori lenimentum adferatur.

*Narcotica. Cap. V.*

**D**OLOREM idcirco narcotica leniunt, quòd inducto stupore partis sensum obtundant torpidiorémque reddant, vt doloris vrgentem causam ea minime percipiat. Omnia quidem vehementer frigida existunt, sed quæ tamen non hac sed peculiari facultate sensum adimant. Etenim semperuiuum maius licet alterco frigidius, minime tamen partem vllam admodum stupefacit. Hyoscyamus seu altercum cui semen & flos candidus est, ad externos affectus vsurpatur. Folia recentia tum per se tum cum polenta mista ad oculorum, pedum aliarumque partium inflammationes, ad omnes denique mitigandos dolores vtiliter illinuntur. Succus quoque ex virente herba contusa, aut etiam ex semine expressus ad acres calidasque oculorum fluxiones, dolores aurium, & vuluæ vitia benefacit. Semen confert podagris, testibus inflàmatis, mammisque à partu lacte turgētibus si tritum cum vino inducitur. Miscetur vtiliter & aliis cataplasmatibus dolorè leuantibus.

Cicuta summa refrigerandi vi pollet, folia dolorem omnem & epiphoras sedat. Succus exprimitur è foliis floribusque aut etiam è semine viridi, qui in sole densatus in pastillos ad inflammationes, erysipelata & herpetas medicamentis leuandi doloris gratia permiscetur. Mandragora tertio est ordine refrigerantium. Succus è cortice recentis radicis cõtuse, aut ex pomis expressus & sole concretus, miscetur medicamentis oculatibus, &

ribus, & omnibus quæ dolores finiunt. Folia quoque recentia oculorum inflammationibus omnibusque ab ulcere ortis cum polenta auxiliantur. Radix trita ex aceto ignibus sacris medetur: articulorum dolores cum polenta sedat.

Torpedo tanta stupefaciendi insita vi insignis est ut per sibi infixum tridentem piscatorum manus protinus stupefaciat: eumque uniuersum qui manibus eam prehenderit, aut nudis pedibus calcauerit. Oleum narcoticum id redditur in quo uina torpedo extincta fuerit. Papauer album quod & satium, fotum folij tum capitis ex aqua decocti somnum accersit, sed potu magis uigilias discutit. Capita trita & per se & cum polenta ignibus sacris & inflammationibus profunt: oculorum uero inflammationibus cum <sup>10</sup> tosto oui luteo & croco: igni sacro & vulneribus cum aceto, podagris cum lacte mulieris & croco. Papauer nigrum frigidius est magisque narcoticum. Meconium papauere aliquanto magis refrigerat & torpescit, sed usu tamen periculosius est. Opium tum ipsa papauere tum meconio multo ad refrigerandum & stupefaciendum potentius, desperatis duntaxat leuioribus auxiliis ad mouendum in ardore summo & intolerabili cruciatu cum exquisito sensu. Nam sensus obstupescit, tenues & acres fluxiones coercet: sed nisi moderatum & correctum fuerit, periculi plenum existit. deuoratum enim mortiferum est: oculis ad motum caliginem & rugas inducit, surdastraque reddit aures, & partes omnes ad motum sensumque torpidiores factas, excrementis tandem opprimit.

<sup>20</sup> In narcoticis compositionibus precipue sunt, philonium romanum, & pilullæ de cynoglossa, oleum hyoscyami, papaueris & mandragoræ, in quibus & opij nonnihil interdum diluitur. Narcotica leuiora externis medicamentis tuto permisceri possunt quæ uigilias & deliria sedant, & iis quæ ardores atque erysipelata extinguunt, ex hisque ortos cruciatu sedant. Opium uero non nisi quum dolor acerbior vires dissoluit syncopeque metum incurrit, nec alia remedia iuuant medicamentis permiscendum. Quumque id rei necessitas exigit, corrigitur castorio, myrrha & croco: possuntque trochisci mitigatorij hac ratione teneri. Gummi Arabici & tragacanthæ, amyli an. ʒ. β. cerusæ lotæ aqua rosarum ʒ. vj. styracis, myrrhæ, castorij, opij sapa soluti singulorum ʒ. iij. croci ʒ. β. Trita omnia excipiantur mucilagine psyllij ex aqua rosacea, finganturque trochisci. hi in usus varios <sup>30</sup> aptari possunt, atque externis prædiis misceri quæ adhibentur leniendis partium doloribus. Hæ quidem facultates simplicium medicamentorum sunt quæ calidis affectibus eorumque symptomatis medentur. Quæ autem frigidis & ex frigido concretisque humore in partem quamlibet impacto genitis opitulentur, proximè tradendum.

*Emolliens, relaxans, & rarefaciens medicamentum. Cap. VI.*

<sup>40</sup> **D**URUM id corpus dici solet quod pressum carni nostræ minimè cedit. Est autem id triplex, unum quod vehementer siccum est atque terrenum, siue natura tale euasit ut lapis, siue ab externis causis ut exercitatione valida, Solis feruore, æstuario, ardenti febre, aut inedia. Alterum quod plenum distentumque est largioris humoris affluxu ut plenus uenter, aut hydrofici venter: idque propriè nobis tensum ac renitens, Græcis ἀντίρτυον appellatur. Tertium quod frigoris vi concreuit, siue id extrinsecus incidat, ut in glacie, siue ex propria partis intemperie ut adæps, siue ex influentis humoris natura, ut crassa pituita in scirrhus proprio calore destituta sponte obdurens atque concrevens. Postremum hoc uerè ac propriè durum est medicis: cætera in alias referunt differentias, ut siccitate durum in siccum, plenitudine durum in tensum ac renitens.

Emolliens igitur medicamentum id propriè fuerit, non quod copia distentum ac renitens vacuat, aut siccum humectat, sed quod concreta excalfacit, soluit atque colliquat. Est <sup>50</sup> autem mediocris id materia, & moderatè nec supra secundum ordinem calidum, ne tenuiorem humoris portionem dissoluens, reliquam obduret. Est id quoque humore ætius confertum, ut oleum maturum, & adæps temperati animalis, omni acrimonia omni que externo sapore & qualitate uehementi destitutus pingui & oleagineo eoque subdulci sapore id deprehenditur. Si tensum totidè modis atque durum dicitur, trifariam quoque relaxans dicitur, & quod humectat, & quod calore emollit, & quod in tumore collectam materiam euacuat, siue sanguis ea sit, siue pituita, siue serosus humor, siue flatus. Sed hoc

Succi  
tate.  
Reple  
tione.  
Cōcre  
tione.

Dur  
um.

propriè relaxans appelletur, quemadmodum Græcis χαλαστικόν, & emolliens μαλακτικόν. Quod verò rarefaciens appellamus & Græci ἀραιωτικόν, solidam compactamque materiam soluit & diffundit, eiusque partes inuicem longius disiungit vt exiguos poros ampliores reddat.

Eiusmodi diaphoreticū quoque est quòd cutē corporis solutiore efficiat, vt per eius spiracula vapores commodè diffili possint. Substātia huic tenuis est vt alrè satis penetreret, eaq; moderatè calida ne adustione aut siccitate immodica meatus coarctet. Quod huic contrarium est condensans seu πυκνωτικόν partis substantiam solidiorem cōpactioremq; reddit, & cutis poros contrahit, vt eorum partes minori interuallo coeāt. Id moderatè est frigidū, sed tamen crassum est, acerbum vel austerum. Ita que quæ simpliciter humectant vt viola, helxine, acanthus, malua, althæa, oleum simplex, omnium quidem mitissimè emolliunt. Quæ verò his paulò calidiora sunt & tenuia, emolliunt, laxant atque rarefaciunt vt chamæmelū, liliū, ficus aridæ, butyrum recēs, adeps suillus recens. Quæ verò hoc genere calidiora atque tenuiora sunt ad secundum tertiumve ordinē, scirrhos emolliunt, digerunt, dissipantque, vt hæc: Lini semen omnem duritiem emollit & leuiter discutit ex oleo & aqua coctum: vuluæ tumores & duritias in seffu perfanat, vteri & intestinorū exesiones demulcet & lenit. Ficus aridæ præsertimq; pinguioribus coctæ & illitæ tumores duros, strumas, nodosque omnes, parotidas ac furunculos emolliunt. Decoctum earum eiusdem naturæ est: nam cum farina triticea ad tumores maxillarum, pauos, parotidasque illinitur. Fenigræci semen molliendi & discutiendi quoque facultatē habet. eius farina cum anserino adipe vterum emollit & relaxat, & in hydromelite decocta, addita axungia genitalibus induratis medetur. Vitis albæ seu bryoniæ radix calfacit siccātque moderatè, inflāmationes & duritias emollit & discutit, abscessus rumpit, lienes induratos liquefacit & absomit foris cum ficibus imposita. pforam etiā ac lepram sanat, lentigines, varos, sugillata & cicatrices nigras cū fenegreco emendat. Cucumeris agreftis radix calida sicca, emollit, digerit & abstergit. Illita ex polenta omne vetus œdema discutit. imposita cum terebinthina resina tubercula rumpit. decocta ex aceto & illita podagras aliósque articulorum dolores discutit. arida trita, alphas, lepras & impetiginē abstergit, & in facie maculas aut cicatrices nigras expurgat, ad quæ omnia præstantius est elaterium. Iridis radix calida ordine secundo sicca tertio, strumas veteresque duritias cocta & illita mollit, idē & succus ex ea expressus cōfert, qui malagmatis & acopis vtiliter imponitur, lienes ex aceto imposita extenuat: decoctum radicis ad muliebria fomenta apprimè vtile, molliens aperiensque locos. Ebulus exiccandi & modicè digerendi facultate pollet. radix vuluas cocta emollit & aperit, & quæ circa eas sunt affectiones in seffione corrigit, inueteratos tumores concretosque soluit. podagricis cū raurino adipe auxiliatur. Folia recentia ac tenera cum polenta illita inflāmationes mitigant. OElypus omnium pinguium mitissimè mollit, laxat, digeritque. Adeps suillus inueteratus & salis expertus, potentiùs quàm recens emollit: vetustate enim substātiæ tenuitatem, calorem & acrimoniam quandā nanciscitur, qua recens languidus & imbecillus indiget. Cæteri autem calidiores: vt adeps gallinaceus, anserinus, anatinus, vitulinus, bubulus, recentes magis, vetustate acriores iam facti, minus emolliunt: digerunt verò potentiùs & siccant. Qui verò è siccioribus sunt animalibus, vt arietinus, hircinus, ceruinus, abūdè siccant nec emolliunt. Medullæ omnes vt dolores compescunt, ita etiam molliunt, calefaciunt, rarefaciuntque. Colliguntur estatis exitu, ex ossibus humidiores, è spina verò sicciore. Laudatissima omnium ceruina, quæ viscera, chordas, tendonésque emollit: hanc proximè sequitur vitulina, eadem, sed aliquanto segniùs præstans.

Ladanum calfaciēdi molliendique vi præditum, venarū ora patefacit, in pessis vuluæ duritiem sanat: in medicamenta quæ dolorem finiunt, vt quæ duritias omnes emolliunt vtiliter inseritur. Gummi è pino recens, articulorum maximèque coxendicum lenit dolores, præduros tumores emollit atq; concoquit: quod autē vetustius est calfacit magis ac digerit. Terebinthina resina, ab hac dein lentiscina, & aliæ omnes acrimonie expertes, emolliunt, concoquunt, leuiterque discutunt.

Ammoniacum calfacit, mollit, extrahit: ex aceto cōmodè liquatur igne leni ne vratur, aut ex aceto tunditur in mortario: tubercula duritiásque mollit ac discutit, articulorum coxedicūmq; doloribus auxilio est cum nitro & oleo subactum impositūque:

& ex aceto solo iecotis lienisque duritias soluit: nodos qui in artubus occaluerunt cum melle aut cum pice illitum discutit. Bdelliū molle & pingue, calfacit & emollit; coquit, modicèque digerit: duritias omnes & bronchocelas discutit, cum ieiuna saliuā subactum: vuluæ spiracula appositū & suffitu laxat: malagmatis inseritur quæ contra duritias & neruorum nodos profunt: contusum soluitur affuso vino aut aqua calente. Styra liquidus calfacit, emollit & cōcoquit: vuluæ præclusæ duritiæ laboranti cōuenit, menses educit appositū. miscetur vtiliter emollientibus & discutiētibus malagmatis.

Ammoniācū bdellium & styrax, aliāque generis eiusdem, vbi iam vetustate exaruerint, discutunt potius quā emolliunt. Attamen in recentiu & molliorum penuria arida ista pingui oleo soluta vsurpātur. Galbanum excalfacit, mollit, coquit & discutit. furunculos sanat, vteri euerisiones atq; duritias, articulorum nodos, concretāq; omnia aceto liquatum soluit. Opopanax calidus ordine tertio, siccus secundo, emollit ac modicè digerit, galbano aliquanto valentior & calidior.

Compositiones hinc fiunt, oleum liliorum, oleum violaceum, oleū chamæmelinum, oleum lumbricorū, oleum lini, oleum irinum: vnguentum de althæa, vnguentum resumptiuum, emplastrū diachylon magnum, emplastrū emucilaginis. Cū autem referentur in vsu, vt sedādi doloris ira scirrhos concretosq; humores emolliendi initiū ab humido fotu ducetur. Id autem comparatur ex radice lilij & althæe, ex malua, viola, adiectis quibusdam attenuantibus, anetho, origano, calamintha, serpyllo, pulegio, thymo, quæ omnia ex aqua simplici vel hydrelæo cocta adhibentur in forum. Mox à fotu quum tepesactus humor adhuc incalescit, ac modicè solutus est cutisq; spiracula patent, illitus adhibendus ex vnguento althæe vel resumptiuo. Vel ex hoc extemporali. ℞. mucilaginis seminis althæe, lini, & fenigræci depromptæ ex decocto ficuum ℥ j. olei liliorum, anethi & irini, adipis anseris & anatis an. ℥ ss. ceræ pinguis quantū satis est ad illitus consistentiam. Hæc igitur quod calore liquata & frictione adacta altè subeant possintque in affectā sedem & in noxium humorem penetrare, strenuè quidem emolliunt atque iuant. Proximas his vires obtinet cataplasma huiusmodi. ℞. radicū althæe, liliorum, ebuli & iridis an. ℥ ij. maluæ, violæ, chamæmeli, meliloti, anethi an. m. ij. caricas pingues incisas viij. coquantur dum contabescant, terantur & cribro cernantur, postea adde radicū bryoniæ & cucumeris agrestis crudarum & derafarum an. ℥ ij. pollinis seminis lini & fenigræci an. ℥ j. adipis gallinæ, anseris & anatis an. ℥ iij. Rursum modicè coquātur in cataplasma. Emplastro quod crassior eius substantia nequeat, per cutem altè subire, non tanta emolliendi vis inesse potest. Hoc tamen extemporale vires summas obtinet. ℞. mucilaginis althæe, seminis lini & fenigræci depromptæ ex decocto ficuum ℔ ss. axungie anseris, gallinæ & vituli, medullæ cerui & vituli an. ℥ ij. ceræ citrinæ ℥ iij. coquantur in duplici vase ad emplastri crassitiem, inspergendo sub finem radicis iridis florentinæ, styracis calamintæ an. ℥ ss. Validius emplastrum est diachylon, quo rursum efficacius est emplastrum emucilaginis, ex quorum permissione & temperatione varia, alia non pauca decerni solent.

40

*Attenuantia medicamenta. Cap. VII.*



**A**T TENUANTIVM vt ad interiores affectus, ita & ad externos eosque contumaces non paruus est vsus. Ea quidē rarefacta cute dum altius intrò subeunt, non modò frigidum, crassum concretūque humorem calore liquant, sed & partium tenuitate eum ipsum incidunt & extenuāt ad eò vt exin vel spōte sua in halitum & vaporem abeat, vel saltem trahentium vi facile dissipetur. Quæ subiiciā quod ea facultate plurimū valeant, affectus sanè varios calore & attenuatione tollunt, non quod attrahant digerantve, sed quod his extenuatus humor sponte sua plerunque euolet.

50

Anethum ex oleo decoctū crudos & incoctos humores concoquit & incidit, hinc varios sedat dolores, ex cruditate obortos flatus discutit, tormina cōpescit. Mulieribus vteri præfocatione correptis decoctū in sessu perutile. Corpus immodico labore defatigatū leuat, somnūque conciliat. Pulegium, crassa lentāque incidit, extenuat & concoquit: cum polēta ischiadicis & aliis partibus frigore affectis inductū confert: neruorum conuulsiones & opisthionum sedat: decoctum pruriginis, inflationes, vteri du-

ritias & subuersiones in seffione tollit: lienosis cum sale vtiliter adhibetur. Satureia, partium omnium crassos lentosque humores extenuat & coquoquit, lethargicos calfacta excitat, cum triticea farina ischiadicis opitulatur.

Origanum, extenuandi facultate oedemata aliosque; laxos tumores fotu illitue discutit: pruriginis, scabies, regionumque morbum eius decoctum balneo expurgat. Succus eius cum lacte aurium tinnitus dolorisque finit. Thymus valide incidit & recentia oedemata seu fotu seu illitu ex aceto discutit, sanguinis grumos dissoluit: thymos pensilesque verrucas tollit: coxedicibus cum vino & polenta impositus medetur. Sampsuchus tenuium partium digerentisque est facultatis: arida folia ex melle subacta sugillata eximunt: aceto excepta luxata firmant & oedemata dissolunt: acopis & malagmatis cal-  
10 faciendi resoluendique gratia permiscuntur. Rosmarinus abstergentis incidentisque facultatis particeps, ex vino tenui coctus admotusque oedemata dissipat, neruorum dolores sedat: sed & suffitu destillationes tussimque copescit. Hypericum calfacit tenuisque substantia incidit & crassa comminuit: lassos fotu illitue recreat, contusis attritisque neruis eximie succurrit.

Abinthium peculiariter ilibus, precordiis, iccori & stomacho dolenti cum cerato tritum imponitur: epinyctidas ex aqua, & anguinis cum melle & nitro sanat. Cetaurium minus veteres duritias emollit & extenuando resoluit, siccatur & valide nulla acrimonia adeo deterget, ut sinus fistulasque persanet. Elenium lentos crassosque humores extenuat: radix & folia ex vino cocta & admota partes frigidis & diurnis obsecas af-  
20 fectionibus excalfaciunt atque persanant, quemadmodum & ischiadas & exiguas articulorum pre humoris copia luxationes. Dauci radix preterimque semen excalfacere multumque discutere foris impositum deprehenditur, & oedemata soluere. herba his inferior & hebetior existit. Ruta strenue incidere ac digerere lentos crassosque potest humores: quin & partium tenuitate status dissipat, ad veteres stomachi dolores & cruditates, ad tusses & laterum thoracisque affectus cum spirandi difficultate, ad coxendicum articulorumque cruciatus fotu & illitu benefacit: testium collectionibus inflationibusque cum lauri foliis, & exanthematis cum myrto in cerato prodest: succus instillatus aurium doloribus ac tinnitui succurrit. syluestris ad omnia prestantior. Cuminum semine efficax, calfacit ordine tertio, siccatur & non nihil adstringit, tormina inflatione-  
30 que discutit, coctum & illitum ex oleo & hordei farina. testium collectionibus impositum cum vua passa aut lolij farina ceratove opitulatur. Laurus calfacit, mollit & incidit, decoctum foliorum eius vulvae & vesicæ vitiis apprimere conuenit fotu vel in seffu. folia cum polenta & pane inducta flatulentum omnem tumorem discutunt. baccæ foliis calidiores omnibus thoracis rheumatismis prosunt. In medicamenta commode adiciuntur quæ neruorum lassitudines reficiunt, & in vnguenta quæ calfaciunt & discutunt.

Adipes & medullæ ex calidis ferocibusque animalibus quod calidiores tenuioresque sint, partemque facile imbuant, attenuandi facultate insignes sunt, cum preterim vetustate aciores euaserint: ut adeps vulpinus, caninus, vrsinus & leoninus: & quæ ab his animalibus eruuntur medullæ. Olea quoque vetustate & annis extenuata purgataque, attenuandi vim maiorem nanciscuntur.

Iam existorum temperatione constant, oleum anethimum, oleum rutaceum, oleum amygdalarum amararum, oleum è scorpionibus, oleum è capparibus, oleum nardinum tum simplex tum compositum, oleum hypericinum, oleum laurinum, oleum vulpinum, oleum terebinthinæ: deinde vnguentum Agrippæ & vnguentum quod Arogon dixerunt.

Itaque ut frigidi, crassi lentique humores qui quavis corporis particula vel in scirrhum vel circum neruos, membranas aut articulos effusi coierunt, facile tandem euelli, attrahi dissiparique possint, molliendi in primis, deinde vero extenuandi sunt, idque vel vtra-  
50 que seorsum facultate, vel ambabus pariter confusis. Quæ id efficiant medicamenta, fotus vel epithematis vel embrochæ vel vnguenti forma coaptentur, ut altius possint in corpus & in concretam materiam penetrare. Solidior enim, qualis est emplastri forma, non æquè facile potest. Itaque pars affecta hoc decocto primum fouenda, quod non perinde ac emolliens necesse est è recentibus herbis costitui, quandoquidem arefactæ efficaciores vel hyeme ad extenuandum deprehenduntur. ℞. radicem enulæ, iridis & ebuli, baccarum

baccarum iuniperi an.  $\mathfrak{z}$  ij. origani, calaminthæ, pulegij, thymi, anethi, sampſuchi, rorif-  
 marini, centaurij minoris, foliorum lauri an. m. j. feminis aniſi, feniculi, cumini & rutæ  
 an.  $\mathfrak{z}$   $\beta$ . modicè coquantur ex aqua ſufficienti, aſuſo ſub finem vini albi quadrante, pars  
 calidè foueatur per ſpongiam, vt potentiùs humorem colliquet & attenuet. Si malum  
 iam veruſtate occaluit, his initio vel præmitti vel permifceri debent emollientia. Mox  
 à fotu calente adhuc & patente cute embrocha fiat ex attenuante quouis oleo per lan-  
 nam ſuccidam: aut pars vnguento agrippæ vel arogo duriter affricetur ad ignem. Aut  
 ſi multorum deſideratur permifſio, emplaſtrum è mucilaginibus, aut diachylon ſolu-  
 tur duplo triplòve olei irini vel rutacei. Epithema hoc validius humorem quemuis fri-  
 10 gidum attenuat & liquefacit, in parte præcipuè neruoſa quàm cæteris præmiſſis dige-  
 rendi atque diſſipandi tempus iam inſtat.  $\mathcal{R}$ . aquæ vitæ  $\mathfrak{lb}$ . j. in qua tepida macera thy-  
 mi, calaminthæ, pulegij, origani aridorum an.  $\mathfrak{z}$   $\beta$ . radicis pyrethri, zinziberis, nucis  
 moſchatæ, ſpicæ, caryophyllorum an.  $\mathfrak{z}$  iij. aqua exprimatur in vſus. Deterſus dein locus  
 rigandus imbuendùſque eſt oleo terebinthinæ vel hoc ſtillaticio.  $\mathcal{R}$ . radicis iridis & he-  
 lenij, baccarum iuniperi an.  $\mathfrak{z}$  ij. hyperici, rorifmarini, ſampſuchi, thymi, ſatureiæ, abſin-  
 thij, centaurij minoris an.  $\mathfrak{z}$  iij. dauci feminis rutæ & cumini, baccarum lauri an.  $\mathfrak{z}$  ij. nu-  
 cis moſchatæ, caryophyllorum, zinziberis an.  $\mathfrak{z}$  j.  $\beta$ . croci  $\mathfrak{z}$  j. ſtyracis, caſtorij an.  $\mathfrak{z}$   $\beta$ . Tritis  
 omnibus affunde aquæ vitæ  $\mathfrak{lb}$ . j. deinde cùm abſorpta fuerit, terebinthinæ & olei an.  $\mathfrak{lb}$   
 20 j. confuſa omnia excipiantur ſtillante vaporario, primùmque eliciatur aqua deinde o-  
 leum, vtrumque ſeorùm recondatur. Ne pars ab vnctione nuda maneat, emplaſtro te-  
 gi poterit conſtante paribus portionibus vnguenti Arogi & emplaſtri è mucilaginibus  
 vel ex facie ſtillaticij olei cum cera ſubaſta.

*Absorbentia medicamenta. Cap. VIII.*

**M**OLLITVS, attenuatus & alia quauis ratione apparatus iam humor, tum  
 demum vel abſorbendus, vel atrahendus forſque per patefactam cutim  
 euocandus eſt, dum tumor omnis ſubſideat, & affectus ſymptomata mite-  
 ſcant. Abſorbent quidè validè exiccantia, quibus tanta attenuandi ſiccand-  
 30 dique vis ineſt, vt quemcunq; attigerint humorem præter naturam citra  
 diſſolutionè abſumant. Hæc liquida forma aptari par eſt, ſi altius ſubire conuenit. Con-  
 ferunt autem œdematōſis, aquoſis, flatulentisq; tumoribus nonnūquam & ſcirrhoſis  
 & præduris, ſed inclinātibus, & quibus exquisita emollièdo attenuadōque præparatio  
 eſt adhibita. Acetum tenui ſubſtantia apprimè digerit & vehementer ſiccatur, fotu cali-  
 do œdemata, ſugillata, podagricōſq; dolores tollit, & vlcera quæ ſerpūt: feruentis va-  
 por aquam intereunt abſumit, & aurium tinnitus. Sal humores ſuperuacuos tenuat  
 & abſorbet, & quicquid in corporibus præter naturam humidū eſt, id totum abſumit,  
 reliquam ſolidiorem ſubſtantiam cogit, contrahit, & impenſè exiccatur & à putredine  
 vindicat, gingiuas humidiores aut putreſcentes perſanat: ex oleo illitus œdemata &  
 40 hydropticorum tumores minuit, luxatos & podagricos iuuat: pruritus, lichenas, lepras,  
 pſorāſque & vlcera ſerpentia fotu compeſcit.

Muria & aqua marina ſalis effectus exhibent: iſchiadicis, podagricis & œdemate ve-  
 xatis fotu conueniunt. Nitrum ſalis vires æquat, niſi quòd parciùs contrahit: miſcetur  
 emplaſtris quæ extenuant, ſiccant & abſumunt, & quæ lepras abſtergunt.

Cinis omnis vſtione igneas partes conquirit: ficulneus validè extenuat & abſumit,  
 acrimoniæ vrentisq; facultatis plurimum ſortitus. Huic proximùs eſt ſarmenticius &  
 qui ex ilice aut braſſica ſumitur. Omnes cum axungia vel oleo illiti œdemata diſcu-  
 tiunt, articulorum doloribus, neruorum nodis & contuſionibus mirè profunt.

Lixiuum pro cineris qui eluitur naturā vires habet. Omne quidem vehementer ab-  
 ſtergit, exiccatur & abſumit, flatulētōſq; œdematōſq; tumores diſcutit, & eadem quæ  
 50 cinis fotu præſtat: ſed omnium maximè quod ex cinere ficus & tithymalorum fit, aded  
 vt ad ſubſtantia tenuitatem nullo ſenſu doloris exurat. Alumè validè adſtringit, ſiccatur  
 & abſumit, excreſcentem carnem, putreſcentia vlcera, gingiuas humore prægnantes,  
 oris vlcera, oculorū epiphoras, aurium fluxiones, pruritus atque lepras ſiccatur ac coercet.

Calx cineris ſpecies ſed tenuioris ſubſtantia quàm qui è lignis fit, vehementer aded  
 vrit vt cruſtas ſuſcitet. Elota verò citra morſum potenter exiccatur, validiùſq; abſumit ac  
 digerit ſi marina aqua lauetur. Lixiuū quod eius lotionem vim & acrimoniā cōquiſuit,

omnium summè exiccat & absorbet.

Composita in id vsurpantur oleum castorij, oleum euphorbij, oleum philosophorum & petroleum. Si igitur mollis laxusque tumor doloris ac ruboris expers in parte quam ut in genu aut in scroto collectus est, aut latè diffusus, ut in tibijs & pedibus eorū qui cachexia, hydropè aut inclinante podagra laborant: pituitosus serofusque humor aut etiam flatus conclusus primū absorbendus est forū è lixiuio cineris sarmentorum vitis, aut ilicis, aut ficus, aut brassicæ, perspongiam nouam quæ aliquandiu sinenda artiusque vinciēda est. Nonnunquam origanum, calamintha, thymus & alia quædam ex incidentium & attrahentium genere vtiliter incoquantur in lixiuio. Si vehementior desideratur exiccatio, lixiuium vsurpetur ab extincta elotāque calce. Sublata spongia 10 siccatāque cute, embrocha fiat ex oleo castorei, euphorbij, aut è lateribus: aut ex alio quod habeat salis marini vel nitri ꝑ.β. aluminis, sulphuris an. ꝑ. ij. soluantur aqua vitæ ad sordium crassitiem: deinde adde olei nucum vel rutæ vel terebinthinæ ꝑ. iij. agitentur & modicè calefiant dū permista omnia vnguenti temperaturā habeant. At verò quum scirrhusus tumor est, isque iam quadamtenus emollitus, quicquid in eo præparatum est humoris, exiccandum non modò præscripto forū, sed & aceti acerrimi & aquæ vitæ vapore. In hæc duo permista lapis molaris candens immergitur, tumorque scirrhusus ita exponitur, ut calentem vaporem vndique excipiat. Mox deinde oleo vel vnguento siccante perfunditur, duriusque premitur & quasi subigitur. Hac absorpta portione quod reliquum est rursus emollitione præparandū, rursusque siccandū: atque sic alternāda 20 remedia dum humore omni absorpto tumor totus subsideat. Vtrique demum tumori tum scirrhuso tum œdematoso continuò ab vnctioe emplastrum aliquod digerēs, attrahens atque resoluens, ex iis quæ mox dicentur inducendum. Aut hoc etiam emplastrum vehementer siccans imponēdum quod è vomica saniem per cutis spiracula manifestè exugit. ꝑ. olei veteris ꝑ. vij. ceræ albæ ꝑ. v. liquefactis adde terebinthinæ ꝑ. iij. permistis refrigeratisque insperge salis petrae, nitri, cineris ficulnei an ꝑ. j. fiant magdaliæ

*Attrahentia. Cap. IX.*

**A**TTRAHENS medicamentum Græcis ἐλκτικόν & ἐπιμαστικόν repellenti aduersum, foris impositum humores tum serosos tum crassiusculos, spiritusque ex alto corpore in summa transfert. Id autem calore præsertim efficit, 30 cui præcipua attrahendi vis est. Cui tamen si præterea tenuis substantia atque siccitas accedat, multò efficacius euadet. Quod ordine secundo completo calidum est ac tenue attrahit id quidem: quod verò iam tertio recessu consistit, non attrahit modò, verum etiam quod attractum est dissipat, estque metasyncriticum, id est euocans ex alto & resoluens. Quod denique hæc tum calore tum tenuitate superat, resoluēdo vel pustulas vel vesicas excitat, diciturque vel rubrificās vel phœnigmus. Attrahendi porrò facultatem alia insitam sibi obtinent, ut dictamnus, propolis, sagapenum, tapsia: alia à putredine ut fermentum, fimus columbinus, anserinus, & quicumque à calidiore animante decedit: alia totius substantiæ similitudine, ut scorpius vulnere suo impositus deleterium venenum quod ei aculatus est extrahit & euocat. Anagallis cui 40 flos purpureus, attrahendi ad eò insita facultate valet, ut adactos corpori aculeos euellat: succus gargarizatu & naribus infusus capitis pituitam eadem vi purgat. Anemone vtraque acris, commanducata radix, aut succus naribus infusus pituitam trahit. folia & caules menstrua cient vellere apposita, illita quoque lepras eximunt. Calamintha admodum tenui est essentia, qua humores ex alto euocat atque transmutat, cōfertque ischiadicis strenuè digerit, humores incidit & extenuat valenter crassos, quales sunt qui elephantiasim procreant, ex vino cocta sigillata tollit, nigrasque delet cicatrices. Narcissi radix diurnis articulorum doloribus trita ex melle & imposita subuenit, infixā corpori extrahit, illita cum lolij farina & melle. Struthion seu saponaria cum polēta & 50 aceto illita lepras tollit, tubercula discutit cum farina hordeacea & vino decocta: sternutamenta mouet, trita cum melle & naribus infusa ex ore pituitam ducit.

Aristolochia vtraque surculos & spicula extrahit, squamas ossium illita educit: in pefso subdita menses, secūdas, & fœtus omnes educit. Hiberis nasturtium agreste Latinis, ordine quarto calida: radix eius apprimè vtilis ad coxēdicis dolores, cū suillo adipe falso emplastri modo horis quatuor insidēs. hoc modo rheumatismos omnes sanat occul-

ros:exiccandi scilicet & ex alto euocandi, trahendique facultatem obtinens. Lepidion vulgo piperitis, calfacit etiam ordine quarto. ischiadicis presentis remedio illinitur tritum cum radice enulæ & horæ quadrante impositum: lepras idē quoque eximit. Thlaspi semen calfacit & exicat ordine quarto: bilem & pituitam per superna & inferna purgat. menses ciet & foetus enecat, prodest ischiadicis per sedem infusum. Cardami seu nasturtij satiui semen adurentis est facultatis perinde ac sinapi. Coxendicis dolores excalfacit illitum cum polēta & aceto: œdemata & panos discutit cum pice, extrahitque infixos corpori aculeos, lienem illitum cum melle extenuat, & fauos expurgat, lepras & impetigines abstergit, furunculos & carbunculos rumpit, & ad suppurationem deducit. herba eadē, sed multo imbecillius præstat. Sinapi calfacit siccaturque ordine quarto extenuandi & extrahendi vim habet, lethargicis derafo capiti illinitur ficubus admistum & impositum donec rubescat locus: ad coxedicum cruciatus, lienes & omnis generis diuturnos dolores confert, quoties permutandæ affectionis causa ex alto in cutis summa aliquid trahere animus est. Alopecii illitum medetur, sugillata cum melle aut adipe aut cerato delet. extrahentibus emplastris scabiēque extequentibus vtiliter admiscetur. ex aceto contra lepras & feras impetigines perungitur, grauitati aurium & sonitui tritum cum ficeo & impositum prodest.

Urticæ tum folia tum semē articularibus morbis & podagricis cum oleo vetere aut cum vrsino adipe imponuntur, & lienosis cum cerato. tubercula & parotidas sanant, ad deo scilicet digerente facultate valent. Hermodactylus calidus siccus ordine secundo. podagræ omni que arthritidi confert cataplasmate admotus, cum vitellis ouorum & farina hordei vel mica panis. Pyrethrum calidum siccum ordine tertio. Radix pituitam elicit, sudores ciet inuncta ex oleo, diuturnis rigoribus efficax, contra refrigeratas resolutasque partes corporis eximie conducit: stupidis partibus illita sensum restituit. Dracontij radix acris & amara tenuiumque partium, calfaciendi vim obtinet, crassa & lenta extenuat, ad vitiliginis cum melle efficaciter illinitur. polypos & carcinomata absumit & eliquat, maximè que succus qui & radice & foliis est valētior. Cyclamini eius quæ Arabum est arthanita, radix tertio ordine calida & sicca, aperit, incidit, attrahit & discutit. Succus medicamentis tubercula, strumas, aliasque durities discutientibus commiscetur: ac bile suffusis cum melle illitus competit. Decocto radice luxara, podagra & capitis vlcuscula, pernionēque vtiliter fouentur. Cauata radix oleo impletur & cineri feruenti imponitur, adiecto interdum ceræ modico, & vnguentum comparatur imprimis vtile pernionibus & tumoribus omnibus frigidis ac crudis: ipsos enim aut maturat aut resoluit. ossicula etiam extrahit. Cyclaminus altera quæ officinis beatæ Mariæ sigillum nuncupatur, illita cruda (nam coctæ vis perit) sugillata non sine morfu tollit, tunc excetate pari axungia veteris modo strumas, prædurōsque tumores omnes emollit, & integra cute dissoluit. Tithymali omnes strenue calfaciunt, resoluunt, siccantque & detergunt. myrmecias, acrochordonas, pterygia & thymos auferunt, detergunt quoque lichenas & psoras.

Elleborus eruptionibus pituitæ medetur cum axungia illitus, & suppurationi veteri: alphas. impetigines, scabies leprasque eximit. Thapsiæ tã radix quàm succus omnium maximè quæ pares cum eis vires adepta sunt, vim habent attrahendi, vbi ex imo aliquid euocandum est. Succus illitu aut radix recens affricu alopecias explent. Radix succusque cum æquis ceræ thurisque portionibus sugillata liuorēque tollunt, cum melle lepras cutisque vitia emendant: cum sulphure tubercula discutunt: sed nō diutius quàm horis duabus dimittantur, ne inflammatio inuadat: locus deinde aqua maris calida fouendus. Anacardi ordine quarto calidi ac sicci: serpiginem, impetiginem & morphæam illitu tollunt, sed non multo post locus aqua abluendus. E resinis autem vua strobilina omnium calidissima & celerrimè siccans, vt terebinthina mordacitatis expers. Illa è profundo validius quàm cæteræ resinæ trahit. Pix nigra mollis & pinguis, vuluæ duritias & sedis tubercula discutit, laterum, articulorum partiumque omnium dolores aut sola aut cum sulphure inducta dissipat: carbunculos & strumas dirumpit cum melle subacta, estque digredientium medicamentorum communis materia. Castoreum valde tenuium est partium, calfacit siccaturque: coquit ac discutit tumores cōtumaces & scirrhosos. illitum prodest tremulis, conuulsionibus & omnibus neruorum vitiis. Euphorbium coxarum doloribus, paralyfi, tremori, conuulsioni, omnibus frigidis affectibus mirè

prodest: squamas ossium eadem die eximit, pituitam per nares largiter euocat, & sternu-  
tamenta ciet. Sulfur calcificat, trahit è profundo, discutit, terget: saliuam, vel lotio vel vete-  
re oleo, vel melle subactum ictibus venenatis prodest. psoras, lichenas, lepras cum tere-  
binthina tergendo & dissipando persanat. Ex eorum porro genere quæ putredinis vi tra-  
hunt, mitissimum est fermentum, quod tenuium est partium, mediocriter calidum: pro-  
inde citra molestiam quæ in profundo sunt extrahit & digerit, particeps est aciditatis  
& caloris ex putredine. Fimi omnes attrahendi facultate pollent, at non paruo discrimi-  
nate. Columbinus admodum calcificat, attrahit & rubrificat, cum hordeacea farina &  
aceto mixtus strumas discutit. arefactus tritumque cum nasturtij semine, inueteratos co-  
xædicis, lateris, ceruicis & lumborum dolores, podagras & arthritides omnes extirpat. 10  
Anserinus aliquanto calidior, iisdem viribus sed efficacioribus præditus est, ac vix præ  
acrimonia vilius est usus. Gallinaceus verò eadem, sed inefficacius potest. nam multò  
quoque minus calet, si præsertim à conclusis gallinis sumitur.

Stercus caprillum digerentis & acris facultatis, adeò vt induratis & scirrhis tumo-  
ribus congruat non lienis modò, sed aliarum quoque partium, idque fabacea farina &  
oxycrato permixtum. Confert & ad aquam intercutem emplastrum specie.

Usus tenuioris essentia non tamen manifestè acrius redditur. Miscetur digerenti-  
bus cataplasmatibus quæ ad parotidas & bubonas diuturniores accommodantur.

Inter composita autem quæ validè trahant ac digerant habentur oleum ricinum,  
oleum balanicum, oleum sinapinum, quæ pressu perinde ac amygdalinum elici possunt. 20  
Emplastrum è meliloto, emplastrum è baccis lauri, emplastrum oxycrocum. Sed his  
multò præstantiora sunt quæ ex commemoratis simplicibus possunt in re præsentem  
parari. Quum igitur scirrhii duriorisve tumoris attenuatus preparatusque humor mini-  
mè potuit exiccantium medicamentorum vi totus absorberi, euellendus resoluendus-  
que est attrahentium medicamentorum vi, quæ in imò conditos demersosque humores  
in cutem summam transferunt. Eadem porro si diutius parti insident, attractos tandem  
aut manifestè aut sine sensu dissipant. Conuenièter ea in solidam pulueris emplastrive  
formam aptantur, quæ ipsa non intrò se infert, sed aduocat ad sese subditum humorem  
aut spiritum. Extemporalia igitur his formis describuntur: ℞. picis arida, ceræ nouæ, axun-  
giæ suillæ, saponis nigri an. ℞. ℞. liquefiant coganturque in emplastrum. Aut sic, ℞. picis 30  
sicca, ceræ nouæ an. ℞. ℞. axungia suillæ ℞. vj. sulphuris ignem non experti ℞. iij. liquetur  
in emplastrum crassitiè. Aut sic, sulphuris, radicis pyrethri, hermodactyli an. ℞. j. additur  
& nonnunquam salis nitri vel salis petrae, vel salis marini torrefacti ℞. j. Hoc etiam vehem-  
enter trahit & discutit. ℞. olei veteris ℞. j. linthargyri, picis siccae an. ℞. ℞. ladani, am-  
moniaci, galbani aceto forti solutorum an. ℞. iij. æruginis tritæ ℞. j. fiat emplastrum. Im-  
ponuntur & cataplasmatum formulæ quibus discutiendi vis summa inest. ℞. pulpæ fi-  
cium ex aceto aut ex aqua vitæ coctarum, fermenti veteris an. ℞. ℞. radicum ireos, cucu-  
meris agrestis & bryoniae recentium & crudarum an. ℞. ij. seminis vrticæ & nasturtij an.  
℞. ℞. Trita omnia contundantur in cataplasma. Addi quoque potest fimi caprini aut co-  
lumbini seiscuncia. Hi fimi arefacti tritique & cerato aut pici excepti, validè etiam tra- 40  
hunt: at validiùs si ex caricis aut melle in cataplasmatibus formam aptentur, validissimè  
si vel anacardino melle vel saponem nigro coquantur. Sinapismus quoque vehementer  
discutit, sed vehementiori dolore & papularum ardore. ℞. pulpæ caricarum coctarum  
in aqua & aceto, seminis sinapis ex aceto triti an. pares portiones. Aut pulpæ caricarum,  
fermenti an. partem vnam, sinapis partes duas. Tenellis corporibus sinapi minuendum,  
augendum verò durioribus atque robustis, detracta etiam sinapis portione nonnun-  
quam tantundem vtiliter addetur seminis thlaspi, vel nasturtij contusi. Hisce autem o-  
mnibus multò validiùs trahit cataplasma quod habet, Radicis thapsia tritæ ℞. j. axungia  
suillæ ℞. iij. Hoc tamen non modò albicantes papulas excitat, sed & partem vniuersam  
in tumorem attollit non leui sensu ardoris. Quod verò sequitur non attrahit solum, sed 50  
& attractum validissimè dissipat leniori quodam pruritu aut ardore. ℞. radicis cyclami-  
ni crudæ & contusæ ℞. j. axungia ℞. ij. Prior quidem cyclaminus erit efficax, sed multò  
præstantior est altera quæ Dioscoridi est posterior, & officinis beatæ Mariæ sigillum  
appellatur.

*Phœnigmus eiusque vsus. Cap. X.*

**M**VMORES parti cuius insidentes qui neque mollientibus, neque attenuantibus, neque attrahentibus resoluendi potuerunt, phœnigmis liquati trahuntur ac defluunt. Eorum ope hydropicorū aqua & serosus humor vndeuis educitur, capitis, coxendicum omniumque articulorum pernicax dolor eximitur. Compositum nihil quod vesicas exciter assueti solent, promptè tamen sic aliquod apparatus. Saponis nigri & salis vulgaris triti pares portiones confundito dum concorporentur & emplastri forma fiat: impositum vesicas ex-  
ro citat, aquamque ducit nullo sensu doloris.

Tithymalus omnis acer quidem est, & hoc quoque acrior est ranunculus. Vterque tusus & impositus humores ex alto non sine dolore prolicet in vesicam. Phœnigmus è cantharidibus omnium promptissimè nec admodum vehemèti ardore serosos humores largiter euocat. Cantharides in exquisitum læuorem tritæ parti imponuntur iā fritione rubenti & exalfectæ. At mitius vnguentum fuerit quod in portione vna tritarum cantharidum, aungiaz vel cerati liquidi quadruplum contineat. Tutius quoque & moderatius fuerit cataplasma quod habet cantharidum tritarum partem vnā, seminis sinapis contusi partes tres, pulpæ ficuum aut fermenti acris partes sex. Cuicumque autem parti è cantharide phœnigmus insederit, vrinæ ardorè dysuriāmque ciet. Rupta  
30 aut aperta pustula humor sensim emanat, inductōque pingui aut leniente vnguento, non antè finitur exulceratio sicari quàm omnis humor ex affecta parte sit exhaustus. Hactenus quidem remedia protuli quæ externis affectibus citra exulcerationem medentur, vt tumoribus collectionibusque frigidis, ex hisque progenitis doloribus. Nunc quæ remedia affectibus opitulentur externis in quibus aperta exulceratāve cutis est, vt abscessibus, vulneribus vlcerebusque variis dicendum.

*Maturantia. Cap. XI.*

**M**ATURATIO ἢ πέπαισις à cibi concoctione diuersa, est vitiatī corruptique humoris in conuenientiorem naturæ statum deductio. Est autem ea duplex, suppuratio ἢ ἐκπίσις, & concoctio quædam seu mitigatio ὀπιπασμός. Suppuratio est corrupti putridique sanguinis in pus exquisitum commutatio: ex hoc enim solo pus efficitur syncerum. Pepasmus verò seu mitigatio, est putridæ bilis tum flauæ tum atræ atque etiam pituitæ, non in pus quidem, sed tamen repressa putredine in benigniorem & minus naturæ molestam substantiam conuersio. Quod pus mouet medicamentum ἐκπιπτικόν dixerunt: quod concoquit ὀπιπαστικόν seu mitigatorium, cui ex aduerso est σπιπτικός. Vtraque maturatio proprium est naturæ & nostri caloris opus, nec vllum medicamentum per se maturat. Vtrumque tamen tum suppuratorium tum mitigatorium duplex existit: vnum propriè quod insiti nostri caloris vim atque substantiam ruetur vel etiam auget: temperatè id quidem calidum & partis cui  
40 foris adhærescit temperaturæ non admodum dissimile. Id quoque in eum humorem qui computruit calorem inducit insito nobis simillimū, cuius etiā beneficio corruptus is humor in benignius quippiam mutatur. Alterum genus ex accidenti maturat: idque moderatè calidum & humidum est, verèque emplasticam materiā sortitum. hoc dum cutis spiracula infarcit & obstruit, spiritum caloremque natium partis cohibet, nec dissipari sinit: qui dein intrò remeans augetur & vel pus conficit, vel corruptum humorem mitigat ac concoquit. De iis igitur quæ phlegmonarum pus mouet in primis tradendum. Aquæ tepidæ fatus per se semper calfacit & humectat, mollit & concoquit, interdum tamen ex accidenti humores quoque digerit ac dissipat.

Hydrelæum modicè calidum parti affusum maturat & concoquit, idque euidētius  
50 quàm aqua tepida. Oleum maturum salis expers, calfacit moderatè, humectat & emol- lit, præsertim quod nec frigidum summè, nec calidum, sed tepidum adhibeatur. cōco- quit quoque & pus mouet, aucto nativo calore, dum cohibet occluditque quicquid è nobis foras effluere est natum. Butyrum tum per se cōcoquit & pus mouet, tum medi- camentis quæ id præstant commodè miscetur, maximè in puerorum molliorūque corporum phlegmonis exiguis. OEsypus non dissimilem butyro concoquendi & pus mouendi vim obtinet. Adeps omnis præcipuèq; domesticorū animalium mollit, conco-

quit & pus mouet: nam præterquam quòd suo lētoꝛe perinde atque oleũ offarcit cutis spiracula, cohibetque quicquid e nobis effluere aptum est, calorem etiam obtinet nostro finitimum. In eorum quos vsurpamus censu imbecillior est suillus, ab hoc vitulinus, hunc gallinaceus sequitur, anserinus omnium efficacissimus, vt non modò mouēdi puris, sed etiam digerēdi facultate iam polleat. Medulla ceruina & vitulina vt scirrhos emolliunt ita etiam concoquunt, & pus mouent eadem qua adeps ratione. Farina tritici perpurgata fursure ex oleo aut ex hydrelæo cocta cataplasmatibus forma cutis spiracula offarcit, & calorem natium intrus continet adaugēque, qui demum humorem superuacuum maturat, concoquit, & in pus album, leue & æquale conuertit. Idemque præstat & tritici pollen. Panis triticeus recens & adhuc calēs admotus eadem efficit: aut si tempore exaruit hydrelæo aut oleo pingui ac dulci, aut butyro mollitus & in cataplasma redactus. Caricæ pingues ex aqua aut hydrelæo coctæ & illitæ, aut forma cataplasmatibus ex oleo aut butyro & farina triticea admotæ pus mouent, panos aliósque tumores ad maturitatem perducunt. Tussilaginis & oxalidis folia sub cineribus cocta & ex adipe tunsa, phlegmonas aliósque abscessus celeriter maturat.

Radix althææ laxat, mitigat, & difficilia tubercula concoquit. Cocta in aqua multa fotu ad parotidas, strumas, aliósque tumores maturādos efficac. Cataplasmatibus specie ex adipe suillo vel anserino, aut etiam oleo cocta, adiecta farina triticea, aut panis medulla potentius concoquit & maturat. Liliorum radix cocta dum planè contabescat, mollit atque maturat præsertim assa, & vt althææ radix adipe excepta cataplasmatibus specie. Ceba licet cruda acris sit & mordax, coctura tamen dissipata acrimonia, emollit, pus mouet, in his præsertim tumoribus qui ægrè suppurant.

Pix mollis & liquida, lentoris multi particeps per se molliendi, puris mouendi & concoquendi facultate pollet. arida rosaceo in affectu calido, aut oleo conuenienti dissoluitur in eisdem vsus: dura enim emollit, pus mouet, tubercula pauósque discutit. ex pice molli, cera & oleo compingitur, ceratum puri generando perutile. Resina terebinthina aut etiam lentiscina dura mollit & concoquit cruda. Elotæ omnes acrimoniam deponunt & adiecta cera & butyro, vel oui vitello, vel oleo quopiam accommodato, puris mouendi facultatem adipiscuntur. Thus molle, album & pingue moderatè calidum, mediis ac temperatis naturis consentiens, insignem puris mouendi facultatem obtinet, vtpote nulla siccandi aut adstringendi vi præditum. Ladanum ad primi excessus finem calidum, emollit & moderatè concoquit. Styrax liquida seu rubra, calfacit quoque emollit & concoquit. In hoc quoque censu habentur bdellium & ammoniacum, & quæcunque moderato quodam calore emolliunt, eadem quoque pus mouent.

Iam verò vnguenta ab his extant maturantia basilicum minus, basilicum maius, vnguentum de althæa, vnguentum agrippæ, & quod resumptiuum appellant: emplastrum quoque diachylon simplex, diachylon compositum, & emplastrum è mucilagibus.

Itaque si qua collectio aut tumor præter naturam partem obsedit isque calidus cum rubore, calore & dolore lancinante, cuius materia non dissoluenda, sed in pus vertenda videatur, vt in phlegmone, furunculo & carbunculo, fluxione cohibita repressoque ardore atque dolore, maturatio atque suppuratio iuuabitur, primùm quidem fotu ex hydrelæo tepido, aut ex eorum decocto quibus emolliendi pariterque maturandi facultas inest: quibus pariter & dolor leniri & calor obtūdi possit. Protinus à fotu conferet illitus facultatis eiusdem: moxque cataplasma pultis specie ex mucilage althææ, lini & fenigræci desumpta ex decocto caricarum, in quo farina tritici soluta coctaque sit adiecto oleo & oui vitello. Si minus calida est phlegmone & ægrè suppurat, vt idcirco maturantia validiora postulet, cataplasma fiat ex radice althææ, liliorum & ceparum cum oxalide, malua, acantho, chamæmelo & meliloto exquisitè coctis atque cretis: quibus deinde farina frumenti, lini & fenigræci adiecta sit cum butyro & axungia gallinæ vel anseris. his rursus validius est vnguentum basilicum vtrumque & emplastrum diachylon compositum, & emplastrum è mucilagibus, quorum vtrumque olei liliacei vel irini permissione emolliendum est, quò altius subire possit virésque suas exercere.

## Detergentia &amp; expurgantia abscessus &amp; ulcera. Cap. XII.



Vae extrinsecus inducta abscessus & ulcera mundant sordēsq; expurgant, emplasticis cōtraria, non aliam naturā sortita sunt quā quæ intrò assumpta diximus, lentos atque glutinosos ductuū humores detergere & expurgare. Ea Græcis idcirco *πυλινά* & *ναβαρτινά* nuncupantur. Ordine autem & viribus plurimum distant: leniora enim apertarum phlegmonarum pus eluunt & euocant, his valentiora sunt quæ crassiorem ulcerum sordem detergunt, valentissima quæ malignorum ulcerum corruptam carnem exedunt, atque etiam fistularum callos blandè exterunt, quæ sanè sunt cathæreticis proxima. Sic autem digerenda sunt.

Cichorij, endiuæ, omniūque intuborum succus licet frigidus, quia tamen amarus tutò detergit, & ulcera non minus quā viscera purgat.

Rosarum præsertim rubrarum succus cum adstrictione leni deterfionis tamen ut & amaroris particeps est: hinc melli rosato & ex aridis rosis syrupo detergendi facultas insignis.

Plantaginis folia vel integra ulceribus inducta sordē luculenter extergunt: succus ulcerum malignitatem emendat, expurgatāq; ad cicatricem perducit. Sedi seu semperuiui maioris succus licet refrigeret ac leuiter adstringat, omnia tamen quæ de plantagine protuli potētius efficit. Hæc igitur tuta admodum & vtilia sunt cū nondum tota ruptæ phlegmones restincta est inflammatio: aut cū vlcus ardore atque dolore distorquet. Agrimonij & betonicæ succus aliquantulum calidus detergit, omniāque vulnera & ulcera capitis præsertim sanat, nec quicquam putrescere aut in fistulam coalescere finit. Apij succum ad extergendum nō minus efficacem iuniores experti sunt, quem idcirco passim in id usurpant.

Fabacea farina leuit abstergit ut idcirco cutis sordes, maculas è sole contractas & lentes in summa cute exterat.

Hordei farina modicè quoque abstergit & paulò plus quā fabacea siccatur.

Cicerū farina incidit & extergit, scabies, impetigines, maligna etiā ulcera cum melle purgat. Orobi farina cutis aspredinem, pruritus, lentigines in facie atque etiam maculas & ulcera cum melle detergit: nomas, gangrænasque cohibet. Lupinorum farina extergit validè, alphas, liuores, achoras, exanthemata, scabies, gangranas ulcera quæ maligna partim extergendo, partim digerendo siccandōque citra acrimoniam iuuat. Fenigræci farina furfures, achoras, lepras & lentigines emendat, & ex vino aut melle subacta carcinomata purgat.

Seminis lini farina varos, fauos, vngues scabros cū nitro & melle eximit: ex vino cocta herpetas & serpētia ulcera cohibet. Mel calidum siccūque ordine secundo, aperit, putredini obsistit, siccatur, deterget, expurgatq; meatus & ulcera, nec ut sal corporū substantiam coarctat: crudum cocto & despumato detergentius quidem multò est & mordacius, sed eo minùs agglutinat. Saccharū mellis species cū sit, siccatur quoque & abstergit, sed quod rubrū est potētius, utpotè calidius & acrius. Terebinthina licet substantia tenuis, quia tamen subamara blandè abstergit, & tum sumpta tū admota sordes expurgat. Aloë vehementer amara, moderatè tamen terget ut ne puris quidem & aperitatis ulceribus sit molesta: peculiariter serpētia ulcera cohibet, putridis genitalibus medetur & oculorum medicamentis permiscetur. Thus extergit quoque, sed quā aloë ignauius. Myrtha verò quòd cum amaritudine summa tenuis sit substantiæ potētius quā aloë extergit, propriè autem impetigines ex aceto purgat, albugines tollit, caliginem discutit, scabritiem læuigat.

Quæ porrò sequuntur valentiorè detergēdi facultate prædita, malignis peruicacibusque ulceribus accommodantur. Marrubium siccatur detergitque validè, ad eò ut folia ex melle illita sordidis medeantur ulceribus, nomasque cohibeant: quod efficacius expressus succus ex melle confert, & illitus oculis videndi vim exacuit.

Melissophylli succus ut marrubij maligna etiam ulcera propriè verò thoracis & pulmonū sanat, & cum melle oculorum caligines delet. Absinthij succus calfacit & validè deterget & expurgat, sordēmq; ulcerum eluit, ac in fistulam abire prohibet, & à putredine vindicat, eadem decocti ius, sed ineffacius præstat. Anagallidis vtriusque suc-

cus siccando & extergendo putrida iuuat vlcera, & cū melle oculorū caliginē discutit. Scordium vetera vlcera purgat, siccatur & cicatrice obducit. Hypericum arefactum atq; tritum inspersumque humida atque putrida vlcera perfanat. Vrticæ semen sordida vlcera quæ citra acrimoniam detergi exiccatque postulant cōuenienter sanat: carcinomata & serpentina vlcera addito sale sistit. Cyperi radix siccatur & sine morfu abstergit, arida tritaque vlcera omnia præhumida, qualia sunt oris, genitalium; atque sedis etiam si depascent compescit.

Aristolochiæ vtriusq; radix strenuè abstergit, sed rotundè potētius: putredines sanat & exest, vlcera sordes expurgat, vermésque necat & extrahit.

His verò quæ sequuntur ad exedendam putredinem & fistularum callos exterendos vis maior inesse comprobatur. Centaurij & chelidonij succus exiccat detergetque validè ad eò vt vetera malignaque vlcera, sinus quoque & fistulas expurget, detergat, tandè perfanet.

Iridis radix calfacit, exiccat, abstergit, arida tritaque cum melle vlcera capitis præcipuè expurgat: eius verò succus infusus fistulas & sinus detergit & carne explet. Sabina calida siccaque ordine tertio, vehementer abstergit, cum sensu quodam acrimonie & exesione: vlcera quæ atra cernuntur & admodum sordida cum melle expurgat, putrida exedit, sinuum fistularumque callos exterit, si modò vis eius citra noxam perferri potest.

Gentianæ radix impensè amara, expurgat abstergitque, alphas delet, vulneribus sinuatium depascentibus medetur.

Asphodelus radice efficax, calida sicca extergente & discutiète: vlcera sordida purgat, fistulosa sanat, depascentia sistit. Ari radix calida sicca & detergendi facultate insignis, vlcera omnium generum siue phagedænæ sint siue carcinomata, siue serpentina, siue fistulosa, commodissimè expurgat. Dracuntij radix vt acrior & amarior, ita efficacius maligna & phagedænica vlcera trita cum melle expurgat, fistulasque & sinus exterget.

Cucumeris agrestis radix arida tritaque vt alphas, leptas, impetigines, cicatrices nigras, & in facie maculas abstergit, ita & veteres sinus fistulasque expurgat. Elleborus potenter exterget, ad alphas quoque, impetigines & lepras accommodatus: si in fistulam callo obduratam immittatur, duobus tribusve diebus callū detrahet. Misy, sory, chalcitis & chalcantum, vsta lotaque maligna vlcera fistulasque valenter detergent: cruda verò aut non lota vim habent exedentem & cathēreticam. Pro iis, quòd nobis desint, substituitur vitreolum vstum atque elotum. Ærugo elota putridis quoque vlcibus & sinibus expurgandis aptissima.

Spuma nitri, nitrum & aphronitrum quanquam vehementer tergent, non tamen vlcibus, sed lepris, alphis, impetiginibus aliisque cutis vitis expurgandis cum aqua calida aut vino infunduntur. Pro his quòd desint sal petreæ expurgatus substituitur. Alumen crudum & ex eo comparata aqua nomis, phagedænis, Chironiis, malignis, putridis & pascentibus vlcibus conueniunt, non tam detergendo quàm cohibendo ne longius serpent.

Ex his igitur quæ primi sunt ordinis cōpositiones sunt expurgandis phlegmonis recens apertis, vt quæ habet mellis rosati ℥ j. vitellum oui vnus, farinae hordei quod satis est vt in vnguenti speciem concorporentur: adduntur interdū terebinthinæ lotæ ℥ ij. si melior optatur deterfio. Valentius autem est quod recipit succi apij ℥ viij. succi agrimonij ℥ iij. succi plantaginis ℥ ij. mellis rosati ℥ x. coquantur aliquantum, deinde adice farinae hordei, lupinorum & fenigræci an. ℥ j. percoquantur in vnguentum, permiscendo sub finē terebinthinæ ℥ β. Si crassius aut tenacius pus fuerit, deterfio maior fiet hac formula: ℥. resinae, mellis, terebinthinæ an. ℥ β. myrrhæ sarcocollæ, farinae lupini & fenigræci, radice iridis an. ℥ β. fiat vnguentum. Huc pertinet vnguentum aureum, cui vis quoque detergendi par quodammodo inest, & emplastrum de iantia, & emplastrum gratia Dei nuncupatum, quæ aut solida aut oleo tenui diluta induci possunt, ad capitis imprimis aliarumque partium neruofarum vlcera. Huc quoque referri poterūt quæ tertij ordinis sunt vehementer detergentia, cuiusmodi ex ærugine cæterisque acrioribus metallicis constant, si lenioribus soluantur & temperentur, veluti emplastri diuini drachma vna si tribus recentis vitelli dissoluatur, aut si vnguenti Ægyptiaci aut Apostolici drachma

drachma cū duabus tribúsve tetrapharmaci aut cerati alterius subacta vnitáq; sit, vlceribus blandè extergendis optimum comparabitur remedium. Sic & præcipitati puluifculus leniente quopiam exceptus, nullo morfu superfluam carnem absumit & vlcus forde expurgat. Si iá vlcus sordidum est, & mali moris siue id sponte natum est, siue ex vulnere aut ex phlegmone negligentius curata factum, ex his quæ secundi sunt ordinis vnguentum comparabitur hac formula: ℞. Plantaginis, absinthij, marrubij, scordij, melissophylli, hyperici recentium & contusorum an. m. j. coquantur aliquantum in vino albo & olei ℥ j. β. in quo expresso dissolue radicū cyperi, iridis & aristolochiæ rotundæ ritarum atque cretarum an. ℥ β. ceræ ℥ iij. rursúmque coquantur dum crasse scāt, ac tum adde resinæ ℥ ij. thuris, myrrhæ, aloes, sarcocollæ an. ℥ j. & postremò terebinthinæ ℥ j. β. Quæcunque validiora desiderantur, ea in super non nihil habent æruginis: cuiusmodi sunt emplastrum diuinū remollitum, vnguentum Apostolorū & vnguentum Ægyptiacum, omnium certè quæ extant præstantissima.

Si verò è sinu aut fistula exterendus est callus, iniicietur decoctū, quod habeat plantaginis, absinthij, centaurij minoris, sabinæ, foliorum oliuæ & agrimonix an. m. j. radicū gentianæ cōtusæ ℥ ij. fiat decoctio in vino albo, in quo colato ad ℥ j. dissolue mellis rosati, syrubi absinthij an. ℥ j. β. Si non id præstiterit quod postulas, vel myrrham, vel aloen, vel vnum quodpiam ex his postremis medicamentis dissolue: vt vnguenti Ægyptiaci ℥ β. sicque sensim augeri vis potest dum optatus existat euentus. Exposita eorum medicamentorum materia quæ partium externarum inflammationes, præduros tumores, phlegmonas, abscessus, vlceráque sanant, deinceps ad ea pergendum quæ vulneribus medentur, eaque ad cicatricem perducunt.

*Profluentem sanguinem cohibentia ἰχθυα Græcis appellata. Cap. XIII.*

**V**AE sanguinè vberius prorumpentem siue ex aperta exesáve spòte vena, siue ex rupta aut in vulnere præcisa, alia quadã proprietate, alia vi emplastica, alia caustica id ipsum præstant. Quæ primi sunt ordinis, non statim frigida sunt omnia aut adstringentia, sed ex his quædam calida & acria, vt verrica. Quæ secundi, venarum exitus inferciunt atque implent, móxque arefacta nihil effluere sinunt. Quæ tertij ordinis, vrendo venas coågustant, crustuláque obducunt, quæ omnia cohibet. Telephiū tertia semperuiui species & quæ huic similis crassula maior appellatur, in sistendo sanguine & curãdis vulneribus efficax: tertio recessu frigida, humida secundo. Polygonum ab effectus præstantia sanguinariæ nomen obtinuit, quòd eo siue integro siue tunso stillanti parti inducto sanguis coëat & in grumos concreseat, vt non amplius effluat.

Pimpinellæ folia tunsa aut etiã cocta si ápertam venam attingant, protinus sanguinem sistunt, quod radix luculentius efficit: eadem quouis modo sumpta sanguinis vomitiones excreationésq; supprimunt: subdita verò mulierum purgationes hæmorrhoidáque cohibent. Verricæ radice recenti in narè inserta sanguis mox supprimitur, quod nec minus tum ea ipsa, tum foliis tunsis vulnere inductis præstat.

Pentaphylli radices, folia florésque vehementer adstringunt & desiccāt sine morfu, & in multo sunt vsu ad sanguinis reiectiones. Androsænum licet calidum & siccum, recenti tamen vulnere impositum, sanguinem continet.

Hippuris seu equisetū adstringit manifestè atque siccatur, propriè verò succus sanguinem è naribus manantem reprimit; arefacta folia trita & inspersa cruëta vulnera glutinant. Salicis folia & cortex præcipuèque lanugo & flores inserti naribus erumpentem sanguinem promptè sistunt, & redacti in puluerem & calamo efflati, in nares idem præstant.

**I**latis valenter quoque siccatur & astringit: cuius folia recens vulnus conglutinant, nec sanguinem effluere sinunt. Symphytum maius atque etiam petræum siccatur atque coniungit moderato calore: tūsa radices vt sumptæ sanguinis reiectione, ita & recenti vulnere illitæ, eruptionem sistunt, labráque vulneris conglutinant, quæadmodum & minutim cōcitas carnes cogunt si vnà coquãtur. Corallium, hæmarites lapis iaspis & qui cornalinus appellatur, occultis quoque viribus sanguinem supprimunt. At verò mumia, thus, myrrha, mastiche, sanguis draconis, terra lemnia & bolus armena, in emplasticis

habentur, & obstruendi siccandique facultate sanguinis effluvia cohibent.

Quum itaque recens vulnus sanguinem immoderatus profundit, emplastica quaedam aceto lota cum pulvere eorum quae proprietate sistunt, aut in pulueris inspergendi aut in cataplasmatibus formam aptabuntur oui candido excepta, ut ℥. boli armenae, terrae lemniae lotarum in aceto an. ℥. j. mastiches, sanguinis draconis an. ℥. β. thuris, myrrhae, radices consolidae maioris, pimpinellae & vrticæ an. ℥. ij. fiat puluis, Vel ℥. boli armenae, sanguinis draconis an. ℥. β. thuris, mastiches, aloes an. ℥. ij. pilorum leporis minutim incisorum ℥. iij. pul. succini & coralij rubri an. ℥. j. β. oui candido excipiatur & turunda oblonga indantur in nares. Causticorum usus si quando forte ad cohibendum sanguinem necessarius fuerit, posthac tradetur.

10

*Clutinantia medicamenta. Cap. XIII.*



**L**VTINANS medicamentum *κολλπητικόν* Græcis appellatum est, recentia vulneris labra adducta coniungit & ad pristinam reducit integritatem. Id autem efficit quia prohibet ne inter coitura labra aut influat aut succrescat humor. Adstringens id esse oportet, crassae terreneque substantiæ, ac siccum ordine secundo, calore temperatum, ut nec deterfione nec acrimonia feriat. Arnoglossum quae plátago, siccatur & adstringit sine morfu, recentibus vulneribus aptum, quæ citra metum inflammationis glutinat, vetera quoque ulcera fordida, maligna & elephantica expurgat, & inæqualia cicatrice obducit.

20

Cynoglossum seu lingua canina ut oris fauciumque; ita & cæterarum partium ulcera terget, recentiaque vulnera glutinat, horumque; calorem temperat. Myriophyllum seu millefolium adeo exiccat ut cruenta vulnera protinus glutinet, & ab inflammatione vindicet, seu viride seu siccum, ex aceto oblitum. Salicis tum folia tum flores citra morsum siccant & adstringunt, cruentumque vulnus glutinant & inflammationem arcent. Ulmi folia & cortex medianus spissandi vim obtinet multoque magis succus è pomis expressus, recentia vulnera celeriter his admotis coeunt atque solidescunt. Verbena siccatur & adstringit, glutinandis vulneribus familiaris, vetera quoque putrescentia ulcera cohibet, fordida ex melle purgat, & cicatrice obducit.

Myosotis quae pilosella adstringit atque siccatur foliorum farina vulnera mirum in modum glutinat.

Anagallis citra morsum siccatur, tusa & admota recentibus vulneribus præsertim senum efficaciter medetur. Betonica vulneribus quoque recentibus præsertim capitis accommodatur. Scabæ quæ & scabiosa, omnibus quoque vulneribus & maxime pectoris succurrit. Bugula & faniola recentioribus primum cognita inter vulnerarias herbas primas tenere creduntur. Hypericum siccatur moderato calore, folia, flores, fructus tunc glutinandis vulneribus imponuntur. Attractylis in sanandis quoque vulneribus efficacissima, eadem ulceribus fistulisque diuturnis medetur.

Lubrici terre triti & admoti vulnera omnia præcipueque neruorum glutinare traduntur. Cochlearum pusillæ tritæ iisdem quoque viribus esse creditur, quas & ad interiora ulcera præsertim pulmonum usurpant. Sarcocolla emplastica & subamara citra morsum siccatur, & ulcera glutinat. Myrrha, thus, magisque; thuris cortex, aloë, mumia, & omnia ferè quæ sanguinem cohibere diximus, glutinandis sunt vulneribus aptissima. Terebinthina resina atque etiam abietina quæ nobis frequens est, omnibus medicamentis vulnera glutinantibus utiliter permiscetur: nec sola aut oui luteo excepta parum conducit. Pix mollis & liquida iisdem quoque medicamentis adiungitur: & pix sicca atque resina arefacta, sed hæc durioribus corporibus aptiores. Lithargyros auri quod emplastica sit & ferè omnis qualitatis expers non modo glutinantibus, sed & cæteris quoque emplastris ut communis quaedam materia substituitur.

Quum igitur recentis vulneris suppressus iam sanguis fuerit, idque; citra phlegmones metum, labris propius adductis atque iunctis, instillanda aut linamentis inducenda erunt unguenta carptis linamentis excepta, variè ex iis concinnata simplicibus: hisque; superponenda lintea vino rubro tepido imbuta expressaque leniter. Si exiguum est vulnus satis fuerit terebinthina lota adiecto oui luteo & farinae momento. Efficacissimum quoque est balsamum artificiale ita concinnatum. ℥. vtriusque plantaginis, semperuiui vtriusque, symphyti vtriusque; betonicæ, verbenæ, pimpinellæ, pilosellæ, pentaphylli, absinthij, centaurij

50

centaurij minoris, millefolij, cynoglossi, equiseti, attractylidis, hyperici an. m. j. recentibus contusis affunde aquæ vitæ ℥ viij. sinantur macerari diebus quatuor, quinto succus ex his tepefactis exprimatur: in quo dissolue olei optimi loti in aqua rosarum stillaticia ℥ ij. coquantur vase duplici dum succi dimidium absumptum sit, ac tum adde terebinthinæ lucidæ ℥ j. percoquantur in reliqui succi consumptionem purè, coletur atque recondatur ampulla vitrea. Potest & oleum russis herbis cum aqua vitæ pariter affundi atque quatruido macerari, ac deinde coqui & liquor totus exprimi, purusque excolari ut in eo tandem terebinthina vase duplici percoquatur. Hinc & vnguenta quibusdam adiectis comparari possunt in primis efficacia, ut ℥. balsami prædicti ℥ ℥. ceræ albæ, resinæ an. ℥ ij. sarcocolle ℥ j. thuris, mastiches an. ℥ ℥. fiat vnguentum in vase duplici. Rursum quoque validius ita comparabitur ad nervosarum partium conglutinanda vulnera & carne implenda. ℥. lumbricorum terrestrium expurgatorum atque tunforum ℥ ℥. macerentur diebus sex in olei optimi ℥ ℥. his deinde feruefactis exprimatur oleum eique adde balsami præscripti ℥ ℥. seui arietini mundi ℥ ℥. picis nigre ℥ iij. resinæ ℥ ij. ammoniaci, galbani, opopanacis aceto solutorum & colatorum an. ℥ j. thuris, mastiches an. ℥ ℥. coquantur vase duplici in vnguentum, vel etiam si voles in emplastrum.

Ex his quæ ad balsami compositionem protuli, potio quoque perutilis fit ad vulnera, quæ vel in pectoris vel in abdominis caua penetrant cum viscerum offensione, & ad inueterata vlcera præsertim renum atque pulmonum. si amaror metuitur nimius, subtractis absinthio & centario minore substituantur stæbe seu scabiosa, agrimonium & brassicæ cymæ. Tunsa omnes aut ex his quædam vino aspergantur albo & tenui dum prorsus mersæ madescant, & mellis colati quadrante. Macerentur diebus sex, tepefactis his aut modicè feruefactis vinum exprimatur, denturque ieiuno ℥ iij.

*Sarcotica medicamenta. Cap. XV.*

**M**EDICAMENTVM *sarcoticum* est quod deficientem carnem in vulnere aut in ulcere cauo progignit, ipsumque cauum carne implet. Id quidem proprium est naturæ opus: quodcumque tamen medicamentum vlcus moderatè siccatur, eiusque sordes blandè ac mediocriter citra morsum detergit, quoniã sanguinem qui gignendæ carnis est materia tuetur, & impedimenta subtrahens vlcus purum aut quale saltem acceptum est cõseruat, sarcoticum dixerunt. Est autem id substantiæ mediocris, moderatè atque infra ordinem secundum tum calidum tum siccum, ut acrimoniæ sit expers. Calidius enim aut tenuius carnem colliquat: crassius autem aut frigidius nimium siccatur & adstringit.

Herbæ quibus sola sit progignendæ carnis facultas, pauca admodum sunt, sed quæ recentia vulnera conglutinant, & quæ sordida vlcera leuiter expurgant, eadem quoque carnem gignunt, si modò mitiorum quorundam permissione temperentur.

Fenigræci, orobi & lupini farina, siue sola siue melle & oui luteo & terebinthinæ momento excepta, mitissimè carnem generat. Thus peculiari facultate sarcoticum est, & in mediis corporibus carnem gignit: in aliis verò tum siccioribus tum humidioribus non nihil additur his consentaneum.

Manna thuris vulnera quoque caua & vlcera conuenienter explet.

Pix liquida atque etiam sicca mannæ thuris commodè iungitur ut vlcera vulneraque caua impleat. Terebinthina blandè tergendò siccandòque efficit ut vlcerum caua carne impleantur. Sarcocolla quæ præsertim in aqua rosarum stillaticia aut in lacte soluta fit, citra morsum desiccans & vlcera commodè detergens, ea quoque facillè carne implet.

Aloë præcipuè lota paulum extergit, ut ne puris quidem vlceribus sit molesta: hinc ad vlcera carne implenda apprimè utilis. Myrrha siccans atque detergens, vlceribus carne implendis aptissima.

Si quod igitur vlcus est aut recens vulnus cuius portio quædam sublata sit, ut idcirco non protinus agglutinari queat, sarcoticis primùm caro gignenda est, deinde vlcus glutinantibus committendum. Sarcotica autem medicamenta tum ex his quæ protuli tum ex agglutinantium, detergentium atque suppuriarum temperatione fiunt. Sic quidem tetrapharmacum quod & basilicum appellant, ad gignendum carnem passim extat & basi-

licum magnum, & vnguentum aureum, & emplastrum gratia Dei, & de ianua, & emplastrum diuinum. Potest & prescriptum supra balsamum ad vulnera implenda atque glutinanda ita comparari, ℥. balsami prescripti ℥β. in quo liquentur vase duplici cere albæ, resinæ, ammoniaci, an. ℥j. galbani, olibani, mastiches, myrrhæ an. ℥β. aristolochiæ rotundæ trita ℥ij. fiat vnguentum, aut si voles aucta cera emplastrum. Puluis quoque in eundem usum hac forma prescribitur: ℥. sanguinis draconis, boli armenæ an. ℥β. mastiches, olibani, sarcocollæ an. ℥iij. aloës lotæ, aristolochiæ rotundæ, radicis ireos an. ℥j. β. fiat puluis. huic etiam addi convenienter possunt ambra gr. vj.

*Epulotica medicamenta seu cicatricem inducentia. Cap. XVI.*

10



**P**ΟΥΛΩΤΙΚΟΝ medicamentum Græcis est quod impleti iam vlceris summam carnem vehementer siccet & obdurat, & in cicatricem cuti simillimam cogit. Id autem abunde siccum est, ut humorem absumat: est & crassioris materiae ut carnem adstringat, contrahat, atque denset. Nullius caloris sed frigoris cuiusdam particeps, omnique morfu destitutum.

Terra armena putrescentia oris vlcera sanat, ceteraque siccet cicatrice obducit. Terra lemnia eadem quoque, sed imbecillius efficit. Lithargyros moderate siccet & adstringit, & vlcera cicatrice obducit. Ceresa sicca quoque & adstringens, excrescentia leniter reprimat, & cicatrice claudit. Malicorium & balauustum astringunt, humida vlcera siccant hisque cicatricem inducunt. Myrtus siccet quoque & adstringit, trita & vlceribus præ nimio humorem cicatricem non recipientibus auxiliatur: hæmatites lapis siccet adstrictione leui qua tamen excrescentia reprimat & obdurat, hæc quidem leniora sunt & lenioribus vlceribus tenerisque corporibus apta. Lapis calaminaris quid cadmia est lapidosa, sæpe vltus acetique extinctus vehementer siccet, excrescentia reprimat & cicatrice munit. Cadmia vera siccet & adstringit, sed non sine acrimonia, quam tamen lotionem ex aqua rosarum & plantaginis deponit, sicque vtilior ad cicatrices inducendas euadit. Spodium & pompholyx acria quoque existunt, sed lotionem miria adde redduntur, ut citra morsum excrescentem carnem coercent & cicatrice obducant. Concerpta etiam linamenta sola tum sicca tum madefacta in styptico rubro vino, aut in quo absinthium, rosa & aluminis paucillum sit incoctum, inter epulotica merito sunt habenda.

Scoria ferri, plumbum vltum, stybium quod & antimonium vltum, calx viua, alumene vltum, vitriolum vltum, æris squamma, æs vltum, omnia quidem acria sunt, & verè cathartica, sed quæ tamen sæpius lota dum omnem acrimoniam deposuerint, epulotica redduntur, optima sanè malignis vlceribus cicatrice obducendis in durioribus corporibus: idque modò trita & inspersa, modò excepta cerato ex oleo rosaceo, melino, myrtino, omphacino, aut mastichino. Ex eorum leuioribus extat vnguentum album, è cersa, quod & in emplastri formam aptatur: vnguentum rubrum exiccans. In id quoque valentiora sunt, vnguentum diachalciteos, austero vino subactum & myrteo emollitum, vnguentum diapompholygos, & vnguentum quod proprie adstringens appellauimus. Possunt & alia in rem presentem ita comparari. Calx viua toties in aqua frigida aut in aqua plantaginis lauetur dum omni destituatur acrimonia, & ex oleo rosaceo quantum sensim combibere poterit diu in mortario subigatur in vnguenti formam. Aliud valentius, ℥. plumbi vlti & loti, pompholygis seu tuthiæ loræ, æris vlti & loti, aluminis quoque vlti & loti an. ℥j. oleo rosato & aceti momento excepta in mortario diu subigatur in vnguenti speciem. Ex iisdem quoque puluis tenuissimus confici potest, addendo lumbricorum terrestrium arefactorum, sanguinis draconis an. ℥j. β.

Cum plumbi crudi lamina tantoperè commendetur non ad simplicia modò verum etiam ad maligna & canerosa vlcera tum sananda, tum etiam cicatrice tergendæ: cumque ad eadem omnia multò præstantiorem crudi plumbi tenuissimum puluerem sim expertus, inspersum malignis vlceribus illa blandè citra vllum doloris sensum corrigere, expurgare, & ad cicatricem perducere, eius conficiendi rationem subtericere nolui. Plumbum in laminas quam tenuissimas ducitur, hæc minutissime conciduntur, aceto quam acerrimo immerguntur, maceranturque triduo permurato quotidie si videtur aceto, postea exempta & igni siccata citra vltionem, in mortario laboriosè teruntur, sic tandem in tenuissimum

simum leuissimūque puluerem rediguntur, cuius vis est ad ea quæ dixi, & ad multò maiora singularis & eximia.

*Cathæretica medicamenta. Cap. XVII.*

**X**EDENS medicamentum καθαρητικόν Græcis appellatū est, quod inutilem tum putridam tum excrecentem carnem absumit, & polypos, tubercula, verrucas, callósque detrahit: non quidem vniuersum ac repente, sed quasi liquefaciens ac sensim tabefaciēs citra vllam vicinæ carnis corruptionem aut putredinem. Id autem vehementer & iam quarto ordine calidum est  
 10 atque substantiæ pertenuis, qua se altius in absumēdam materiam insinuet. Quod igitur epuloticum medicamentum siccando comprimendoque sine doloris sensu facit, id cathæreticum non sine acrimonia & sensu doloris exedit. hoc genere continentur, testarum, concharum & rerum causticarum vt tithymalorum cinis, pumex crematus, sal torrefactus aut melle duplo exceptus, ollaque noua exustus: alumē vstum, pompholyx, plumbum vstum, stybij seu antimonij cinis, qui peculiariter cæcros absumit. Vitrioli genera, quæ pro chalcanto, chalcitide, misy & sory vsurpantur: adhæc ærugo & aris squamma, hydrargyrus sublimatus, & idem præcipitatus, atque cinabrium.

Quum igitur in vlcere aut putredo aut mollis fungosaque caro tantopere luxuriat, vt neque detergentibus, neque vehementer adstringentibus eximi tota possit, necessa-  
 20 rius est cathæreticorum vsus, quæ quicquid superuacuum est sensim exedant. Ex his simplicibus compositiones extant: vnguentum Apostolorum, vnguentum ægyptiacū: possunt & trochisci ex calce viua trita & melle excepta confici, qui acriori igne siccantur, & trochisci asphodelorum hac formula: ℞. succi radices asphodelorum ℥. iij. calcis viuæ ℥. ij. æruginis ℥. j. permista in trochiscos cōcinnentur qui sole feruente siccantur vel igne.

*Septica medicamenta. Cap. XVIII.*

**V**TRÉFACIENS medicamentum Græcis σντητικόν est, quod tum humorum tum corporis materiam labefactat, & cum foetore quodam corrumpit. Est autem id insito nobis calori aduersissimum, vt cuius vim atque substantiā  
 30 prorsus demolitur. Quod frigidissimum & veluti quarto est ordine, naturalem certè calorem extinguit, interim itque partem, idque sensim ac plerumque sine sensu. Septicum tamen id appellare non licet, sed id solum quod summa caloris acrimonia insitum nobis calorem aut dissipat, aut in igneum conuertit, simulque qualitate maligna humidum primigenium dissoluit, & omnem partis substantiam tabefacit atque colliquat & putredinem cum foetore inducit. Id igitur summi est caloris in substantia moderatè crassa: nam tenuior à nostro calore euinci facile dissiparique posset. hoc genere sunt, auripigmentum seu arrhenicum tum purum tum sublimatum, sandaracha, chrysocolla, aconitum, dryopteris, ptyocampe.

Hæc quidem licet vehementer calida, nec tamen caustica sunt, neque escharotica,  
 40 nec crustam in nuda carne gignūt: sed qualitate prorsus malignā atque venenata carnis quam attigerint substantiam corrumpunt & in putredinem cadauerosam deducūt, quæ multò deterior est quàm ex gægræna. Venenata autem eorum vis sensim intrò subiens præcordia visceraque ferit. Quocirca non nisi repressa crebra lotionem ex succo portulacæ, limonum, solatri, aut semperuiui vlli vlceri adhibēda sunt, debentque cerato leni permisceri, parua copia & in parte quæ à principibus procul absit. Maiore enim copia nec repressa in vlceribus cordi propinquis, vt in mammae cancro, illa præsertim arrhenicum & sublimatum mulierem diebus sex sustulisse notavi perinde ac si id haussisset. Horis circiter tribus ab insperso puluere vehementi rigore concussa, vomitione  
 50 mox tentari cœpit, & crebris animi defectionibus corripit, cum pulsu læguido, quæ dein sensim aucta, oborto extremarū partiū frigore, & facie reliquoque corpore supra modum intumescente miserè illā iugularunt. Periculosus omninò istorū vsus, nec certè ad chirurgiā necessarius, cū sine fructu vllò perniciofa sint: nec enim partē quæ attigerint vt caustica vrunt, nec crustam inducunt, sed quam corruerint ita relinquunt arte excidendam. Quocirca eiusmodi remedia prorsus exterminanda sunt, omniāque vel detergentibus: vel cathæreticis, vel escharoticis, vel causticis citra perniciē eximēda absumendaque sunt. *Aur si parū meticulosus est laborās & cōstanti animo, cōstantibusque*

viribus ea vel sectione vel candenti ferro demolienda sunt, quibus nulla in corpus aliena qualitas inducitur.

*Escharotica & caustica medicamenta. Cap. XIX.*



**E**XULCERANS medicamentum, quod Græcis ἐγκαρσινόν, nō modò nudam carnem vt cathēreticum absumit, sed & cutem ipsam diuellit. Vesicans id quodammodo efficit, sed leuius & ignauius, quòd ardoris vi humorē proli-  
ciat & solùm pustulas excitet. Escharoticum multò vehementius vrit vt iam crustas inducat, nec tamen infra cutem subit. Vtrumque summo & quarto est calidorum ordine, sed vesicans in tenui, escharoticū in crassa densaque sub-  
stantia. hoc ordine sunt, corticis fraxini cinis qui salua dilutus & parti cuius imposi-  
tus, cutem vrit sine pustula. Sabinæ crematæ cinis verrucas & duriora cutis tubercula  
exest: cinis è cremata vini fæce id ipsum quoque præstat exiguo humore liquatus. Sapo  
niger mistus pari portione salis marini triti, impositus cutem quoque vrit, ruptaque cru-  
stula sanies copiosa manat. Nitrum atque etiam eius succedanē quod est sal petræ ex-  
quisitus, instar pisi loco madido inductum, cutē diuellit & vrit inducta crustula. Fit autē  
sapo niger è calce, sale, oleo & seuo. Sapo autē albus è calce, cinere & seuo veruecino.  
Καυσινόν medicamentum est quod non modò summam cutem vt escharoticum, sed  
& veram quoque soluit atque dirumpit: nonnūquam & in subiectam carnem cauterij  
instar penetrat, non id quidem sensim colliquans & exedens, sed repentē exurens, cru-  
sta densiore inducta. Id quàm escharoticum vehementius est, feruentissimo calore præ-  
ditum in crassa terrenaque substantia.

Tria hæc igitur causticum, escharoticum & vesicans, quòd vires in cutem exerant, vno eodēque genere contineri par est, & solum agēdi vi distare. Quæ verò nō ipsam cutem sed solam nudam carnem afficiūt, diuersi planè sunt generis. Quum igitur qua-  
uis ex causa cutis aperienda fuerit, nec laborās sectionem vltionēve tolerare potest, inducto caustico medicamēto vri rumpique debet. In causticorū autē censu præcipua  
sunt, calx viua, vitriolum vstum, æs vstum, & quæ ex his fit aqua fortis Halchymistica.  
Ex his quoque lapis fit ruptorius qui sesquihorē spatio cutem penetrat. ℥. vitrioli vsti ℥  
ij. salis Armeniaci ℥ j. calcis viuæ, cineris è vini fæce an. ℥ iij. Tritis atque permistis affun-  
ditur lixiuuiū ficulneum aut tithymallinum, quod subinde colatur dum istorū materia  
tota ferè dissoluta sit: lixiuium deinde in olla noua aperta coquitur ac feruescit, dum  
crassescat atque lapidescat. In ampullam vitream & obduratam reconditur loco si eco-  
ne humidioris aëris attractu liquecat.

Cinnabrium, mercurius sublimatus & præcipitatus eius puluis integram cutem nec exulcerant nec diuellunt, neque in hunc ordinem, sed solùm inter cathēretica valentiora haberi possunt.

*Ad ambustā. Cap. XX.*



**S**ed igni seu aqua oleove feruente ambusta est corporis pars quæpiam, alia  
inflammationem sedant simulque extinguunt empyreuma, aut euocant,  
alia pustulas prohibēt & reprimūt dolorēque leuant, alia vlceras par-  
tes aut excoriatas dolentes leniunt & ad sanitatem perducunt.

Primi generis sunt potestate frigida omnia, vt aqua, acetū & ex his oxy-  
cratum, oui albumen, succus semperuiui, lactuce, endiuia, solani, hyoscyami, plātaginis  
& portulacæ, & horum aquæ stillaticie, terra quæuis obuia, sed maximè Cimolia & que-  
cunque leuis vt bolus armena commemoratum succo aquaue destillata aut oxycrato  
soluta & protinus illita, coriandrum viride, lenticula semicocta, cerusa, alumē aqua so-  
lutum cum oui candido, atramentum scriptoriū ex aqua, caphura. Atque hæc ab vstio-  
ne protinus arripiēda & repida applicanda, quia actu talia anodyna euadunt & empy-  
reuma foras euocant, deīn qua valent potestate ardorem extinguunt & inflammationē  
sedant. Vt enim ignis, si propius ipsi pars vsta admoueat, proprii inusti mali fit alexi-  
terium, eamque reuocato empyreumate dolore leuat: sic nonnulla impressum partibus  
ardorē foras calore prolestant, atque ita sedata inflammatione ambustis medentur, vt ari  
& porri illita folia præsentī sunt ambustis remedio. Capē cū sale cōrufæ ambustæ parti  
impositæ miraculo persanāt. Oleū quoq; sale addito idē efficit. Sābuci & ebuli contusa  
folia

folia & apposita idem præstant. Radicis etiam asphodeli decoctæ in oleo succus per-  
niones & ambusta sanat.

Frigidorum vsu quum partis ambustæ ardor repressus statim initio fuerit & mitiga-  
ta inflammatio, tum ea inducenda quæ pustulas prohibent simulque dolorem leniunt.  
Gluten quod ex tergoribus bouum fit pellucens & candidum, dilutum aqua ambustis  
vtiliter allinitur & pustulas prohibet. Ligustri, saluiæ, myrti singulorū cruda folia cera-  
to vel adipe suillo excepta, quia & sedandi doloris & reprimendarum pustularum vim  
habent, ambustis vtilissimè imponuntur. Eadem viridia contusa, & maluæ & papaueris  
corniculati, admista axungia aut cerato efficaciter quoque ambustis illinuntur. Mori folia  
10 ad ambusta teruntur ex oleo vel aceto linenda: sic maluæ folia oleo incōcta & trita sacris  
ignib⁹ & ambustis vtiliter imponuntur. Lactuca cū sale illita prodest recens ambustis: &  
helxine admota. Hyperici folia cū semine, & althææ cū pauco oleo illita sanāt ambusta.

Pulticula ex hordei farina ambustis ex vino prodest, & ex oui quoque candido. Ovi  
crudum cum sua testa tritū & illitum, & virides platani pilulle cum axungia sanāt am-  
busta. alba & nigra oliua prodest ambustis trita & oblita, quod empyreuma eliciat &  
pustulas reprimat. Gummi spinæ ægyptiæ ambustis quoque prodest, quod dolorem le-  
uet, & pustulas gigni prohibeat illitum cum ouo. Arctium & verbascum & ex floribus  
huius destillata aqua pernionibus & ambustis commodè imponuntur. Lilij radices to-  
stæ cum rosaceo ambusta persanant, idem decoctæ folia præstant.

20 Herba cucullus vulgò appellata, charta conuoluta & subcineribus cocta, dein con-  
tusa & addito oleo ambustis inducta intra triduum persanat. Thus quia anodynum &  
adstringens ambusta pernionisque cum pingui suillo aut anserino subactum percurat.  
Ruta in olei libra vini sextario cocta commodè fouentur partes quas penetrabile  
frigus adusserit. Ambusta aquis feruidis si statim ouo occupentur pustulas non sen-  
tiunt, admista præsertim hordeacea farina & salis momento. Chrysanthemi flos vtili-  
ter ambustis cum melle imponitur.

At verò pars si iam pustulosa aut excoriata vlcera tave est, quæ leniunt & moderatè  
siccant vsurpanda erunt, qualia metallica vsa & lora, leni & blando liquore excepta.  
Calx aqua rosarum aut plantaginis lota & rosaceo vnguento subacta, blandū fit pustu-  
losis & vlceratis remedium: efficacius fiet si vituam eam & illorū cerato liquido exce-  
ptam parti pustulosa inducas, aut myrrham tritam cum vino rubro adhibeas, aut hyo-  
30 scyami viridis succum continenter illinas. Magnes quoque crematus & tritus, & hæma-  
tites, & ostreorum cinis commodissimè ambustis insperguntur. Ovis in aqua duratis &  
putaminibus in pruna exustis, tum lutea ex rosaceo aptè illinuntur. Frumētum tostum  
in ferro & tritum è vino vlceratis præstātissimo est remedio. Betæ folia in vino cocta &  
trita vtiliter excoriatis illinuntur: eiusdem succus rosaceo liquido paulatim instillatus  
quantum combibere potest, illis quoque remedio est. Folia myrti puluerata aqua rosa-  
rum perfusa blandè exiccant & cutim nutriunt. Hordeum tostum, tritū ex oui candido  
vtiliter illinitur. Ficus cum cera & rosaceo subacta ambustis cicatricem obducit. Cinis  
sarmentorum vitis & vinaceorum ambustis cum rosaceo prodest, idem brassicæ radi-  
40 cum cinis & folia decoctæ, & coriandrum cum lacte muliebri præstant.

Cyclamini radices cum semperiuo tritæ ambusta sanant, ita vt cicatrix fallat: idem  
quoque præstat calida admota plantago, & beta. Gallarum puluis intertrigines & am-  
busta excoriata inspersus sanat. Cinabaris cum sanguine draconis illitus. Hederæ flores  
ex cera. Lactis cremor cum hordei combusti cinere. Laridum ad flammam liquatum  
dum destillet, aqua rosacea exceptum. Oleum ex induratis ouorum vitellis & mortario  
plumbeo contritis, tandè in sartagine frixis, vbi crustæ deciderunt pustularum,  
eruo cum melle aut iride vlcus expurgandum, tandè sicco linamento.

Ad hæc compositiones paucè extant, oleum rosaceum, oleum è tartaro, oleum myr-  
50 tinum, oleum ex ouis, vnguentum populeum, vnguentum rosaceum, album rasis, dia-  
pomphyligos & *ἰακωθίων* emplastrum è cerusa, de minio, diachalciteos & nutritum ro-  
saceo aut aqua plantaginis soluta. Ex tempore verò ex cerusa, oleo myrtino, adipe suillo,  
spuma argēti & cera optimum ad perniones & ambusta comparabitur vnguentum,  
vel sic: ℞. mucilaginis seminis cydoniorum & tragacanthæ an. ℥.β. olei ouorum & ne-  
nufaris an. ℥.j. misce in formam vnguenti. Item ℞. ficus aridas quot volēs, cum cera eli-  
quata subiguntur in ceratum.

METHODI MEDENDI LIBRI SEXTI FINIS.

Rr ij

# Methodi medendi liber vij.

## DE COMPOSITIS MEDICAMENTIS.

### PRÆFATIO.



**D**RÆCLARIS olim viris qui tum medicinæ tum chirurgiæ usu & exercitatione celebres euaserunt, præcipuam curam summumque studium fuisse comperimus, vt ad difficiles quosque affectus peculiaria sibi remedia quasi thesauros reconderent, vt sælici operum successu, nominis sui dignitatem & gloriam auferent atque tuerentur. Ea licet vnusquisque domi conficienda curaret, & tanquam arcana haberentur, tempore nihilominus annorumque numero, aut morte, aut precibus: aut præcio, aut commutatione, aut aliis plerisque modis cognita inuulgataque fuere. Hinc verò abij publicis mortalium commodis potius addicti, sparsas medicamentorum compositiones quæ iam passim innotuerant, congerendas esse duxerunt, operamque nauarunt vt è celeberrimis authoribus optimas & quamplurimas in libros quosdam medicamentarios referrent. Ita quidem Scribonius Largus & Actuarius & Nicolaus Myreplus & Nicolaus Præpositus opera sua concinnarunt. Hoc labore fieri haud potuit quin ex variis authoribus complures non admodum dissimiles in eundem usum compositiones adducerentur, vt syrups effectus eiusdem, & pharmaca multa ex aloë, nec pauciora è scammonio, aut è colocynthide, aut turpetho, quæ sola componendi ratione, aut simplicium quorundam varietate distant, & electaria quoque & emollientia, & detergentia multa, quorum præcipua vis ex æruginis est, & quæ aliorum simplicium sola immutatione variant, vt est cuiusque authoris arbitrio concessum. Sic igitur multa tandem congesta fuere, quorum pars maxima ociosa & superuacua. Conducibilius autem erat in quouis genere optima quæque seligere, cæteris vt inutilibus prætermittis. Sed & hac remediorum congestione affectus complures omni ope destituti manent, ad quos nimirum non satis accommodata remedia inuenta fuissent. Ea siquidem multorum hinc inde colligendi cura, empirices quodammodo imitatrix & æmula, nullo delectu nullaque methodo adhibita, nec morbis, nec symptomatis, nec eorum causis remedia accommodauit, nec eorum genera ex illorum differentiis cõstituit. Neque præterea quid vnaquæque compositio aut vtile aut superuacuum, aut gratum, aut insuaue contineret, vsquam expendit, sed quales ab indoctis plerumque viris vsurpatæ fuerunt, nullo adhibito iudicio recepit atque comprobauit. Ex his quoque plurimas nonnulli suo quique arbitrio inuerterunt atque deprauarunt: vix vt nunc vlla restet pharmacopœis certa componendi ratio, & nondum rata aut stabilita sit ea medicine pars quæ in primis est ad curandos morbos necessaria. Hoc quum multi passim reformandum esse iudicarent, dedi operam vt compositiones quemadmodum & superiore libro simplicia arte traderentur: & quæcunque vtilis vsuque faciles existunt, pristinam formam retinerent: quæ verò distortæ recta censura in meliorem formam aptaretur, nec quicquam aut superesset aut deesset ad morbos eorumque causas & symptomata profliganda necessarium. Itaque non omnes veterum monumentis tritas compositiones, sed præcipuas duntaxat persequor, nouas plerumque adiicio, vt opus omni medicamentorum genere compleam: plurimas circumcido quæ sub his comprehensæ confusam & indigestam multitudinem reddunt. Inuulgata earum nomina retinui, sed non iisdem vbique aut simplicibus aut ponderibus, quandoquidem vt curandis morbis aptiores essent atque suauiores, quædam in plerisque commutanda fuerunt. Vt tandem pharmacopœorum commoditati quodammodo responderem, in classem vnã syrups, in alteram pharmaca, in aliam electaria, & reliqua in suam quæque classem digessi, vnde rursus deprompta facillè possint in medendi usum referri.

DE SY-

**S**YRVPVS acidus simplex omnes tum calidos tum frigidos humores preparat, & quodam robore attenuat, eorum putredinem coërcet, bilis ardorem febriumque æstus & sitim lenit obstructas vias expedit, altè in omnia penetrat, vrinas sudoresque à purgatione ciet. ℞. aquæ purissimæ lib. quatuor sacchari albi lib. quinque, coquantur dum expumauerint & dum aquæ dimidium superfit: ac tum affunde aceti vini albi lib. tres. Rursus coquantur in syrui crassitudinem.

## IN SYRVPVM ACIDVM SCHOLIA,

AVCTORE GVIL. PLANTIO.

**S**YRVPVS & iulepos multaque alia tam simplicia quàm composita medicamenta inuenta Arabum esse vel appellatio ipsa barbara manifestò ostendit. Longo tamen antè tempore veteres Græci & ex eadem materia & in eisdem vsus sua habuerunt apozemata: quæ quòd præparandis ad purgationem tum corporibus tum humoribus accommodarentur, propotismata ipsis sunt appellata, quasi purgationibus præuias potiones dicas, quòd recta medendi ratione viam medicamentis purgantibus sternant. Ita Galenus origanum, hyssopum, pulegium, calamintham in mulsâ & oxymelite incoquit ad purgandi corporis præparationem. Et, si ipsi credimus, Archigenes, Antonius Musa, aliique complures prisca medici ex cichory, anethi, iridis, chelidony, & similibus herbarum succis cum mulsâ dulciculas eiusmodi potiones egrotis conscribent ad varios hepatis aliarumque partium affectus. Et Dioscorides radices comasque plantarum in aqua decoquit & feruefactum ius excolat, deinde vel per se, vel mulsâ & melle dulcoratum exhibet, aut vt recondatur, tam diu decoquit dum ad mellis crassitudinem peruenerit. Ut hæc tria apozema, syrupus, iulepus solo conditura modo inter se differant. In apozemate enim propterea quòd pro re nata ex tempore ferè decernitur in tres quatuorve doses partiendum, ad conditura satis erit si sacchari aut mellis trientem recipiat, vt subduplum scilicet saccharum sit ad excolatum decoctum aut expurgatum succum. Syrupum verò qui vt asseruari diu possit perfectiorem cocturam desiderat, tantundem aut minus aliquanto sacchari vel mellis obtinere par est atque colati decocti aut purificati succi. His quia dilutior, penetrabilior & delectabilior iulepus est, solum propterea sacchari sextantem aut pro saccharo conuenientis syrui partem modum recipere abundè fuerit, vt subduplus sacchari modus sit ad decoctum accommodatum aut aquas stillatitias.

His verò omnibus ex decoctis & succis platarum & fructuum comparatis potionibus mel & saccharum adduntur, non ad conseruationem solum aut gustus & saporis suauitatem & gratiam, sed ob proprias etiam mellis & sacchari vires quas ipsis impertunt. Quum enim duo hæc quotidiano propemodum vsu cõsueti nobis sint & familiaria non vt condimenta solum, sed etiam vt cibaria, vtraque utique ratione potiones quibus hæc admixta fuerint, vires naturales in morbis sopitas & languentes exuscitant & erigunt, naturamque calorem qui solus morbos concoquit & mitigat recreant, crassaque extenuando & viscosa extergendo & obstructa expediendo, purgationes quàm facillimas præstant. Atq; hæc à melle & saccharo facultates eiusmodi potionibus accedunt, suas & ipsis ad varios vsus haud paruas utilitates habentibus, quas singulis describendis auunculus ipse operis auctor declarabit, eo seruato ordine quem & componendi ratio postulat, & medendi methodus præscribit. Nam quum simplex prius natura composito existat, & recta adhiben-

Rr iij

dorum remediorum ratio alia aliis ordine vsurpandis praeponi velit, à simplicioribus & iis quae recta medendi via praemittuntur orationem exorsus est, eandem toto opere in ceteris rationem seruaturus, à Syrupo acetoso simplici ducto initio. Nam apozemata & iulepos hoc loco silentio praeterit, quòd in praesentia de iis medicamentis solum sermonem instituat quae apud pharmacopolas in longum tempus asseruantur, & alioqui singularum partium morbis conuenientia apozemata supra sunt ab auctore tradita. Et quamuis condita quas conseruas vulgò appellant, & ex herbis & fructibus condititij quidam succi ἀποζωύσματα Graecis dicti simpliciores sint Syrupis, ob eamque causam praeponedi videantur, post purgationes tamen quia ferè instituuntur ad partium robur tuendum aut etiam conciliandum, ideo auctori consilium fuit in alium locum reuicere, ita scilicet medendi flagitante methodo. <sup>10</sup>

Inuenti autem sunt Syrupi ut in promptu essent quoties his vtendi occasio incideret: quòd herba earumque radices & fructus quouis tempore ad manum praesto non adsint, & quum suppetunt, vrgeat adeò interdum necessitas, ut ex his apozemata & iulepos parare non patiatur. Primo autem loco Syruporum compositiones traduntur quae praeparandis ad purgationem humoribus conueniunt: deinde verò quae partium singularum expurgandis reliquiis, quaeque tuendo ac conseruando illarum robori accommodantur. Atque haec generaliter de Syrupis. Particulatim verò Syrupus acetosus simplex non è solo aceto & saccharo (quemadmodum & alij acidi) componendus erat, sed adiicienda fuit aqua quae aceti vim & acrimoniam temperaret. Cauendum ne pro aceto albo destillatum imponatur, quod acerrimum interiora omnia ferit non parua sumentis pernicie. Cauendum etiam ne aceti plus adiciatur, siquidem hac mensura aequabilis visa est. Si quis autem aceti acorem suspectum habeat ne penetrabili suo frigore molli carne corpora, quale puerorum & mulierum, praecipueque in ipsis vterum offendat (ἵσπαζις enim acetum est Hippocrati) poterit vtendi tempore permistione aquae dulcis aut stillatitiae aut etiam conuenientis decocti quàm dilutissimum Syrupum hunc reddere, aut pro eo oxysaccharo vti. Syrupus acetosus compositus descriptus hic non est ne pharmacopaeos inani iactura oneret. Nam addita portione Syrupi è radicibus compositus euadet & in vsus eosdem aptus. Id quidem auctori consilium fuit compositiones omnium quàm optimas ad summa quaeque morborum causarumque genera proponere, ut nihil prorsus maneat remedijs destitutum. <sup>20</sup> <sup>30</sup>

At verò inanem & superuacaneam compositionum farraginem vndique eorum more corrogare qui incompertis nec comprobatis remedijs inconsideratè chartas implent, onerosum nimis pharmacopaeis, studiosis verò indistinctum & confusionis plenum fore existimauit.

SYRVPVS è succo limonum minùs quàm acetatus extenuat ac penetrat. at bilis feruorem corporisque æstum ac sitim magis restinguit, & ardentium febrium putredinem pestilentiumque malignitatè magis cohibet: oris praeterea ventriculi & cordis principumque partium robur tuetur, nauseam, vomitionem animi defectionem & syncopen arcet: peculiariter verò renes expurgat, & vrinam ducit. ℞. succi limonum expurgati & cololanco sponte sua transmissi lib. vij. sacchari albi expurgati lib. v. lentò coquantur in Syrupum.

## PLANTIVS.

40

Syrupi de limonibus, de acetositate citri, de granatis acidis, de aurantiis, de omphacis, è succo oxalidis, oxyacanthae & de ribes: omnes quidem acidi, è succis fiunt qui aut residendo aut colando clariores purioresque sinit redditi, his deinde par sacchari modus aut etiam minus additur sine aquae permistione, propterea quòd aciditas ea minimè infesta est, sed suavis & cardiaca. Et minus quoque diluetur sacchari (quemadmodum in iulepis) si diutius

si diutius succi conseruari possent. Sunt qui succos præpurgant residendo & insolando, aut per spumantia albumina colando, aut etiam leuiter solum exprimendo, ut in proteropo vino fit. Deinde cum saccharo expurgato, id est ex equali aqua cocto, dein clarificato, tandemque in iulepum percocto, paulatim admiscentes bacillo versatili agitant dum comprehendantur & vna cœant: aut cum saccharo propè percocto parum coquunt: aut etiam cum primario saccharo (quale Maderanum) eo tantum vsque coquunt dum colliquefactum saccharum sit & planè dilutum. Atque eo modo Syrupus è limonum & citriorum succo, Syrupus acetatus simplex & iulepus rosatus albißimi fiunt: granatorum verò, oxyacantha, de ribes, & è rubro aceto vt genuini coloris gratiam retineant, minus sunt diu ad  
 10 misturam pistillo conuerberandi. Atque conficiendi hæc ratio in succis quidem fructuum præcipueque acidis locum habere potest. alij verò vt herbarum & radicum succi maiorem ad Syrupos præparationem requirunt, atque bis coquendi sunt, semel per se ad tertiã ferè partis consumptionem: deinde vbi colando & residendo declarati fuerint, cum optimo saccharo in Syrupum percoquendi: alioqui facillè corrumpuntur, & situm contrahunt.

SYRUPUS qui sequuntur ex acidis quæque succis comparati, superiores vires imitantur: vt Syrupus è succo citrij acido, Syrupus è granatis acidis, Syrupus ex auranciis, Syrupus ex omphacio, Syrupus è succo oxalidis. Peculiariter tamen Syrupus è succo citrij acido febris æstum, putredinem & malignitatem restinguit: Syrupus de granatis acidis ventriculum & viscera magis corroborat, vomitiones & animi defectiones sedat: Syrupus de auranciis cardiacus magis est & suauis. Syrupus ex omphacio sitim magis compescit: Syrupus è succo oxalidis bilem obtundit obstructionesque soluit: Syrupus è ribes suauior & adstringentior. Vna eademque omnium conficiendorum ratio, in succo enim cuiusuis expurgato sacchari aliquantum minus diluitur: hæcque stannato vase  
 20 excepta igni dantur, sensimque percoquuntur in Syrupum.

OXY SACCHARUM simplex mistas tum attenuandi tum obtundendi & corroborandi vires sortitur, mystæque humorum materiæ, hincque ortis febribus erraticis confert. ℞. succi mali punici acidi ℥ viij. aceti ℥ iiij. sacchari albi & puri lib. j. coquantur in Syrupi consistentiam.

## PLANTIVS.

30 Oxy saccharum easdem quas Syrupus acidus vires obtinet, sed inferiores præterroborendi vim qua præstat: propterea morbis æstiuis & mollioribus corporibus eius quàm Syrupi aciditior vsus est. Ne tanta Syruporum varietas frustra asseruetur, auctor rectè ac prudenter oxy saccharum compositum, oxymeli compositum & oxymeli scylliticum compositum prætermittit. Nam quum ex vsu esse putabuntur, medicus illa expedite componet atque præscribet, oxy sacchari ℥ j. & Syrupi de radicibus maioris ℥ ij. vel Syrupi adiantini ℥ j. b.

40 OXY MELI simplex crassos humores valdè extenuat, lentosque detergit, & veteres soluit infarctus, crassa è pectore ducit, asthmatis contumacibusque febribus accommodum. ℞. aquæ purissimæ, mellis optimi añ lib. iiij. coquantur expumando dum aquæ dimidium absumptum sit: ac tum affunde aceti acertimi lib. ij. rursumque expumando percoquantur in iustam consistentiam. Dilutius verò quod fit, habet aquæ purissimæ, lib. i. mellis ℥ iiij. aceti ℥ j. b. eaque despumando leuiter coquuntur.

Oxymeli scylliticum simplex multò validius crassa attenuat, & ad omnia quæ dixi confert. Id ex aceto fit scyllitico quod melli ex aqua cocto despumatòque affunditur, percoquiturque vt alterum. Vtrumque autem compositum reddetur adiecta dupla portione Syrupi è radicibus maioris.

## PLANTIVS.

Aceti mulsi quod oxymeli vocant, rarior nobis vsus est quàm fuit veteribus, quibus

Rt iiij

*Syrupus acetatus* nondum comparatus erat, qui detergendi vi qua mel saccharo præstat excepta, cætera quæ oxymeli habet minimè inferiora, aliâque præterea non parui ad febres momenti. Quod autem hodie passim in pharmacopolys asseruatur acetum mulsum, ingratum planè est: siue id nimia eius crassitie ex multa coctione nata accidat, siue etiam acore eius nimio, qui non perinde nostratis mellis atque sacchari permistione hebetescat & obtundatur. Quanta vis enim aqua dulci aut decocto accommodato crassum istud oxymeli diluas, nunquam tamen similiter gratum & potabile atque syrupum acidum effeceris. Dilutius verò quod in rem præsentem fit à nonnullis & oxymeli Galeni appellatur, id in omnia penetrantius multo est & iucundius, parua enim coctione quum non crassescat, sed in eo aquæ fluxilitas seruetur, quam aceti adiuvat tenuitas, & mellis præ- 10 terea spurcicia omnis partim spumæ detractioe partim clarificatione detergeatur, tenuissimum propterea simul & lucidissimum euadit, si mel præsertim album & acetum album receperit, & pauco aceti acore gustanti fit minimè molestum: frequentiore tamen eius usu & pleniore haustu stomachum offendi constat, iis præsertim quibus ventriculi os natura est admodum sensibile: vnde eius in febribus, ceu acetosius ceu mellitius pares, parum tutus est usus. Mel autem probum deligatur quod inter crassissimum & tenuissimum sit mediocre, sapore dulcissimum & acerrimum, simulque dulcedinis sensuum inferens & vellicatu pungens linguam, colore pallidum aut subrutilem & pellucidum, odoratissimum & recentissimum, quòdque sublatum non facile ob sequacem lentorem ab- 20 rumpatur, pondere graue, vnde in imo vasis quod sedit supernatante pretiosius, & inter coquendum spumæ parum emittens. Nostris tamen temporibus candidissimum mel & suauissimum verèque aromaticum, liquidissimum maximèque fluxile, albam & duram crustam ducens, ex Lusitania & Cedano Antuerpiam deportari cœpit, quod bonitate Attico & Siculo minimè cedit: verum id iam institores vt pleraque alia nostrate sæpius abluendo & dealbando mentiuntur, quam eorum fraudem insuauitate odoris & gustus deprehendes. Huic bonitate & colore proximè accedit mel Narbonense, & hisce etiam regionibus quòd è fauis sponte primum defluit virgineumque mel vulgò appellatur. Im- 30 probius verò mel coctione melius redditur: vsusque despumati semper aptior, nisi stomachum inflaret in eo diutius immorans, æstuosumque esset & bilem auget. Mel pueris non tineosis & senibus accommodum, aluum & vrinas mouet, caloremque natium suscitatur & tuetur, & longam prorogat senectam. Picrocholis verò & iuuenibus, quod facile in bilem conuertatur, aduersum.

**SYRVPVS** è cichorio moderatè refrigerat, viscera omnia leni adstrictione corroborat, detergendo aperiendòque iccoris aliarumque partium infarctus soluit, bilem eluit & ad purgationem præparat, iniitiis acutarum ardentiumque febrium & pestilentium accommodum atque salutare. ℞. totius intubi agrestis, quod cichorium vocant ꝑ̄ iij. radicum oxalidis, graminis & asparagi contusarum añ ꝑ̄ ij. lichenis, eupatorij, intubi satiui, quod endiuia vulgò appellant, seriolæ, cicerbitæ, lactucæ satiucæ & agrestis, adianti albi, adianti nigri, adianti simplicis & saxifragi, lupulorum, cassutæ añ. 40 m. j. coquantur omnia in lib. x. aquæ dum ad sex redeant. In expresso iure dissolue sacchari albifis lib. vj. coquantur in syrupum clarificatum.

## PLANTIVS.

Quum *Syrupus* è cichorio crebrò in usum veniat descriptione Nicolai Florentini aut Gulielmi Placentini, & vterque ex confusa quadam simplicium tum calidorum tum frigidorum miscella atque etiam ex rhab. constet, vix vt dici possit in quem præcipuè effectum sit accommodandus: non præter rationem hîc descriptio immutata est, & prorsus ad eos effe-

eos effectus comparata qui titulo rectè enunciantur: ad quos propter radices calidas alio-  
 rum neuter decerni potest. Si fortè acidus desiderabitur, huic Syrupi acetosi vel oxysac-  
 chari triens permiscebitur: aut si paulò calidior vel magis penetrans velut ad compli-  
 catos affectus, Syrupi è radicibus tantundem, vel etiam semis affundetur. Rhabarba-  
 rum autem si vsquam addendum esset, vtendi tempore potius aduciendum videretur  
 quàm parandi, quod eius purgandi vis & coctione & diutina asservatione vanescat, & ad  
 præparationem humorum hic Syrupus non ad purgationem comparatur, roborandique  
 vis insit maior in rhabarbaro quàm quæ præparatorio propotismati conueniat. Sed ne  
 vtendi quidem tempore per se vtiliter permisceri potest, quia purgandi eius facultas  
 10 nullas aut certè perexiguas vires sit habitura, obstante videlicet nimia Syrupi crassitudi-  
 ne. Eadem de causa Syrupus ipse ad eos affectus ad quos describi solet non ita efficax per  
 se fuerit, quemadmodum si decocto conueniente diluatur & iucundior reddatur. Nul-  
 lo itaque agrorum commodo, sed solo dispendio faciunt qui singulis Syrupi libris 3j. rha-  
 barbari incoquunt, eamque interdum mensuram non duplicant modò & triplicant, sed  
 quadruplicant etiam & sextuplicant contra omnium codicum fidem, qui pro quaque  
 lib. tantum 3iij. permiscendas esse iubent. Hallucinantur & qui Syrupum hunc è solo ci-  
 chory succo componendum esse contendunt, haud dissimiliter atque Syrupum è citriorum  
 succo: qui in eo licet veritate maximè nitantur, quòd componendis medicamentis mul-  
 20 torum simplicium inter se pugnantium congeriem reiciendam esse ducant, ideoque Gu-  
 liel. Placentini & Nicol. Florentini è cichorio compositiones vt discrepantes temerèque  
 & citra rationem institutas repudient, non tamen propterea è cichorii succo compo-  
 sitio in earum locum substituenda est: quum ad eos effectus quos Syrupus de cichorio præ-  
 stare comperitur, rectè præstitui non possit. Sive enim ad purgationem præparanda bi-  
 lis est, iecorisque & aliarum partium obstructiones liberanda, sive moderate refrige-  
 randum & roborandum, vt acutarum pestilentiumque febrium initio, quid horum  
 quæso efficere possit eiusmodi succus, qui diu & vehementer contundendo agreque ex-  
 primendo primum crassior redditus: deinde per se ad tertie partis consumptionem  
 feruefactus, tandèmq; ad Syrupi crassitudinem cum saccharo percoctus, omnis pro-  
 pmodum virtutis suæ iacturam vaporando fecerit: tantundem fere ac ipsum merum  
 30 saccharum. Secus habet in decoctis & succis fructuum præcipueque acidis qualis ci-  
 triorum, limonum, granatorum & similium succus est. Hi enim integras vires suas in  
 Syrupos conferunt, quum nec pressu substantiæ tenuitatem, nec coctura facultatem a-  
 mittant, quemadmodum supra adnotauimus. Decocta verò quòd multorum simpli-  
 cium vires recipiant, & propter aquam tenuiora sint & fluxiliora, similiter non crasse-  
 scunt nec vires deperdunt coquendo. vnde & ex his constantes Syrupi præparandis ad  
 purgationem corporibus magis conueniunt: qui verò ex aliis succis fiunt, post purgatio-  
 nem patente iam & fluxili corpore, rectius in eos vsus decernuntur, quos singulis descri-  
 bendis auctor commemorat.

SYRVPVS intubi domestici bilem obrundit, iecur refrigerat, expurgat atque cor-  
 40 roborat, icterum & è iecoris obstructione ortos morbos per sanat: post purgationem v-  
 tilis, & concocta iam quodammodo febrium aliorumve morborum materia. ℞. endi-  
 uiæ recentis, feriolæ, lichenis, lactucæ, agrimonij, cicerbitæ, hieracij añ. m. j. s. quatuor  
 feminum frigidorum maiorum añ 3j. fantali albi & rubri contusorum, rosarum ru-  
 brarum añ 3ij. coquantur ex viij. lib. aquæ ad dimidias. Adde colato iuri sacchari albi  
 lib. iij. Rursum pariter coquantur, despumentur expurgenturque, coquendo adde  
 succi endiuiæ residencia purgati lib. j. Postea succi granatorum acidorum puri & defe-  
 cati 3iij. percoquantur in Syrupum.

*Syrupum hunc endiuia tamen si incerti auctoris, componendum tamen atque reser-  
uandum idcirco putauit, quod summa ratione descriptus videretur, atque ita plus effica-  
citate habiturus quam si è solo endiuia succo constaret, ut nonnulli volunt: omnibus ieco-  
ris vitis persanandis post corporis purgationem utilis, atque biliosorum morborum reli-  
quii expurgandis, imprimisque cutis scabiei & prurigini accommodatus.*

**Syrupus** byzantinus mistas vires sortitus tū iecori tū lieni expediendo expurgan-  
doque comparatus, idque post purgationes: ictero & arquato nigro & diuturnarum  
februm reliquiis peculiaris. ℞. succi intubi satui & apij añ lib. ij. succi lupi salictarij 10  
& buglossi añ lib. j. coquendo purgentur dum inclarescant & cum sacchari lib. tribus  
syrupus fiat.

## PLANTIVS.

*Interpres Mesua negat in febris ante diem septimum syrupo byzantino vtendum  
esse, sed communiter in compositis febris statim initio apparanda materia vsum fo-  
re syrapi acetosi simplicis cum feniculi decocto & tertia parte mellis rosati. Post pur-  
gationem verò, quia hepaticorum & splenicorum reliquias valide expurgat curatio-  
nemque complet, vtilissimus futurus est Syrupus hic byzantinus percurandis vtriusque  
visceris morbis solutu contumacibus, qualis icterus est & arquatus niger, addito præser-  
tim syrupo è radicibus. Compositus prætermisus est quod simplicis vim peruertat summi- 20  
que habeat aceti.*

**Syrupus** scolopendrij crassam terrenamque melancholiam extenuat, mollit, flu-  
xamque reddit, lienem obstructione liberat, tumentemque soluit, melancholiam, quart-  
tanis diuturnisque febris apprimè utilis. ℞. polypodij è quercu, radicum vtriusque  
buglossi, corticis radicum capparis, corticum thamarisci singulorum ℥ ij. scolopendrij  
veri m. iij. lupi salictarij, cassuthæ, capilli veneris, melissophylli singul. m. ij. coquantur  
in aquæ lib. ix. dum ad quinque redeant. Colato adde sacchari albi lib. iij. percoquan-  
tur in syrupum expurgatum & clarum.

## PLANTIVS.

*Syrupum scolopendrij rectè & magno vsu compositum huc retulit, quod nullus apud 30  
pharmacopæos extaret veterum descriptione ad terrenam melancholiam præparationem  
accommodatus. Est autem verum scolopendrium asplenium Dioscoridis, & officinarum  
ceterach.*

**Syrupus** è radicibus lentam crassamque pituitam terget & extenuat præparat-  
que. Iecoris omniumque viscerum obstructiones soluit, tumoresque summittit, fædos  
virginum colores expurgat, vrinas ciet, febres quæ ægrè soluntur inueteratosque af-  
fectus finit. ℞. radicum apij, feniculi, petroselini, rusci & asparagi añ ℥. iij. radicum cap-  
paris & rubiæ añ ℥. ij. coquantur in lib. x. hydromelitis diluti dum redeant ad lib. vj. &  
cum sacchari lib. v. clarus fiat syrupus. 40

## PLANTIVS.

*Quum duo tradantur syrapi è radicibus, vnus è duabus petroselini & feniculi, alter è  
quinque, priorem consultò prætermisit vt parum efficacè & paratu facilem si res postulet.  
posteriorem vt efficacem seruandum putauit, cui vt efficacior existeret, & ad plures affe-  
ctus vtilior, capparis & rubiæ radicem rectè adiecit. Acetum reiecit quod plerunque si-  
ne eo desideretur: quodque si res postulet facile ei syrapi acetosi portio præscribendo admi-  
sceri possit, & interdum aliorum quoque permistione temperari.*

**Syrupus** adiantinus moderato calore omnes æquabiliter humores quacunque  
corporis

corporis sint parte leuiter incidit atque deterget: cuius incipienti morbo & cuius naturæ, ætati, regioni, atque etiam prægnanti familiaris. ℞. adianti albi m. iij. adianti nigri, adianti simplicis, saxifragi, betonicæ, pinpinellæ, asplenij añ. m. ij. coquantur ex aqua lib. viij. dum ad quinque redeant. In expresso solue sacchari albi lib. iij. mellis optimi expurgati lib. β.

## PLANTIVS.

Syrupi capillorum veneris artificiosa descriptio quom nulla extet, his utiliter hæc inserta est: quæ lectissimorum simplicium in varios effectus tum substantia tum temperamento conspirantium delectu absoluitur. Unde præparantium syruporum hic omnium  
 10 maximè est à vario & multiplici vsu polychrestus, ad quarumcunque partium, præcipue verò thoracis, iecoris, lienis, renum & vteri quosuis affectus, omni ætate & natura utilis. Sed & ipsius ea est prærogatiua vt aluum in eius vsu aliquandiu perseueranti soluat, & humores non solum præparet, sed præparatos etiam exigat, imprimisque crassam pituitam & bilem, quemadmodum recentioribus medicis quibusdam & nobis ipsis  
 20 artis tractandis operibus sæpenumero obseruatum est, quem quidem effectum pariter præstat quom adiantorum omnium decoctum, tum albi maximè: quamuis contra Dioscoridi tradatur aluum sistere. Caterum qui vel vvas passas vel glycyrrhizam adiantis permiscant in syrupum, y quamplurimorum affectuum alioqui communem, paucorum  
 proprium efficiunt, eiusque arctant vsum quàm latissimè aliàs patentem: ac tenuandi & detergendi vim ipsius istorum permistione obtundunt. Rectius itaque ex solo adiantorum  
 decocto syrupum hunc conficerent, qui ceu communis materia ipsis asseruaretur ad cuiuscunque generis affectus, deinde quom res postularet peculiari decocto ad huius aut illius partis affectus accommodarent: ad thoracis (exempli causa) passularum aut glycyrrhizæ decocto: ad iecoris, agrimonij aut cichorij: ad lienis, aspleni aut tamarisci: ad renum, vrinæ aut arenulas promouentium. Ita enim decocto conuenienti syrupi vis  
 communis parti cuiuspiam simul destinatur & augetur, quæ in descripto syrupo inest longè efficacissima.

Hæc syruporum compositiones præparandis ad purgationem humoribus sunt aptæ. Nunc autem qui syrupi partium singularum expurgandis reliquiis conferant tradendum.

30 SYRVPVS è stæchade cerebri atque neruorum affectibus frigidis, vt paralyti, epilepsia, conuulsioni, tremori & destillationi è capite quouis procumbenti mirè conducit. ℞. florum stæchados ℥ iij. thymi, calaminthes, origani añ ℥ j. saluiæ, betonicæ, florum rosæmarini añ ℥ β. seminis rutæ, pæoniæ, feniculi añ ℥ iij. coquantur ex aqua lib. x. ad dimidias, expressum ius cum sacchari & mellis singul. lib. duabus denuò coquatur in syrupum. Condiatur cinamomi, zinziberis, calami odorati añ ℥ ij. quæ raro linteo illigata in syrupum sint appensa.

## PLANTIVS.

40 Syrupo ex stæchade quod parum capitalis esset alia quædam non præter rationem adiecit, saluiam, betonicam, rosæmarinum, semen rutæ, pæoniæ & feniculi variis cerebri & neruorum affectibus multum profutura. Alias non video quamobrem capitis affectibus destinari debeat hic syrupus quom stæchas, quæ primas in hac descriptione tenet, estque velut basis syrupi, veterum auctoritate hepatica sit potius aut splenica quàm cephalica. Ad viscerum enim omnium obstructions imprimis commendatur, quas substantia tenui & ignea facile aperit, simulque altera subadstringente terrea interiora omnia roborat. Ad condituram autem si calamus aromaticus deerit, substituatur nux moschata, quæ roborandi cerebri vim habet præcipuam.

SYRVPVS rosarum siccarum calidos cerebri affectus temperat, sicim extinguit, ven-

triculum roborat, somnum conciliat, tenues defluxiones cohibet. ℞. aquæ simplicis lib. iij. in qua tepida macera horis xxiiij. rosarum rubrarum arefactarū lib. j. In expresso solue sacchari albi lib. ij. coquatur in syrapi consistentiam.

## PLANTIVS.

*Aridarum rosarum macerationem secundo & tertio plerique renouandam esse volunt, quo (vt ipsi arbitrantur) augeatur vis syrapi, vnica tamen efficax non minus fuerit. Terna siquidem infusione longè copiosissimam aquam affundi necesse est, veluti pro siccatarum rosarum lib. vna aquæ libras octo, alioqui multiplici maceratione vel exhaurietur, vel valida expressione nimium crassescet: sed & singulari infusione rosarum facultatis non minus combibet quàm pluribus, quemadmodum in sale accidit aqua soluen-* 10

**SYRVPVS** nymphææ capitis ardores, phrenitides vigiliâsque compescit, & somnum conciliat, destillationum asperitates lenit. ℞. florum nymphææ recentium lib. β. florum violarum ℥ ij. foliorum lactucæ m. ij. seminis lactucæ, portulacæ & cucurbitæ añ ℥ β. coquantur in lib. iij. aquæ dum tres supersint, expresso adde aquæ rosarum stillati- cæ lib. β. sacchari albi lib. iij. percoquantur in syrupum.

## PLANTIVS.

*Syrupus nymphææ simplex omissus est vt parum utilis: compositus descriptione Fran-* 20  
*cisci Pedemontani propter semina quamplurima, acetum & succum granatorum, prorsus alienus est, & ad ea inutilis quæ desiderantur. Quocirca iure hic alius descriptus est perfacilis & utilis ad ea quæ in inscriptione proponuntur. Alterius autem nymphææ quæ flore est luteo & radice candida, flores sunt hoc syrupo componendo præferendi.*

**SYRVPVS** de papauere eadem confert quæ nymphææ, ac peculiariter molestam tussim compescit & destillationes quæ fauces gutturque exasperant. ℞. capitum papaueris albi mediocriter maturorum & recetium ℥ viij. capitum papaueris nigri recentium ℥ vj. aquæ cœlestis lib. iij. coquantur ad medias, deinde adiectis sacchari & penidiorum añ ℥ viij. coquantur in syrapi consistentiam.

## PLANTIVS.

*In syrupo de papauere simplici minus inditum est capitum papaueris nigri, quòd eius* 30  
*non æquè tutus sit atque albi vsus. Compositus autem syrapius è papauere complura habēs lenientia prætermisus idcirco est & ab vsu reiectus, quòd talis re exigente facile comparari possit, addito syrupo iniubino aut violaceo.*

**DIACODION** præterquam quòd somnum accersit, cerebri quoque destillationes quocunque irruant arcet, ventriculum firmat, dysenteriam aliâque alui profluuia sistit. ℞. capita papaueris albi tum magnitudine tum maturitate mediocria xij. num. aquæ cœlestis lib. ij. coquantur ad tertias, colato adde sapæ optimæ ad tertias coctæ ℥ iij. mellis optimi ℥ ij. Perfectè simul coquantur addendo sub finem rosarum rubrarum, balaustiorum, acatiæ, rhois culinarij tritorum añ ℥ ij. seminis portulacæ, corallij 40  
albi & rubri añ ℥ j.

## PLANTIVS.

*Diacodeion reiectis quibusdam superuacuis & insuauius in meliorem formam relatum est, aptam sistendis destillationibus. In eundem vsum Dioscorides capita papaueris in aqua ad dimidias per se decoquit, dein adiecto melle & hypocistidis succo in eclegmatis consistentiam redigit. Capita autem papaueris neque perquam viridia, neque etiam ariditate exucca esse debent, sed quum viridi adhuc maturitate sonare incipiunt ad compositionem decerpenda sunt, propterea κρόδονος & κρόδονος Græcis dicuntur, id est strepentia* papaue-  
rum

tia papauerum capitula. Compositio hæc præ nimia crassitie quia insuauior quibusdam esse queat, vsus tempore poterit hordei decocto aut alio quouis accommodato dilui. Quinetiam si vel conciliandus somnus erit, vel ab acri & tenui fluxione exulcerationis periculum impendebit, ad eam tum inhibendam tum etiam temperandam, recenti seminis papaueris decocto, aut eiusdem cremore è decocto hordei expresso, Diacody vim augere licebit. Neque metuendum est ne noxa ab his vlla corpori oriatur, licet quarto excessu frigesacere tradantur ab auctoribus: quum tenera papauerum germina nationes pleraque oleorum modo in cibis adhibeant, & expresso è semine oleo vescantur semenque ipsum operibus dulcariis (vt placentis & panibus) ad gustus & saporis gratiam aspergant citra vllam omnino offensam aut somnum grauiorem: quo vtique modo Aegyptij sesamino oleo & sesamo palati gratia vtuntur. Ex qua consuetudine omnia dicta factaque quasi papauere & sesamo sparsa pro eleganti dulcique oratione dixit Petronius. Nam & papaueris lacryma ceu liquor opium Græcè dictus, & succus è foliis & capitulis expressus meconiū Græcis appellatus, non vnica, sed multiplici substantia constant, vna aquea valde frigida, altera aërea temperata, & tertia calida amara & odorata. Illa in virentibus & teneris, in aridis hæ magis elucet. At verò opium vel potius meconium quod ad nos conuehitur adulteratum planè est & occulta quadam vi nobis insensum, idèoque minimè vtendum, quacunque id arte corrigatur. Quum enim opium ex lacte ipso capitum papaueris syluatici cum maximo labore exiguum conficiatur, meconium verò sine molestia & abundanter ex foliis teratur, facile institiores qui compendium & lucrum querunt, opium adulterant, aut pro eo meconium ex Apulia aut Hispania comportant.

SYRVPVS violarum compositus acrem destillationem temperat, raucitatem, tussim grauem, & arteriæ asperitatem, pleuritimq; lenit & sitim compescit. ℞. florum violarum recentium ℥ ij. seminis cydoniorum, seminis malux añ ℥ j. zizypha, myxaria añ xx. num. decocti cucurbitæ vel seminis eius lib. v. coquantur ad medias & cum sacchari lib. ij. syrupus fiat.

## PLANTIVS.

In composito hoc syrupo nihil est immutatum, quòd arte compositus videretur leniendo, refrigerando, humectando ad omnem arteriæ ardorem & asperitatem vtilis, sed & ardentem vrinam & nephreticum cruciatum demulcet, viola autem herba & folia cocta maturandi vim habet: semen cholagogum est ad modum rheibarbarici: habetur & flore medio subcroceum quiddam, quo angina & puerili epilepsie succurri tradunt, si cum aqua bibatur viola flos & ex eo vna aut altera infusione simplex syrupus comparatus feruidos acrisque humores temperat, lenit atque subducit, idcircoque in pleuritide vtilis: atram retorridamque bilem & ab hac fuliginem domat, indeque suscitata symptomata capitis dolores, vigilias, insomnia consopit, & cordis tedia depellit: Calidiora siccioraque medicamenta commodè leniendo frenat, hæ dotes cum magnæ sint, syrupus ex violarum recentium diluto confectus, meritò inter polychrestos censendus est. Hoc è fragrantibus violis, aliquantulum in vmbra, vt decet, siccatis, & aqua tepida maceratis expressum, cum primario saccharo si percoquatur in syrupum, in annum & eo amplius citra rancorem vllū aut corruptionem asseruari potest ad commemoratos vsus, ante & post corporis purgationem vtendus. Frustra autem quidam tum violaceo tum rosaceo syrupo conficiendo violarum & rosarum macerationem nonies renouant, quum vna & altera tertiæ aut ad summum quarta infusione nihilo inefficaciores futuri sint, quemadmodum conficiendorum medicamentorum formula ad pharmacopæos ostensuri sumus. At syrupus è glycyrrhiza parum necessarius visus est, quòd parum sit efficax, quòd-

*que in syrupo de hyssopo sit comprehensus, neque tanta alioquin varietas quicquam conferat, sed confusionem potius tyronibus adferat.*

**SYRVPVS** zizyphorum eadem quæ syrupus violarum & multò efficacius præstat: vterque morborum initiis aptus. ℞. zizypha lx. num. myxaria xx. num. florum violarum, adianti albi hordei à cortice liberi, glycyrrhizæ añ ʒvj. feminis maluæ, cydoniorum, feminis papaueris albi, melonum & lactuæ, tragacathæ añ ʒiij. Semina cydoniorum & maluæ & tragacantha linteo raro illigata cum cæteris coquantur in aquæ lib. v. ad medias, & cum sacchari albi lib. ij. percoquantur in syrupum.

**SYRVPVS** de hyssopo thoracis pulmonumque vitia tum calida tum frigida leniendo blandè ac leniter expurgat, sputum attenuando detergendòque concoquit faciliusque reddit: peripneumoniæ atque pleuritidi inualefcenti & inclinanti aptus. ℞. hyssopi arefacti ʒj. radicum polypodij quercini, feniculi, glycyrrhizæ, feminis carthami añ ʒ. hordei expurgati, adianti albi añ ʒβ. passularum purgatarum ʒj. ficus siccas, palmulas pingues añ x. num. coquantur in aquæ lib. vj. ad dimidias, expressum cum mellis & sacchari an. lib. j. β. percoquatur in syrupum.

## PLANTIVS.

*Syrupi de hyssopo descriptio eadem permansit, nisi quòd pro radice apij substituta est radix polypodij, & pro radice petroselini semen carthami, quæ multò aptiora sunt & accommodatiora. Subtracta sunt quædam lenientia, quæ in syrupo violato & zizyphorum satis habentur, vt huic vis esset paulò detergentior.*

**SYRVPVS** de prassio validissimè incidit, tenuat, detergit, expurgatque thoracis pulmonumque vitia: strenuè confert inueteratis affectibus ex crassa lentaque pituita, vt asthmati, tussi veteri, empyemati: quinetiam peripneumoniæ & pleuritidi iam inclinatæ confert. ℞. prassii albi recentis ʒij. glycyrrhizæ, polipodij quercini, radicum apij & feniculi an. ʒβ. adianti albi, hyssopi, origani, calaminthæ, thymi, stæbes, satureiæ, tussilaginis an. ʒvj. feminis anili & bombacis an. ʒiij. vuarum passiarum expurgatarum ʒij. ficus passas pingues x. num. coquantur in lib. viij. hydromelitis diluti ad dimidias: expressum percoquatur in syrupum cum mellis & sacchari albi an. lib. ij. condiatur ʒj. radicis iridis florentinæ trita.

## PLANTIVS.

*Syrupus de prassio veteri descriptione Ioannis Mesua ex tanta permistione lenientium, detergentium, & incidentium confusus videtur, vt dici vix possit in quos præcipuè vsus referendus sit: quod & de aliis plerisque qui nulla methodo nullaque ratione ex variis vndique authoribus cõgesti sunt, dici etiam potest. Quocirca cum propositi iã essent syrupus violarum & zizyphorum pro humectantibus & abundè lenientibus, & syrupus de hyssopo pro moderate detergente, incidente, & expurgante pectoris vitia, ratione optima hunc de prassio syrupum summè incidentem atque detergentem esse voluit, vt extremis & inueteratis mederetur affectibus: quem tamen quisquis volet superiorum permissione temperabit.*

**SYRVPVS** symphyti tabidorum & vlceratorum pulmonum saniem & pus blandè ac leniter expurgat sine metu erupturi sanguinis, pulmonesque pariter corroborat. ℞. radicum & cymarum symphyti maioris & minoris an. m. iij. rosarum rubrarum, betonicæ, plantaginis, pinpinellæ, polygoni, scabiosæ, tussilaginis an. m. ij. E tufis omnibus recentibus exprimatur succus, coquatur & expumetur ad lib. iij. addendòque sacchari albi lib. ij. β. syrupus fiat.

## PLANTIVS.

*Quòd syrupus nullus vsquam extaret aut esset in vsu descriptus ad tabem purulentòsque pulmones, in tanta penuria hic è symphyto utilis sanè & arte summa præstituentus erat.*

**SYRVPVS** è succo buglossi cor præcipuè corroborat & exhilarat, eiusque palpitationem

tionem & syncopen discutit, melancholicos & maniacos iuuat. ℞. succi buglossi defecati lib. iij. sacchari albi lib. ij. Percoquantur in syrupi consistentiam.

SYRVPVS è succo buglossi domestici & syrupus è succo violarum & syrupus è succo persicorum malorum, omnes quidem cardiaci eadem ratione confici solent.

## PLANTIVS.

*In syrupo buglossi tum sylvestris tum domestici & in syrupo è succo violarum aut succo persicorum malorum aut è cortice citrij nihil immutandum fuerat. Caterum magna fuit necessitas adiuuendi syrupi melissophylli quòd nullus in usum veniret qui cordis affectus & pestilentium venenatorumque morborum iniuriam propulsaret.*

SYRVPVS è cortice citrij mali cor etiam quauis ex causa frigida torpescens aut palpitatione affectum excitat & exhilarat, mœstitiãque discutit. ℞. corticum citriorum malorum recentium in aqua maceratorum & preparatorum lib. j. coquantur in aquæ lib. vj. dum duæ superfint, & cum lib. iij. sacchari albi syrupus fiat conditurque cum mosci granis sex.

SYRVPVS melissophylli omnium maximè cordis palpitationi & syncopæ succurrit, peculiariter verò pestilentium & venenatorum morborum malignitatem obtundit & arcer. ℞. radicum dictamni, pentaphylli, veronica & doronici romani añ ʒ.β. foliorum melissophylli, stæbes & morsus, florum buglossi vtriusque & rorismarini añ. m. j. seminis oxalidis, citrij mali, feniculi, attractylidis (qui carduus dicitur benedictus) & ocimi añ ʒ. iij. coquantur in aquæ lib. iij. ad dimidias: expresso adde sacchari albi lib. iij. succi melissæ, aquæ rosarum añ lib. β. Percoquantur in syrupum conditum cinamomi & santali citrini añ. ʒ.β.

SYRVPVS è menta ventriculum moderato calore iuuat, lenique adstrictione corroborat, concoctioni opitulatur, nauseam, vomitum, singultum & lienteriam sedat. ℞. succi cydoniorum dulcium, succi cydoniorum acidodulcium, succi granatorum dulcium, succi granatorum acidorum, succi granatorum acidodulcium añ. lib. j. β. In his permixtis macera horis xxiiij. mentæ siccæ lib. j. β. rosarum rubrarum ʒ. ij. coquantur ad medias: colatis adde sacchari albi lib. iij. percoquantur in syrupum conditum ʒ. iij. galliæ moschatæ linteo raro illigatæ.

## PLANTIVS.

*In syrupo de menta maiore nihil immutandum fuit, neque ascribendus erat minor alter, vt qui sub hoc comprehendatur. In syrupo absinthij nihil quoque immutandum.*

SYRVPVS absinthij ventriculi reliquias vel expurgat vel absomit, ex morbo conualescentibus appetentiam viuidumque colorem reddit: iecur infarctu liberat regiũque morbum discutit, ac omnia concoctionis instrumenta corroborat. ℞. absinthij romani lib. β. rosarum rubrarum ʒ. ij. spicæ nardi ʒ. iij. macerentur horis xxiiij. contusa in vini albi veteris ac odori & in succi cydoniorum añ. lib. ij. β. coquantur igne lento ad medias & cum sacchari lib. ij. percoquantur in syrupi crassitudinem.

CYDONIORVM miua appellata ventriculum hepârque roborat, concoctionem iuuat, appetentiam excitat, vomitum & lienteriam compescit. ℞. succi cydoniorum defecati lib. vj. coquatur prunis lentis ad medias sensim expumando, dein affunde vini rubri veteris & optimi lib. iij. sacchari albi lib. iij. & denuò coquantur dum mellis consistẽtia crassescant, condiantur cinamomi ʒ. j. β. caryophyllorũ & zinziberis añ ij. ϑ.

## PLANTIVS.

*Hæc miua cydoniorum media est inter simplicem & compositam, & vtriusque vires obtinet.*

SYRVPVS myrtinus ventriculum & viscera corroborat, vetus alui profluuium, sanguinis omnem eruptionem omnemque cerebri destillationem sistit. ℞. baccarum myrti ʒ. ij. β. santali albi, rhois culinarij, balaustrorum, baccarum oxyacanthæ, rosarum rubrarum añ ʒ. j. β. mespylorum lib. β. contusa omnia coquantur in lib. viij. aquæ ad tertias: expresso adde succi cydoniorum & granatorum añ lib. ij. sacchari lib. v. coquatur vt artis est.

## PLANTIVS.

*Syrupus myrtinus veterem retinet compositionem. Syrupus autem byzantinus quod omnium hepaticorum reliquias à purgatione validè expurget curationemque compleat, commodè huc referri potest.*

SYRUPVS fumariz è sanguine falsos exustosque humores expurgat, pruritus, scabiem, impetiginem, lepram, omniaque cutis vitia emendat, maligna fistulosaque ulcera, cancrum & elephantiasim demulcet. ℞. endiuia, ablinthij romani, lupuli, castuz, scolopendrij veri añ. m̄. j. epithymi ℥. j. ℞. coquantur in lib. iij. aquæ ad medias, colatis adde succi fumariz expurgati lib. j. ℞. succi vtriusque buglossi añ lib. ℞. sacchari albi lib. iij. coquatur syrurus bona consistentia.

## PLANTIVS.

*Quum multe sint Syrupi è fumo terra descriptiones, nulla sanè videtur hac vna conuenientior & vsu facilior ad expurgandam omnem sanguinis impuritatem.*

SYRUPVS è succo buglossi vtriusque, è succo violarum, & syrupus melissophylli ad lienem quoque pertinent.

SYRUPVS è malis odoriferis tetros melancholiz vapores infringit, pauores, mœrores, furorémque sedat & exhilarat. ℞. succi malorum acido dulcium fragrantium lib. iij. succorum violarũ, buglossi domestici & syluestris, aquæ rosarum stillaticiz añ lib. j. coque simul, expuma & cola, deinde adde sacchari albi lib. vj. percoquatur in syrupum.

## PLANTIVS.

*Ridiculum videbatur Syrupum è pomis habere tanquam pomarium simplex, nisi & alij ad melancholiam vel atram bilem succi accessissent.*

SYRUPVS althææ crassam obstruētémque renum pituitam & lentam purulentámque eorum saniam & arenulas blandè ac clementer expurgat citra manifestum calorem, vrinæ præterea demulcet ardorem. ℞. radicum althææ ℥. ij. cicerũ rubrorum ℥. j. radicum graminis & asparagi, glycyrrhizæ mundatæ, vuarum passerarum expurgatarum añ ℥. ℞. cymarum althææ, maluz, helixines, pinpinellæ, plantaginis, adianti vtriusque añ. m̄. j. quatuor seminum frigidorum maiorum & minorum añ ℥. iij. coquantur ex aquæ lib. vj. dum quatuor superfint, cum sacchari albi lib. iij. percoquatur syrupus.

## PLANTIVS.

*Syrupus althææ cum nusquam descriptus haberetur, frequens tamen eius esset vsus ex cuiusque arbitrio, non aliter potuit nec vtilius ad eos qui propositi sunt affectus componi.*

SYRUPVS raphani renes & vesicam validius expurgat, calculos comminuit, arenulas exturbat, suppressam vrinam deducit. ℞. radicum raphani domestici & syluestris añ. ℥. j. radicum saxifragi, rusci, leuistici, eryngij, anonis petroselini & feniculi añ. ℥. ℞. fo- liorum betonicæ, pimpinellæ, pulegij, cymarum vrticæ, nasturtij, crithmi, callitrichi añ. m. j. fructus halicacabi, zizypha añ. xx. num. seminis ocimi, bardanz, petroselini Macedonici, seselios, carui, dauci, lithospermi, corticũ radicis lauri añ. ℥. ij. vuarum passerarum expurgatarum, glycyrrhizæ añ. ℥. vj. coquantur quo decet ordine in aquæ lib. x. dum sex superfint, è quibus cum sacchari lib. iij. & mellis expumati lib. ij. syrupus fiat clarus & conditus ℥. j. cinamomi & ℥. ℞. nucis molchatæ.

## PLANTIVS.

*Quod Syrupus nullus descriptus inueniatur ad renum calculos & arenulas exturbandas, magno certè vsu hic è raphano substituendus erat, qui aptè & conuenienter ex iis componitur, quibus summa vis est comminuendi calculos, alijs quibusdam interiectis lenientibus atque detergentibus.*

SYRUPVS artemisiz suppressos aut parcius fluentes menses potenter mouet, quod syrupus adiantinus & hyssopi moderatiùs efficiunt, vteri strangulatus & subuersiones sedat. ℞. artemisiz m. ij. radicum iridis, helenij, rubiz, præoniz, libitici, feniculi añ. ℥. ℞. pulegij,

℥β, pulegij, origani calaminthes, nepitæ, melissophylli, sabine, sampsuchi, hyssopi, praf-  
 sij, chamædrios, chamæpityos, hyperici, parthenij, betonica añ. m. j. feminis anisi, petro-  
 selini, feniculi, ocimi, dauci, rutæ, nigellæ añ ℥ iij. Contusa macerentur horis xxiiij. in hy-  
 dromelitis lib. viij. coquantur ad lib. v. & cum sacchari lib. v. percoquantur in syrupum  
 conditum cinamomi ℥ j. & spicæ ℥ iij.

## PLANTIVS.

*In syrupo ex artemisia quòd multa continerentur vterinis affectibus parum apta &  
 inconsideratè confusa, nò pauca quæ aut nò suppetunt nobis, aut quorū vis coquendo exo-  
 10 lescit, ea vt superuacua aut incommoda auctor substraxit, is solum derelictis quæ praci-  
 pua sunt & optima.*

## PVRGANTES COMPOSITIONES.

**M**EDICAMENTA quæ ad purgandos humores comparantur, tametsi in  
 formas aptantur varias in vnum tamen locum omnia referre expedit, ita  
 quidem ordine à mitioribus instituto.

**ELECTARIVM** è prunis summè leniens, obduratam aluum molliens,  
 20 varios humores blandè ac leniter expurgans, per vehementes cœli æstus, in febrium  
 ardore, in siti, omni ætati vtilis.

℥. radicum althææ, polypodij è quercu, passarum expurgatarum añ ℥ iij,

glycyrrhizæ mundatæ, feminis cnici añ ℥ j,

maluæ, violæ, helxines, mercurialis añ. m. ij,

coquantur in lib. x. aquæ dum ad sex redeant: in colati dimidio percoquantur

pruna dulcia, zizypha, mixaria añ xx. num. ficus passæ pingues x. num.

deinde pulpa cribro transmittatur, in altero colati dimidio bulliant foliorum sennæ

mundatorum lib. j. β, expressumque hoc pulpæ permisceatur cum sacchari & mellis

expumati añ lib. β. rursus coquantur ad electarij consistentiam, sub finem inspergen-

30 do cinamomi tenuissimè triti ℥ j. zinziberis ℥ iij. dosis ℥ j. Tota compositio est lib. iij. do-  
 ses autem sunt circiter xxvij. aut xxx.

**ELECTARIVM** è prunis solidum eadem præstans.

℥. pruna dulcia num. x.

maluæ, violæ, mercurialis, helxines añ. m. j,

polipodij è quercu, feminis carthami, radicis althææ, passarum purgatarum, glycyt-  
 rhizæ añ ℥ β,

foliorum sennæ mundatorum ℥ x.

coquatur ex aquæ lib. v. dum duæ supersint, deinde torculari expressis adde saccha-

ri rubri lib. j. β. coquantur rursus igne lento in electarij solidi cōsistentiam, asperso sub

40 finem puluere electarij aromatici rosati maioris ad ℥ iij,

concinrentur tabellæ pondere ℥ β. Tota compositio est ℥ circiter xx. doses cir-  
 citer xxx.

Vtrumque compositum fiet atque validius è locis distantioribus omnes humores,  
 præsertim verò bilem vtramque expurgabit hoc modo,

℥. electarij è prunis simplicis recentis & adhuc calentis lib. j. in quo dissolue diada-  
 crydij ℥ iij,

Dosis à ℥ iij. ad ℥ β. In lib. j. compositionis doses sunt circiter xxxij.

## PLANTII scholia in purgantes compositiones.

50 *Ut syrupi, ita & purgantium medicamentorum compositiones vndique arte nulla  
 depromptæ sunt, & in medicamentarios codices relatæ, vt idcirco duas tresve aut plures  
 deprehendere liceat effectibus planè consimiles, nec aptè ad curandos affectus accommo-  
 datas. Quò fit vt non abs re auctor purgantium compositiones multum immutauerit, vt ad  
 singula conueniens quiddam & vtile proferret. Quantum autem posteriores istæ à primis  
 nomina sortitæ, à veterioribus distent, quantumque propositis affectibus magis conueniāt,*

vnusquisque simplicium viribus aestimatis facile intelliget. Diaprunum tum simplex tum compositum à Nicolao descriptum, cum maximè refrigerare debeat, & febribus conuenire, aromata plurima continet calidissima, quæ etiam in composito scammonij acrimoniam exasperant.

CATHOLICVM simplex omnes æquabiliter humores blandè ac leniter è quavis corporis particula deducit & expurgat, siue cum febre siue sine febre, nec pueris, nec senibus, nec prægnantibus insensum.

℞. radicum heleni, buglossi, cichorij, althææ, polypodij quercini, seminis cnici contulorum añ ʒ ij, 10  
stœchados, hyssopi, melissophilli, eupatorij veri, asplenij, betonica, artemisiæ añ m. ij,  
vuarum passarum expurgatarum ʒ iij,  
quatuor seminum frigidorum maiorum, seminis anisi, glycyrrhizæ añ ʒ iij,  
coquantur omnia ex arte in lib. x. hydromelitis dum vij. supersint. In colato iure macera horis xij. foliorum sennæ mundatorum lib. j. β,  
agarici albi lib. β, zinziberis ʒ j. aliquantum bulliant & in expresso liquore dissolue pulpæ  
myxariorum lib. β,  
foliorum sennæ mundatorum tenuissimè tritorum ʒ iiij, syrapi infusionis rosarum 20  
pallidarum lib. j,  
mellis optimi expumati lib. ij. percoquantur igne lento in mellis temperaturam, inspergendo sub finem rheibarbari electi & cinamomi electi añ ʒ j,  
santali citrini ʒ β,  
nucis moschatæ ʒ ij, Dosis est ʒ j. Tota compositio existit lib. iiij. Doses sunt circiter quinquaginta.

## PLANTIVS.

Catholicum hoc verè dici potest, quòd medicamenta omnes humores purgantia & partibus singulis interioribus præsertim familiaria contineat. Blandè autem atque cle- 30  
menter purgans, ab extremis summisque partibus nihil aut minimum detrahit: catholicum verò maius id validè & efficaciter præstat, cuius compositio ex omni pharmacorum genere constat, quæ tum è propinquis tum è distantioribus sedibus trahunt, aptè confusis atque repressis. In catholico autem veteri malè coquitur rheubarbarum & cassia, quæ cum thamarindis acescit, ac totam ferè compositionem corrumpit.

CATHOLICVM maius omnes quoque humores promiscuè trahit, idque validius non è vicinis tantùm, sed & è distantioribus sedibus citra corporis perturbationem aut vitium iacturam.

℞. quatuor seminum frigidorum maiorum mūdatorum, seminis papaueris albi añ ʒ j, 40  
tragacanthæ ʒ ij,  
rosarum rubrarum, santali citrini, cinamomi añ ʒ ij,  
zinziberis ʒ j,  
rheibarbari selecti, diadacrydij añ ʒ β,  
agarici, turpethi añ ʒ vj,  
sacchari albi soluti in aqua rosarum in qua ʒ ij, foliorum sennæ incoctæ sint lib. j.  
conciuentur tabellæ ponderis ʒ iiij. Dosis tabella vna. Tota compositio est lib. j. β.  
Doses autem circiter quinquaginta.

SYRVPVS infusionis rosarum pallidarum, tenuem bilem serosâque humores è primis visceribus nullo labore detrahit, morbis leuioribus, pueris, senibus & imbe- 50  
cillis aptus.

℞. aquæ infusionis rosarum pallidarum lib. v,  
sacchari expurgati lib. iiij. coquantur igne lento in syrapi temperationem, mace-  
rantur autem rosarum pallidarum recentium lib. duæ in aquæ tepidæ lib. vj. horis xij. o-  
perculato vase: rosæ deinde eximuntur exprimunturque, his recentes aliæ similiter  
substi-

substituuntur, hisque abiectis alia tertio, quarto, octavo etiam atque nono, dum facultatis plurimum liquor ebiberit, in quo saccharum soluetur, neque profecto ex contusis rosis, neque ex earum succo perinde efficax syrupus fuerit. E persicorum floribus aqua, ut dixi, maceratis syrupus quoque fit, qui similiter bilem aquasque ducit & vermes enecat.

## PLANTIVS.

*Syrupus rosarum pallidarum, electarium è succo rosarum & diacydonion veterem componendi rationem retinent, non admodum manifesta mutatione. At in electario diacarthami, quòd manna granata, mellis rosati & sacchari geminati adiectio compositionis rationem solidam peruerteret, hic rectè est suppressa.*

ELECTARIUM è succo rosarum bilem ad tenues aquososque humores validè & è distantioribus locis prolicat: his vtile ac tutum qui articulari morbo laborant, nec admodum vehementi febre iactantur.

℞. succi rosarum siccatum recentium, sacchari albi añ lib. j. β. coquantur in electarium solidum igne lento.

Insperge sub finem tritum santallorum, mastiches, cinamomi exquisitè tritorum añ ʒ ij,

diadacrydij ʒ j. β,

20 caphuræ ʒ β. concinentur tabellæ ponderis ʒ ij. β. Dosis tabella vna. Tota compositio est ʒ xxij. doses autem sunt circiter septuaginta.

DIACYDONION eadem quæ electarium è succo rosarum aliquantò moderatius atque facilius efficit.

℞. pulpæ cydoniorum expurgatæ, coctæ & cribro transmissæ lib. j. β,

succi cydoniorum lib. β,

sacchari albiss. lib. ij.

coquantur in mellis crassitiem, inspergendo sub finem cinamomi triti ʒ j,

zinziberis, macetis, caryophyllorum añ ʒ ij,

diadachrydij ʒ ij. Dosis à ʒ ij. ad ʒ. β. Tota compositio est lib. iiij. doses autem circi-

30 ter nonaginta.

ELECTARIUM diacnicu pituitam serososque humores, atque etiam bilem è distatissimis euocat atque ducit: peculiariter capitis, neruorum articularumque doloribus benefacit,

℞. pulueris electarij diatragacanthi frigidi, medullæ seminis cnici, hermodactylorum añ ʒ β,

rosarum rubrarum, succi glycyrrhizæ, cinamomi añ ʒ ij,

turpethi ʒ j,

diadacrydij ʒ β,

sacchari albi aqua rosarum soluti lib. j.

40 concinentur tabellæ ponderis ʒ ij. β. Dosis tabella vna.

DIAPHOENICON bilem crudamque pituitam atque etiam lentam clementer expurgat, compositis ac etiam diuturnis febribus & morbis ex cruditate ortis, & colico flatulentoque dolori aptum.

℞. pulpæ palmularum mundatarum ex hydromelite coctæ & cribro cretæ, penidiorum recentium añ lib. β.

amygdalarum expurgatarum ʒ iiij. β. Contusis & permistis omnibus, adde mellis expumati lib. ij,

Paulum coquantur, ac deinde insperge zinziberis, piperis, macetis, cinamomi, foliorum rutæ ficcorum, seminis feniculi & dauci añ ʒ ij,

50 turpethi tenuissimè triti ʒ iiij,

diadacrydij ʒ j. β. Dosis est ʒ ij. ad ʒ. β. Tota compositio est ferè lib. iiij. doses autem infunt centum & circiter triginta.

## PLANTIVS.

*In diaphoenico palmulae hic rectè macerantur & coquantur in hydromelite, quòd vetus infusio quæ triduo in aceto fieri precipiebatur, horrendum sapore præ se ferat. Sub-*

*tracta quoque sunt nonnulla ut leuistici semen, pinei nuclei, galanga, xyloaloe, quòd nimium multa inessent facultatis eiusdem, auctaque est palmularum, penidiorum & aliorum mitiorum quantitas, ut inde compositio tota usu suavior & facilior existat.*

**BENEDICTA** crassos pituitososque humores atque etiam ferosos à parte euocat, calculi materiam reuellit, ipsosque calculos exturbat & nephriticum dolorem lenit, frigidæ naturæ frigidoque cœlo apta.

℞. turpethi ʒ x,  
diadacrydij, hermodactylorum, rosarum rubrarum añ ʒ v,  
caryophyllorum, zinziberis, saxifragi, seminis apij, salis gemmei, galangæ, maceris, 10  
carui, feniculi, acinorum asparagi & rusci, seminis milij solis, quatuor seminum frigidorum maiorum, glycyrrhizæ añ ʒ j,  
mellis optimi expumati lib. j. β. conficiantur ex arte.  
Dosis à ʒ iij. ad ʒ β. Tota compositio est ferè lib. ij. doses autem insunt circiter quinquaginta.

## PLANTIVS.

*Ex benedicta quòd multò calidior videretur, nec usu facilis nec propter febrem tuta, optima ratione auctor substraxit spicam nardi, macropiper, cardamomum & crocum, atque pro his substituit quatuor semina frigida maiora, & glycyrrhizam.* 20

**CONFECTIO** Hamech bilem atram ac retortidam salfamque pituitam detrahit, mania, psora, lepra, impetiginis, cancri & elephantiasis peculiare subsidium.

℞. corticis myrobalanorum citrearum ʒ ij,  
cepcularum & nigrarum violarum, colocynthidis, polypodij quercini añ ʒ j. β,  
absinthij, thymi añ ʒ β,  
anisi, feniculi, rosarum rubrarum añ ʒ iij.  
Tusa omnia macerentur in feri lactis lib. ij. deinde coquantur ad lib. j. fricentur manibus, & exprimantur.

Colatis adde succi fumarizæ, pulpæ prunorum & vuarum passarum añ lib. β, 30  
sacchari albi, mellis expumati añ lib. j.  
coquantur ad mellis crassitiem, inspergèdo sub finem agarici, sennæ tritorum añ ʒ ij,  
rheibarbari triti ʒ j. β,  
epithymi ʒ j,  
diadacrydij ʒ vj,  
cinamomi ʒ β,  
zinziberis ʒ ij,  
Seminis fumarizæ & anisi, spicæ nardi añ ʒ j, dosis à ʒ iij. ad ʒ β. Tota compositio est lib. ij. & ʒ viij. doses verò insunt circiter octoginta.

## PLANTIVS.

40

*In confectioe Hamech frustra myrobalani geminantur in decocto primùm, deinde rursum triti impositi. Rheibarbari cocti vis perit, castia & manna cum thamarindis coctæ corrumpuntur. scammony cocti vis exolefcit nec facile alius permiscetur. Quocirca aptior multò atque utilior & usu facilior est ea confectio quam hic nobis auctor expressit. Hæ compositiones omnium optimæ sunt ac tutissimæ, quòd in iis turpethi & scammony acrimonia atque feruor pulchrè retundatur permistione vel pulpæ prunorum atque vuarum passarum, vel hermodactylis & amygdalis, vel rosis earumque succo vel myrobalanis. Alia quedam extant non a què tuta ut electarium indum, utrumque electarium electhof, electarium de psillio & diaturbith, in quibus scammony & validiorum acrimonia minimè retunditur: imò potius calidorum societate exacuitur. Adde quòd nihil ea contineant aut prestare possint quòd non alia hic descripta feliciter efficiant. Quocirca ad omnium affectuum causas summouendas satis ea possunt conducere.* 50

**HIERA** simplex bilem pituitamque ventriculo, intestinis, hypochondriis & mesenterij venis impactam expurgans, validèque infarctu liberans, morbis omnibus ex cruditate, & ex venarum obstructione genitis blandè succurrit.

℞. cinamomi, maceris, avari, spicæ nardi, croci, mastiches, an. ʒ vj,  
aloës non lotæ ʒ centum siue lib. j. & ʒ β, mellis optimi expumati lib. iij.

Conficiantur vt artis est. Datur puluis solus à ʒ ij. ad ʒ iij. nielle verò exceptus ab ʒ j. ad ʒ j. β.

**HIERA** diacolocynthidos quæ vna vice fuerit omnium à veteribus discriptarum, crassos lentosque humores præcipuè verò bilem atram & aquas citrinas tutò ac clemèter expurgans: eximiè confert paralyti, tremori, conuulsioni, arthritidi, inueteratisque neruorum affectibus atque etiam hydropi, deinde melancholiæ, mania, epilepsiæ, pleoræ, lepræ maligno vlceri, cancro & elephantiasi, qui affectus leniora aspernantur pharmaca.

℞. stœchados, marrubij, chamædryos, hyperici, scillæ assatæ, polij, calaminthes montanæ, cinamomi, spicæ nardi, epithymi, polypodij quercini aridi, quatuor seminum frigidorum maiorum mundatorum an. ʒ j β,

pulpæ colocynthidis, scammonij, ellebori nigri præparatorum an. ʒ ij,

euphorbij præparati, aloës, myrrhæ, ammoniaci, opopanax, sagapeni, castorij an ʒ j, mellis cocti in succo cydoniorum & expumati lib. j. conficiantur ex arte, dantur ʒ iij.

<sup>20</sup> Colocynthis, scammonium, elleborus niger & euphorbium trita fricentur cum oleo amygdalarum dulcium, ac deinde macerentur biduum in mucilagine tragacanthæ & gummi arabici deprompta ex aqua rosarum dum mucilaginem totâ ebiberint.

## PLANTIVS.

<sup>30</sup> *Hiera simplicis vetus compositio permansit, neque quicquam mutandum fuit præter xylobalsamum, quod minimè suppetit nobis. Compositiones multæ ex validioribus constant pharmacis, aliæ quidem ex scammonio vt electarium è prunis, diacydoniorum & electarium è succo rosarum: aliæ præterea turpethum habent vt diaphænicum, aliæ cum bis hermodactylos vt diacnicum & benedicta: aliæ colocynthidem vt confectio hamech: aliæ insuper elleborum nigrum & euphorbium, vt hiera diacolocynthidos, quæ quorundam affectuum sed admodum raro peculiaris est. Ex quo intelligi potest nullum simplex medicamentum purgans in vsu venire, à quo non aliqua extet compositio, vt idcirco non aliæ plures videantur expetenda.*

**HYDRAGOGVM** minus hydropicorum aquas clementer & citra offensionem deducens, pueris, senibus, imbecillis atque pregnantibus tutum, siue febris vlla sit siue nulla.

℞. succi rosarum pallidarum lib. β,  
sacchari albi, mellis optimi an ʒ xv.

<sup>40</sup> coquantur dum expumauerint & crassescant, ac tum adde succi radicis ebuli lib. j, prassij sicci, seminis feniculi tritorum an ʒ ij. acinorum ebuli & sambuci an ʒ ij. cinamomi ʒ vj,

maceris, galangæ an ʒ iij. Igne lento percoquantur in mellis crassitiem, datur ʒ β. ex fero lactis aut ex decocto hordei aut vuarum passarum. Efficacius reddetur adiecta elæterij ʒ β. aut radicis cucumeris agrestis arefactæ ac tritæ ʒ vj, aut succi radicis iridis nostratis lib. β.

**HYDRAGOGVM** maius ex laureola, aquas potenter detrahens,

℞. feri lactis lib. ij,

sacchari albi, carnis cydoniorum ex aceto coctorum an ʒ x. mannæ calabrinæ ʒ v.

<sup>50</sup> coquantur igne lento in mellis crassitiem: sub finem adiace foliorum laureolæ præparatorum ex aceto & oleo amygdalarum dulcium ʒ ij. Datur ʒ β.

Præparandi ratio hæc est: foliorum laureolæ ʒ ij. macera horis xxiiij. in aceto mali punici vel portulacæ: modicè coquantur, exprimantur, siccantur atque terantur, deinde affunde aquæ rosarum lib. β,

olei amygdalarum dulcium ʒ j. β. bulliant rursus dum absumpta sit, aqua, & puluis superstiti oleo mixtus in compositionem addendus,

## PLANTIVS.

Ne quid vllō modo deesset, his postremo loco compositiones adiecit ad detrahendas hydropicorum aquas, has tametsi valentiora pharmaca praesertim scammonium & euphorbium expurgent, peculiare tamen compositiones ex his constare voluit, quibus ad aquas vis propria & familiaris est. Una mitior est, altera vehementior ex laureolae foliis, quae nondum in compositionem vllam relata fuerant. Quam appositè autem eiusmodi compositiones ad aquas detrahendas instituta sint, quibus è simplicium permistione coniciet.

VNGVENTVM è lathyride aluum mollit ac subducit, & potenter hydropicorum aquas detrahens, distentum abdomen remittit. Eas autem infernè & ab aluo ducit, si vmbilicus, imus venter, inguina, femorâque oblinantur: supernè verò atque vomitione, si ventriculus attingatur.

℞. succi lathyridis lib. ℥.

succi esulae ℥ iij.

In quibus dissolue radices cyclamini ℥ ij,

scammonij ℥ ℥,

granorum ricini & lathyridis expurgatorum añ ℥ j. ℥,

feminum feniculi, rutae & anethi, baccarum lauri añ ℥ j. Trita omnia macerentur in succis diem vnum.

Postea axungiae ℥ viij. & cerae ℥ iij. liquefiant, in hisque sensim omnia dissoluantur, & igne non acri coquantur, dum totus absumptus sit humor, & omnia in vnguenti temperaturam coeant.

Si eadem materia ex olei ℥ xv. coquatur ad totius liquoris consumptionem, expressum oleum easdem quoque vires nanciscetur.

Vnguento praeterea si vel gummi ammoniacum, vel cera concorporetur in emplastri consistentiam, aquas quoque id impositum sed ignavius promouebit.

ELECTARIVM diasari omnis generis humores circum ventriculum & praecordia exuperantes vomitione ducit, non continuato sed ex interuallis facto impetu: seni atque praegnantibus tutum ac facile.

℞. syrapi mentae & violarum añ ℥ viij. coquantur in mellis crassitiem.

Sub finem subducto igne insperge radices peponis arefactae, feminum raphani & vriticæ maceratorum in aqua rosarum & arefactorum & tritorum añ ℥ j,

radicis asari contritae & cretae ℥ ij,

cinamomi, seminis feniculi añ ℥ iij. confice in electarium liquidum.

Dantur ℥ iij. ex aqua hordei vel ex mulla vel ex sero lactis.

## PLANTIVS.

Magnas rei medicae suppetias tulisse author videtur his postremis compositionibus, & ea praesertim quae ad ciendam vomitionem destinatur: quod nulla vsquam extaret, quatenus nobis liceret humores sursum purgare, cum sit tamen ea vacuatio ad multorum morborum curationem in primis necessaria.

Quaratione electaria tum liquida tum solida, eadem & nunc pilulas ad omne tum morborum tum causarum genus accommodemus.

PILVLLAE è hiera simplici fiunt è ℥ j. pulueris cum melle rosato subacti.

PILVLLAE stomachicae quae cibo praemissa ventriculum expurgant, concoctionem iuuant, cibum deducunt, aluumque blandè exonerant.

℞. aloës ℥ vj,

mastiche, rosarum rubrarum añ ℥ ij. cum syrupo rosato vel absinthij cogantur in massam.

## PLANTIVS.

Pilularum stomachicarum cum sex descriptiones existant, omnes hac vna dempta stomacho sunt aduersissima, nec cibo praemitti possunt, quod vel scammonium vel turpethum contineant, quibus corpus vniuersum praecipueque ventriculus conturbatur.

**PILVLLAE** ruffi quæ & communes appellantur, crebro vsu concoctionem iuuant, nec cibum corrumpi sinunt, humores atque corpus à putredine vindicant, qua ratione aduersus pestiferæ luis contagia mirificè profunt.

℞. aloës optimæ ʒ ij,

myrrhæ electæ, croci synceri añ ʒ j. excipiantur vino aromatico.

## PLANTIVS.

*A pilullis quæ ex sola constant aloë compositiones sensim deducens ac veluti coagmētans, alias iis deinde subiecit quæ ex aloë & rheobarbaro, mox ex aloë & agarico componuntur: postea quæ ex agarico, aloë & rheobarbaro, ab iis alias ex aloë, agarico, & rheobarbaro & senna: quibus demum pilullas sine quibus subiunxit, in quibus præter ea quatuor scammonij vis atque infusio magis quàm substantia continetur, ex his autem myrobalanorum portionem substraxit, quòd re vera nimium multa cum aliis etiam adstringentibus inesset.*

**PILVLLAE** assaieret quòd plus aloës quàm quæ hiera contineant, efficaciores quoque existunt.

℞. pulueris hieræ simplicis ʒ j,

aloes ʒ ij,

20 mastiches, myrobalanorum citrearum añ ʒ ʒ, cum syrupo è stœchade cogantur in massam.

**PILVLLAE** de eupatorio bilem leniter expurgant, & iecur infarctū liberant corroborantque præstantiores quàm quæ è rheobarbaro inscribuntur.

℞. succi eupatorij, succi absinthij, myrobalanorum citrearum añ ʒ iij,

rheubarbari electi ʒ iij, ʒ,

mastiches ʒ j,

croci ʒ ʒ,

aloes ʒ v,

succi endiuiz quantum satis fuerit vt cogantur in massam.

30 **PILVLLAE** mastichinæ quòd agaricum contineant validius bilem crassamque pituitam expurgant quàm quæ ex sola aloë constant.

℞. mastiches ʒ ij,

aloes ʒ iij,

agarici trochiscati, pulueris hieræ simplicis añ ʒ j, ʒ. cum vino mualatico cogantur in massam.

**PILVLLAE** ex tribus, constant ex iisdem addendo rheubarbari selecti ʒ ij,

cinamomi ʒ ʒ cum syrupo è cichorio fit massa.

40 **PILVLLAE** imperiales clementer ac moderatè omnes humores è visceribus expurgant, ea pariter corroborant, infarctū liberant, omniumque nutrientium partium concoctionem iuuant.

℞. aloës optimæ ʒ ij,

rheubarbari electi ʒ j, ʒ,

agarici trochiscati, foliorum sennæ mundatorum añ ʒ j,

cinamomi ʒ iij,

zinziberis ʒ ij,

nucis moschatæ, caryophyllorum, spicæ nardi, mastiches añ ʒ j. cum syrupo violato subacta cogantur in massam.

50 **PILVLLAE** sine quibus esse nolo, bilem, pituitam & melancholiam vndique sed præcipuè ex capite, oculis & sensibus detrahunt, oculorum suffusiones minuunt, & visum conseruant, aurium dolores tinnitumque tollunt.

℞. aloës optimæ ʒ xiiij,

myrobalanorū citrinarum cebularum & indarum, rheubarbari, mastiches, absinthij, rosarum, violarum, sennæ, agarici, cassuthæ añ ʒ j,

scammonij ʒ vj, ʒ. Scammonium soluatur succo feniculi quantum sufficit traiciaturque per pannum, eoque liquore pulueres tenuissimi excipiantur in massam.

PILVLLAE è fumarìa biliosos humores, acres quoque & falsos extrahunt, cutis vitia emendant.

℞. myrobalanorum citrearum, cebularum & indarum an ʒ v,  
diadacrydij ʒ v,

aloës ʒ vij. trita omnia ter imbuantur succo fumarizæ terque siccati sinantur, ac demum cogantur in massam.

PILVLLAE aureæ iis quidem propter colocynthidem validiores, caput & sensus oculósq; præsertim expurgant, hisque aciem restitunt, biliosos paritérque pituitosos humores detrahunt.

℞. aloës, diadacrydij an ʒ v,

rosarum rubrarum, seminis apij añ ʒ ij. β,

seminis anisi & feniculi, mastiches an ʒ j. β,

croci, pulpæ colocynthidos an ʒ j, mucilaginis gummi tragacanthæ quantum satis est: fingatur massa.

PILVLLAE de agarico pituitam lentósq; humores vndique, præsertim verò è capite & è thorace potenter ducunt, destillationi & asthmați peculiare.

℞. agarici, mastiches an ʒ iij,

radicis iridis, prassij an ʒ j,

turpethi ʒ v,

pulueris hieræ picræ ʒ β,

pulpæ colocynthidos, sarcocollæ an ʒ ij,

myrrhæ ʒ j, sapæ quantum satis est vt cogantur in massam.

PLANTIVS.

*In pilullis ex agarico congesta sunt præstantissima quæque ad crassam pituitam tum è vicinis, cum è distantioribus partibus detrahendam. In quarum compositione nihil prorsus immutandum fuit.*

PILVLLAE coccizæ bilem quidem, sed pituitam crassam validius vndique purgant, peculiariter tamen è cerebro atque neruis, quorum præcipuè morbis medentur.

℞. pulueris hieræ simplicis ʒ x,

pulpæ colocynthidis ʒ iij, & ʒ j,

diadacrydij ʒ ij. β,

turpethi, stœchados an ʒ v. cum syrupo è stœchade massa concinetur.

PLANTIVS.

*Pilulla coccizæ licet bilem pituitamque valide purgent, non tamen omnes pariter humores perinde atque hæ quæ polychrestæ & vulgò aggregatizæ maiores vocantur, quarum compositio nihil à veteri distat, nisi quòd pro ratione ponderum transposita quedam sunt simplicia. Harum autem compositio multò conuenientior est quàm pilullarum de octo rebus & quàm pilullarum de quinque generibus myrobalanorum, quæ tamen eadem pharmaca comprehendunt. Harum igitur descriptiones hinc iure prætermisissæ videntur. Prætermisissæ quoque & descriptio pilullarum de colocynthide, quòd sub istis contineri videantur: quemadmodum & pilulla de euphorbio sub pilullis de hermodactylis.*

PILVLLAE ex hermodactylis crassos humores simulque serosos potenter ab extremis partibus præsertim ab articulis euellunt, cerebri, neruorum articulorumque frigidis morbis familiares.

℞. hermodactylorum, aloës, myrobalanorum citrinarum, turpethi, colocynthidis, bdelij mollis, sagapeni an ʒ vj,

castorij, sarcocollæ, opopanax, seminis rutæ agrestis & apij an ʒ iij,

croci ʒ j. β,

succi brassicæ quantum satis fuerit ad massam conformandam.

PLANTIVS.

*Pilulla ex hermodactylis veterem compositionem retinens, solæque satis sunt ad veteres arti-*

res articuloꝝ dolores: efficaciores in id quàm quæ arthritica vocantur, & tutiores quàm quæ foetida aut de opopanax aut de sagapeno aut de sarcocolla, ut idcirco harum descriptione minimè fuerit opus.

PILVLLAE polychrestæ ad capitis ventriculi, hepatis, aliorumque viscerum varios & implicitos affectus: ex his enim pituitam & bilem vtramque purgant.

℞. myrobalanorum citrearum, rheibarbari añ ʒʒ, succi eupatorij, succi absinthij, myrobalanorum cepularum & indarum, agarici, colocynthidis, polypodij añ ʒ ij, diadacrydij, turpethi, aloës añ ʒ vj, mastiches, rosarum rubrarum, salis gemmei, epithymi, anisi, zinziberis añ ʒ j. confice cum syrupo rosarum. dantur à ʒ ij. ad ʒ j.

PILVLLAE è lapide cyanæo bilem atram crassamque pituitam eximiè purgant, ad melancholiam, mœsttiam & furorem, ad canerum & elephantiasim, ad albos nigros idque in primis vtilis.

℞. lapidis cyanæi abluti ʒ vj, epithymi, polypodij añ ʒ viij, diadacrydij, ellebori nigri, salis indi añ ʒ ij. ʒ, agarici ʒ viij, caryophyllorum, anisi, añ ʒ iiij, pulueris hieræ picræ simplicis ʒ xv. cum succo intubi seu endiuia massa fingatur.

## PLANTIVS.

Pilulle è lapide cyanæo propter elleborum nigrum usurpata vtiliores sunt quàm pilulle indæ quæ elleborum quoque continent. Eas idcirco descripsit aliis prætermisissis, & efficaciores quoque ad melancholicos affectus quàm pilulle è lapide armeno, quas eadem ex causa prætermisit.

PILVLLAE è thymelæa serosos humores & hydropicorum aquas strenuè proliciunt. ℞. foliorum thymelææ aceto maceratorum & exicatorum ʒ v, myrobalanarum flauarum ʒʒ, myrobalanorum cepularum ʒ iiij, mannæ & thamarindorum aqua intubi solutorum quantum opus est ad pilularum formam.

## PLANTIVS.

In pilullis è thymelæa nihil immutatum est, his & alia accesserunt ex esula aptè quidem composita, & quibus magna vis est ad aquas detrahendas.

Pilullas lucis tum maiores tum minores idcirco derelictas fuisse conicio, quòd nimium multa & parum apta simplicium miscellanea mistura confusa sint, quòdque ad oculorum affectus satis efficaces sint pilulle sine quibus.

PILVLLAE ex esula hydropicorum quoque aquas ab aluo deducunt non leui perturbatione, ut idcirco solis robustis atque iis non febricitantibus conueniant.

℞. corticis radicis esule minoris maceratæ horis xxiiij. in aceto & succo portulacæ ʒ ij, grana ricini expurgata torrefactaque quadraginta, myrobalanorum citrinarum ʒ j. ʒ, chamædryos, camepityos, spicæ nardi, cinamomi añ ʒ ij. trita omnia tenuissimè excipiantur ʒ j. tragacanthæ aqua rosarum solutæ, cogantur in massam. dantur ʒ ij.

PILVLLAE è cynoglossò nõ ad purgandum quidè, sed ad omnes destillationes cohibendas comparatæ, siue in thoracè & pulmones cum tussi, siue in dentes aut aliò procubant. ℞. myrrhæ ʒ vj, thuris masculi ʒ v, opij, hyosciami seminis radicis, cynoglossi aridæ añ ʒʒ, croci, castorij añ ʒ j. ʒ. cum aqua rosarum stillatici fiat massa. dantur à ʒ j. ad ʒʒ.

## PLANTIVS.

Pilullis è cynoglossò rectè additum est castorium, ut cui cum croco præcipua vis sit emē-

*dandi opij malignitatem, idque videbatur inconsideratè prætermissum.*

PILVLLAE aristolochiæ summam incidendi detergendique vim adeptæ, epilepsie, paralyfi, asthmatis, tussiveteri iecoris renumque incipienti scirrhus, nephritidi, suppressis mentibus, excludendo fœtui atque secundis vtilis: hyeme humidisque naturis conuenientiores purgato iam corpore.

℞. radice aristolochiæ rotundæ ʒj,  
radicis gentianæ, myrrhæ electæ añ ʒiij,  
aloës, cinamomi añ ʒß,  
zinziberis ʒj. Omnia exquisitissimè trita excipiantur oleo amygdalarum dulcium recenti. datur ʒj.ß, ac protinus sorbendum iusculum quo diluantur. 10

## PLANTIVS.

*Pilullæ aristolochiæ his postremò vtiliter adiectæ sunt & præclarè institutæ, quòd summa aperiendi vi polleant. Poterant & in potionem referri, sed quòd forent amarissimæ, catapotiorum forma tædio minori deuorantur.*

## DE ANTIDOTIS AC PRIMVM DE SOLIDIS, QVIBVS MAXIME PRINCIPIBVS

## PARTIBVS ROBRV ADDITVR.

**D**IANTHON cerebrum imbecillum recreat, cuiusque destillationes compefcit, melancholiam & tristitiam quæ præter rationem fit, lenit: animique defectionem tollit.

℞. florum rorismarini ʒß,  
rosarum, violarum, glycyrrhizæ añ ʒiij,  
caryophyllorum, spicæ nardi, nucis moschatæ, galangæ, cinamomi, zinziberis maceris, ligni aloës, cardamomi, anisi seminis anethi añ. ʒij,  
sacchari albi aqua saluæ aut beronicæ soluti ʒß. j. Concinnetur electarium per tabellas.

ELECTARIVM pleres archonticon cerebrum mirè corroborat, sensus, exacuit, abolitam memoriam restituit, epilepticos iuuat & astmaticos, tristes melancholicos & animi delirio pressos recreat, diuturno morbo confectos instaurat. 30

℞. cinamomi, caryophyllorum, ligni aloës, galangæ, spicæ nardi, nucis moschatæ, zinziberis, spodij, schœnanthi, cyperi, rosarum, violarum añ. ʒj,  
folij aut maceris, glycyrrhizæ, mastiches, styracis calaminthæ, sampsuchi, balsamitæ, ocimi, cardamomi, macropiperis, mirtylorum, corticum mali citrij añ. ʒß. & gr. vj,  
margaritarum splendorum, been albi & rubri, coralij, serici combusti añ. gr. xvij.  
moschi gr. vj,  
caphuræ gr. iij,  
sacchari albi aqua melissæ soluti decuplum vel etiam duodecuplum. 40

## PLANTIVS.

*Quòd antidoti principibus partibus corroborandis destinantur, rectè earum compositiones ex partium corporis ordine hic instituit, ab iis exorsus quæ cerebro, deinde quæ thoraci aliisque partibus conuenirent.*

DIATRAGACANTHVM frigidum omnibus pulmonis thoracique vitiis, peripneumonie, pleuritidi, tabi tussi calidæ cum febre, faucium & arteriæ asperitati conuenit.

℞. gummi tragacanthæ albissimi ʒj,  
gummi arabici ʒv,  
amyli ʒij,  
glycyrrhizæ, seminis papaueris albi, quatuor seminum frigidorum maiorum cortice liberorum añ ʒj,  
caphuræ gr. v,  
penidiorum ʒj.ß,  
sacchari albissimi aqua violarum soluti ʒß. j. electarium concinnetur in tesseras. 50

## PLANTIVS.

*Diatragacanthum calidis confert affectibus, viresque obtinet alterius compositionis quæ diapapauer appellatur, hæcque idcirco rectè prætermiffa est.*

DIAREOS simplex thoracis pulmonumque vitia blandè attenuando expectorat, sputumque facilius reddit: calidis morbis incrementibus aut frigidis leuioribus accommodatum.

℞. radice iridis florentinæ ℥j,  
pulueris electarij diatragacanthi frigidi, sacchari candi an. ℥β,  
10 sacchari albiff. hyssopi aqua soluti ℥ viij. fiat electarium solidum.

ELECTARIUM diareos compositum benefacit calidis morbis iam inclinantibus & frigidis inueteratis, vt tussi, asthmatis, rauicitati.

℞. radice iridis ℥β,  
pulegij, hyssopi, glycyrrhizæ an. ℥ iij,  
tragacanthæ, amygdalarum amararum, pinearum, cinamomi, zinziberis, piperis an. ℥ j β,  
feminis lini, althææ & fenigræci an. ℥ ij,  
sacchari albiff. aqua tussilaginis soluti ℔. j. vel ℥ xiiij.

## PLANTIVS.

20 *Electarium diareos compositum est hic quoque pro electario diatragacantho calido, & pro electario diapemidiæ, quæ idcirco non nisi frustra & pharmacopæorum iactura his inferi possent, hæc autem compositione pro caricis, passulis, palmulis & stirace, quæ male ad hanc compositionem apta erant, rectè substituit semen lini, althææ & fenigræci, quibus vis eximia est ad inueterata pectoris vitia.*

DIACALAMINTHES contumacia & inueterata pectoris pulmonumque vitia horumque crassos lentosque humores attenuat, detergit & expectorat, flatu, discutit, concoctionem alimentique distributionem adiuuat, vrinas, menses, sudoresque ci et.

℞. calaminthes montanæ pulgij, petroselini, sefeleos, origani an. ℥ ij,  
30 feminis apij, cymarum thymi an. ℥ β,  
libystici, piperis an. ℥ j,  
sacchari albiff. aqua violarum aut rosarum soluti ℔. ij. fiat electarium.

## PLANTIVS.

40 *In hac diacalaminthes compositione rectè adiectum videtur origanum: in cæteris Galeni compositionem author est imitatus, & simplicium pondera, præterquam in libystico & in pipere, hic enim libystici semissem duntaxat, piperis verò sextantem, quod scilicet compositio hæc quadrans solum sit totius eius quæ à Galeno describitur lib. iij. de tuenda valetudine. Quum præterea in cæteris electariis supra descriptis quæ mitia erant, suavisapore nec vsu difficilia, sextuplo aut octuplo saccharo pulueres exceperit, in hac certè compositione quæ calida multum est & vsu difficilis, duodecuplum adiecit. Hæc porrò diacalaminthes compositio earum vice etiam fuerit, quæ appellatur diahyssopi & diapræsiu, & quæ iure tanquam superuacua exolefcent, ne multitudo grauis sit.*

DIAMARGARITON frigidum febrium æstus atque malignitatem compescit, cor munit, roborat, & à maligna contagione vindicat, animi defectione & syncope liberat, mærorumque discutit.

℞. quatuor feminum frigidorum maiorum mundatorum, feminis portulacæ & papaueris albi, feminis endiuizæ, oxalidis & citrij, trium santalorum, ligni aloës, zinziberis, rosarum rubrarum, florum nymphææ, buglossi & violarum, baccarum myrti, ossis cerui, eboris, doronici romani, cinamomi an. ℥ j,  
30 corallij albi & rubri an. ℥ β,  
margaritarum splendorum ℥ iij,  
ambaris, caphuræ an. gr. vj,  
moschi gr. ij,  
sacchari albi aqua buglossi vel rosarum soluti lib. ij.

## PLANTIVS.

*Hoc electarium diamargarit<sup>ov</sup>, ut præstantius & efficacius existeret, supra vulgarem descriptionem quæ incerti est authoris rectè & vtiliter continet semina endiuia, oxalidis & citrij, ebur quoque, os è corde cerui doronicum Romanum, cinamomum: quæ constat omnia cardiaca esse. Nonnulli in hoc etiam electarium gemmarum fragmenta adiecerunt, sed tamen frustra, quòd omnia in electario de gemmis comprehensa sint, quòd huic interdum præscribendo admisceri potest. Hoc autem calida pauca continet aromata, frigida verò plurima, ut idcirco tutus sit vsus.*

10

ELECTARIUM de gemmis cor eximiè roborat, idque in febribus à maligna & pestilenti putredine tuctur, animi defectiõni, cordis palpitationi & tristitiæ spontaneæ succurrit.

℞. margaritarum splendorum ʒj.β,  
 saphyri, hyacinthi, sardæ id est corneolæ, granatorum, smaragdi, añ ʒij. & gr. v,  
 zedoariæ, doronici corticum citrij mali, maceris, feminis ocimi, caryophyllati añ ʒj,  
 corallij rubri, succini, eboris añ ʒij.β,  
 been albi, been rubri, caryophyllorum, zinziberis, piperis longi, spicæ indicæ, folij,  
 croci, cardamomi maioris añ ʒβ,  
 trochiscorum diarhodon, ligni aloës añ ʒij.β,  
 cinamomi, galangæ añ ʒij. gr. v,  
 foliorum auri, foliorum argenti añ ʒj,  
 ambræ ʒj,  
 moschi gr. xv,  
 sacchari albi aqua rosarum soluti ʒxx. quod est octuplum.

20

## PLANTIVS.

*Electarium è gemmis omne ferè calidorum aromatum genus complectitur, neque etiam harum fragmentis multum retunduntur. Expediret igitur portionem eorum substrahere, præsertim been album & rubrum, piper longum, cardamomum maius & folium quod etiam rarò suppetit.*

ELECTARIUM diambrae cor, cerebrum, principisque partes corroborat & exhilarat, infitum calorem senibus præsertim ac imbecillis, frigidisque naturis suscitatur, non alimenti modò, sed & frigidorum humorum concoctionem iuuat: omnemque corporis ac vteri perfrigerationem discutit, ut idcirco ad concipiendum conferat.

℞. cinamomi, doronici Romani, caryophyllorum, maceris, nucis moschatae, folij, galangæ añ ʒij,  
 spicæ nardi, cardamomi maioris & minoris añ ʒj,  
 zinziberis ʒj.β,  
 fantali citrini, ligni aloës, piperis longi añ ʒij,  
 ambaris ʒj,  
 moschi ʒβ. Singulæ pulueris vnciæ excipiuntur singulis libris sacchari aqua rosarum soluti.

40

## PLANTIVS.

*Diambrae ex omnibus quoque aromatum generibus promiscuè nulloque delectu congestis atque confusis constitui videtur, quemadmodum & diacymin<sup>ov</sup> & dianis<sup>ov</sup>, & diacinamomu, diazinziber, diatrium pipere<sup>ov</sup> & diaxyloaloes & diamargarit<sup>ov</sup> calidum, & diamoschu dulce, & diamoschu amarum: quæ omnia vehementer calida sunt, ex calidis minimè repressis constantia, ut idcirco videantur easdem facultates sortiri, & eosdem penè effectus proferre. Quocirca reliquis omnibus suppressis author. hic vnicam diambrae compositionem inseruit, quæ vice sit omnium, ne multitudine obruatur medicina studiosus, & ne immodicam pharmacopæus iacturam faciat. Sed & in hac compositione quæ ut cetera vehementer calida existit, vtilissimum putarem substrahere cardamomum*

vtrumque

utrumque & piper longum, atque & pro his substituere rosarum rubrarum ℥iij. vix enim aliter uti ea liceat in calidis naturis aut æstuoso cælo, in febribus, aliisve morbis calidis. Sed & immodicus compositionum eiusmodi calor effecit, ut & usus quoque difficilis esset, & tanquam inutiles exolescerent: quemadmodum & diatrium pipereon Galeni & diacalaminthes. Hæc autem prospiciens author rectè insit pulveres duodecuplo sacchari excipit, ita nimirum suavitati consulens.

10 PVLVIS cardiacus cor mirificè corroborans & muniens, ne in pestilenti constitutione contagione offendatur: in ardenti febre & æstuoso cælo tutus, quòd moderato sit calore.

℥. radicum tormentillæ, dictamni, tunicis & scabiosæ, seminis acetosæ, endiuiz, coriandri præparati, seminis citrij, rutæ & cardui benedicti añ 3 j,

trium santalorum, been albi, been rubri, daronici romani, ligni aloës, zedoariæ, cinamomi, cardamomi, maceris, croci, rosarum rubrarum florum buglossi vtriusque, florum nymphæ añ 3 ij,

rasuræ eboris, spodij, id est eboris vsti, ossis è corde cerui, coralij albi, coralij rubri, succini, margaritarum splendorum, smaragdi, hyacinthi, granati añ 3 j,

20 ferici crudi torrefacti, boli armenæ, terræ lemniz añ 3 ℞,  
caphuræ, moschi, ambaris añ gr. vj. fiat puluis & ex octuplo sacchari albi aqua rosarum soluti concinentur tabellæ.

AROMATICVM rosarum maius moderato calore ventriculum omniumque viscerum concoctionem adiuuat, cruditatem emendat, humores superuacuos absumit, flatus discutit, ex morbo conualescentibus aptissimum.

℥. rosarum rubrarum 3 xv,

glycyrrhizæ rasæ 3 vij,

ligni aloës, santali citrini añ 3 iij,

cinamomi electi 3 v,

maceris, caryophyllorum añ 3 ij. ℞,

30 gummi arabici, tragacanthæ añ 3 ij. 3 ij,

nucis moschatæ, cardamomi, galangæ añ 3 j,

spicæ nardi, ambræ añ 3 ij,

moschi 3 j. ex octuplo sacchari tabulæ concinentur.

## PLANTIVS.

*Aromatici rosati vsitata compositio placuit.*

ELECTARIVM diarrhodon Abbatis ventriculi & præcordiorum æstus temperat, ac eorum nihilominus concoctioni opitulatur, flatus dissipat, doloresque lenit.

40 ℥. rosarum rubrarum 3 j. ℞,

santali albi & rubri añ 3 ij. ℞.

tragacanthæ, gummi arabici, eboris vsti añ 3 ij,

maïtiches, spicæ nardi, cardamomi, succi glycyrrhizæ, croci, xyloaloës, caryophyllorum, galliæ moschatæ, anisi, feniculi, seminis ocimi, acinorum berberis, seminis scariolæ, portulacæ & papaueris albi, quatuor seminum frigidorum maiorum, rheibarbari electi, cinamomi añ 3 j,

margaritarum, ossis è corde cerui añ 3 ℞,

caphuræ gr. vij,

moschi gr. iij. ex octuplo sacchari aqua rosarum soluti fingantur tabellæ.

## PLANTIVS.

50 *Ab electario diarrhodon asarum substraxit quòd ventriculum subuertat etiam leuissimè tritum, & saccharum candum quòd nihil magis quàm saccharum album conferat, electarium diagalangæ tametsi à plerisque ad ventriculi cruditates celebratum, propter tamen immodicum calorem exoleuit, cuius etiam loco si res postulet substitui poterit diambras vel diacalaminthes.*

**ELECTARIUM** diatriumfantallon calidam iecoris intemperiem emendat, eiusque obstructi reliquias tollit, & ieterum perfanat, viscus ipsum & ventriculum corroborat.

℞. triumfantallorum albi rubri & citrini, rosarum rubrarum añ 3 iij,  
rheubarbari electi, eboris vsti, succi glycyrrhizæ, feminis portulacæ añ 3 ij,  
gummi arabici, tragacanthæ quatuor seminum frigidorum maiorum mundatorum,  
feminis intubi añ 3 j β,  
caphuræ ʒ j. sacchari albi aqua rosarum soluti octuplum.

## PLANTIVS.

*Ex electario triumfantallorum subtractum est & exemptum amyllum tanquam superuacuum, neque in hunc ordinem relatum est electarium diacubeba, quod ad iecoris calidos affectus & obstructions plerique celebrant, quandoquidem non aliud complectitur quam hoc electarium triumfantallorum.*

**DIACROCV** quod & diacucurma vulgò appellatur, inueteratos hepatis lienisque affectus soluit, peruicaces obstructions atque iam incipientem schirrhū euellit, hincque ortam cachexiam & hydropis rudimenta perfanat,

℞. croci, avari, petroselini macedonici, dauci, anisi, apij feminis añ 3 β,  
rheubarbari, meu, spicæ nardi añ 3 vj,  
costi, myrrhæ, cassiæ lignæ, schœnanti, carpobalsami, radicis rubiæ, succi absinthij, 20  
succu eupatorij arefacti, olei balsami añ 3 ij,  
calami odorati, cinamomi añ 3 j β,  
scordij, scolopendri, succi glycyrrhizæ añ 3 ij β, sacchari albi aqua endiuicæ soluti decuplum.

## PLANTIVS.

*Electarium diacrocu quedam continet admodum rara & quæ vix suppetunt nobis, ut cassiam ligneam, carpobalsamum, opobalsamum: quæ si pratermittantur non minus efficax medicamentum erit ad ea quæ proposita sunt.*

**DIALACCA** maior ad iecoris lienisque veteres obstructions, ad malum habitum 30 & incipientem hydropem efficacior quam diacrocu.

℞. laccæ præparatæ, rheubarbari añ 3 iij,  
spicæ indicæ, mastiches, stipitum schœnanthi, absinthij romani, succi eupatorij Mesuæ, sabinæ, amygdalarum amararum, costi, myrrhæ, rubiæ, feminis apij, ammios, feniculi & anisi, avari, aristolochiæ longæ, aristolochiæ rotundæ, gentianæ, croci, cinamomi, hyssopi, cassiæ lignæ, summitatum schœnanthi, bdellij añ 3 j β,  
piperis, zinziberis añ 3 j, sacchari albi duodecuplum.

## PLANTIVS.

*Electarium dialacca maior, plures archonticon & exhilarans veterem retinent componendi rationem, quòd satis accommodatæ viderentur ad affectus titulo designatos.*

**ELECTARIUM** exhilarans Galeno falsò adscriptum, mœrorem & melancholiam præuicæque cogitationes discutit, spiritus omnes suscitatur, cõcoctionem iuuat, natium calorem auget, & canitiem arcet.

℞. florum ocimi, caryophyllati, croci, zedoariæ, xylobalsami aut ligni aloës, caryophyllorum, corticum citrij mali, galangæ, maceris, nucis moschatæ, styracis calaminthæ añ 3 ij β,

anisi, scobis eboris, thymi, epithymi añ 3 j,  
caphuræ, moschi, ambaris, margaritarum splendorum offis è corde cerui añ 3 β, 50  
foliorum auri & argenti añ ʒ β sacchari albiss. octuplum.

**ELECTARIUM** diaspermatid renes & vrinæ feminisque vias refrigerans ac leniēs, ab omni humoris illuue cl. menter expurgat.

℞. quatuor seminum frigidorum maiorum & minorum, feminis asparagi, pinpinellæ, ocimi & petroselini, granorum halicacabi añ 3 ij,  
milij folis, succi glycyrrhizæ añ 3 iij,

cinamomi,

cinamomi, maceris an. ʒj. sacchari albi aqua althææ soluti octuplum.

ELECTARIUM *μαλίων θρυπητόν* lumborum dolores compescit, renum ac vesicæ arenulas exturbat, nephritico dolori & dysuriæ succurrit, calculum sensim comminuit ac proterit.

℞. spicæ nardi, zinziberis, cinamomi, melano piperis, cardamomi, caryophyllorum, maceris an. ʒss,

costi, glycyrrhizæ, cyperi, tragacanthæ, chamædryos, an. ʒij,

feminis apij, ammios, asparagi, ocimi, vrticæ, citrij mali, saxifragi, pinpinellæ, carui, dauci, feniculi, rusci, petroselini macedonici, bardanæ & feseleos, asari an. ʒj,

10 Lapidis spongiæ, lapidis lycnis, lapidis cancri & lapidis Iudaici an. ʒj ʒ,

sanguinis hircini præparati ʒj ʒ, fiat puluis,

sacchari albiss. aqua betonicæ soluti decuplum. Vrgente autem doloris necessitate aut vrina suppressa puluis purus datur ex passo cretico à ʒij ad ʒj.

## PLANTIVS.

*Electarium diaspermaton variè & ad plerosque affectus descriptum legimus, hoc tamen sub eodem nomine aptissimè compositum videtur ad renum æstus, vrinæ ardores & ceteros affectus qui titulo designantur. Ab electario quod lithontribon appellant, detracta sunt ea imprimis quæ vix vsquam sincera inueniri queunt, & alia quædam adstrin-*

20 *gentia quæ obsunt confringendo calculo & exturbandis arenulis. Adiecta verò sunt pleraque semina & lapides nonnulli, & sanguis hircinus præparatus, quibus certè omnibus eximia vis est & facultas ad calculos & ad symptomata omnia eorū vitio genita. Si qua ex causa immoderatus huius calor metuitur, alterius electarij diaspermaton temperatione leniri poterit.*

ELECTARIUM diacalaminthes compositum potenter menstrua omnesque vteri purgationes ciet.

℞. pulueris electarij diacalaminthes simplicis ʒss,

foliorum prassij, sampsuchi, melissophylli, artemisiæ, sabinæ aridorum an ʒj,

30 cyperi, feminis rutæ & rubiæ, maceris, cinamomi an ʒij, sacchari albi aqua parthenij soluti duodecuplum.

## PLANTIVS.

*Electarium diacalaminthes compositum rectè his postremò loco adiectum videtur, quòd nullum extaret ad vteri illuuiem expurgandam aptum.*

## DE ANTIDOTIS HUMIDIS.

40 **A**NTIDOTVS analeptica vires omnes exolutas instaurat, cardialgiam, animi defectionem & syncopen tollit, corpus sanguinis profusione aut quavis immodica vacuatione extenuatum refarcit, tabidis & consumptis succurrit: humectans nimirum, nutriens & corroborans.

℞. rosarum rubrarum, glycyrrhizæ an ʒij. gr. v,

gummi arabici & tragacanthæ an ʒij. ʒij,

santalli albi & rubri an ʒj. ʒj,

fucci glycyrrhizæ, amyli, seminū papaueris albi, portulacæ, lactucæ & seriolæ an ʒiij,

quatuor seminum frigidorum maiorum, feminis cydoniorum, feminis maluæ, feminis bombacis, feminis violarum, strobilorum, pistaciorum recentium, amygdalarum dulcium, pulpæ sebesten an ʒij,

50 caryophyllorum, spodij, cinamomi an ʒi,

croci gr. v,

penidiorum ʒss. trita omnia excipiantur triplo syrupi violati.

## PLANTIVS.

*In antidoto analeptica quam resumptiuam appellant, nihil prorsus immutandum visum est præter simplicium ordinem, quòdque pro granis berberis adiecta sint pistacia.*

ANTIDOTVS diafatyrion semen genitale auget, venerem excitat, eamque ignauiorem & velut sopitam erigit, renum & spermaticorum vasorum imbecillitati auxilio est, & ad liberorum procreationem confert.

℞. radicis satyrj recentis ac solidæ, radicis pastinacæ satiuæ, radicis eryngij, nucis indicæ, strobilorum, pistaciorum an ʒj. β,

caryophyllorum, zinziberis, anisi, seminis etucæ, linguæ auis quæ semen est fraxini añ ʒ v,

cinamomi, caudarum scincorum, seminis bulbi añ ʒ ij. β,

moschi gr. v,

mellis optimi expumati lib. iij. Radices tunzæ coquantur ex melle ac subiguntur, his deinde nux indica, strobili & pistacia tusa similiter adiciuntur: reliqua postremò exquiritè trita.

## PLANTIVS.

*Diafatyrion tres quidem compositiones traduntur, sed quarum hæc vna vt efficacissima vice sit omnium.*

ANTIDOTVS è cocco baphico seu grano infectorio, quod kermes est Arabibus, cor exhilarat, mœrorem sine occasione discutit, melancholiam domat & maniam, spiritus vitæque exolutas resarcit.

℞. succi malorum fragrantium, aquæ rosarum an. ℞. ij. In quibus macera horis xxiiij. 20 serici staminis crudi lib. j. modicè bulliat & exprimatur, in liquore coquantur granorum infectiorum ʒ ij, decoctum iam rubes coletur, in quo dissolue sacchari albi lib. j. β. Rursum coquantur ad mellis consistentiam, adice sub finem ambrae crudæ contusæ ʒ β. cumque liquefacta fuerit, insperge hos pulueres.

ligni aloës crudi, cinamomi añ. ʒ vj,

lapidis cyanæ loti & præparati ʒ j β,

margaritarum non perforatarum ʒ ij,

foliorum auri purissimi ʒ j,

moschi ʒ j.

## PLANTIVS.

30

*Antidotus è cocco baphico, confectio Alkermes appellata, vix tutò potest ex serico iam tincto & (vt appellant) karmesino comparari, quòd id non sine galla, alumine & arrhenico, quod prorsus venenatum est, infici soleat. Multò igitur tutior atque præstantior est hæc componendi ratio.*

ANTIDOTVS è baccis lauri calore ac tenuitate flatus potenter discutit, colico atque etiam iliaco dolori familiaris.

℞. foliorum rutæ ʒ x,

ammios, cumini, nigellæ, libyfici seminis, origani, carui, amygdalarum amararum, 40 piperis longi, mentastri, dauci, acori, baccarum lauri, castorij añ. ʒ ij,

sagapeni ʒ β,

opopanacis ʒ iij,

mellis optimi expumati lib. j β,

PHILONIVM post sex menses datum ex opio vehementes & acerbos dolores consopit, colicos, nephriticos, atque pleuriticos: somnum accersit, destillationem sistit, tussimque lenit, sanguinis excreationem cohibet.

℞. croci ʒ v,

pyrethri, euphorbij, spicæ nardi, myrrhæ, castorij an. ʒ j,

piperis albi, hyoscyami an. ʒ xx,

opij ʒ x,

mellis optimi expumati lib. ij. huius dosis est à ʒ j. ad ʒ β.

## PLANTIVS.

50

*Philonij hæc descriptionem Galeni auctoritate & vsu comprobata, ceteris auctor prætulit, quòd vna satis sit ad vehementes cruciatus consopandos. Ei tamen, Mesuem se-*

CHENS,

cutus, myrrham & castorium addidit, quæ neque Galenus improbat, ut tutior sit permissio, quandoquidem his peculiaris vis inest corrigendi opij. Si compositionis modus spectetur, hic opij pondus ei ferè duplum est quod in philonio romano. Philonium maius quod romanum appellant, quoniam non nisi circiter dimidium habet opij, dupla dosi dari potest à ℥ ij ad ℥ j.

ANTIDOTVS requies appellata sine opio summum februm ardentium æstum restinguit, sitim lenit, deliria reprimat, somnum accersit, & requiem præstat.

- 10 ℥. rosarum, violarum, añ ℥ iij,  
corticum radice mandragoræ, seminis hyoscyami albi & papaveris albi, seminis seriolæ, lactucæ, portulacæ & psyllij, nucis moschatæ, cinamomi electi añ ℥ j. ℞,  
trium santallorum, spodij, tragacanthæ añ ℥ ij. mellis optimi expumati triplum.

## PLANTIVS.

Antidotus requies appellata, minus habet opij quàm omne philonij & opiati genus, valide tamen refrigerat ex aliorum simplicium permissione, quia omnia ferè frigida sunt. Eius tamen vsus vix tutus esse possit, propterea quod opium non satis emendatur calidorum mixture. At verò si ea compositio sine opio comparatur, non parum certè conferet ad leniendos ardentium februm æstus, & deliria & sitim & quæcunque symptomata ex febris feruore prodeunt.

Cætera philonij compositiones exterminanda sunt, ut minimum necessaria, quemadmodum & antidotus diolibanu & athanasia & musa anea, & requies cum opio, & tryphera magna, & Esdra magna à quouis authore sit, & aurea Alexandrina. Eiusmodi enim compositiones quæ opium habent, si ad dolores sunt compescendos, pro his satis fuerit descriptum philonium: sin verò desiderantur vel ad principes partes corroborandas, vel ad arcendam veneni cuiusvis malignitatem & alios plerosque affectus, ut tryphera magna, Esdra magna & aurea alexandrina, & athanasia, satis pro his fuerint theriace & mithridatium. Præmittitur quoque confectio anacardina, his quas dixi planè contraria. Nam tamen ad multos celebretur affectus, calore tamen quo summo exuperat, parum tuta est quod spiritus & humores promptè inflāmet, & febrem promptè accersat.

Theriace diateffaron ad epilepsiam, conuulsionem, paralyfin, ventriculi cruditatem, cachexiam & hydropem, aliòsque frigidos affectus: præterea aduersus haustum venenum, & virulentarum bestiarum morsum & pestilentem constitutionem apprimè utilis.

- 40 ℥. radice gentianæ, baccarum lauri, myrrhæ, aristolochiæ rotundæ añ ℥ ij. laboriosè trita omnia excipiantur lib. ij. mellis optimi expumati.

Theriace Andromachi senioris, virulentarum bestiarum ictibus & exitialibus venenis aduersatur, comitiales, attonitos, resolutos, cephalalgicos, asthmaticos, hæmoptoicos, stomachicos, ictericos, hydropicos, nephriticos, colicos, arthriticos, melancholicos, lymphaticos, atque etiam elephanticos iuuat: menstrua & mortuum foetum excludit, cor, cerebrum, hepar, stomachum & corpus vniuersum mirè corroborat, idque à pestilenti contagione tuetur.

- 50 ℥. trochiscorum scylliticorum ℥ vj,  
trochiscorum theriacorum, magmatis hedychroi, piperis longi, opij añ ℥ iij,  
rosarum rubrarum, iridis illiricæ aut florentinæ, glycyrrhizæ, seminis napi syluestris, scordij, opobalsami, cinamomi, agarici añ ℥ j. ℞,  
myrrhæ, costi, croci, cassiæ lignæ, nardi indicæ, schœnanthi, thuris masculi, piperis albi & nigri, dictamni, marrubij, theibarbari, stœchadis, seminis petroselini macedonici, calamites, terebinthinæ, zinziberis, radice pentaphylli añ ℥ vj,  
polij montani, chamæpityos, styracis calamitæ, mei, amomi, nardi, celticæ, sigilli lemnij, phupontici, chamædros, foliorum malabatri aut macis, chalcitidis tostæ (quæ vtiliter præmitti potest) radice gentianæ, anisi, succi hypocisthidis, carpobalsami, gummi

arabici splendidi, seminis feniculi, cardamomi minoris, seseleos, acatiæ, thlaspios, seminis hyperici, ammos an ʒ β,

castorij, aristolochiæ longæ seu tenuis, seminis dauci, bituminis Iudaici, opopanax, centaureij minoris, galbani an ʒ ij.

mellis optimi expumati tripulum, id est lib. xiiij. ʒ iij, vini optimi odorati quantum satis fuerit dissoluendis liquoribus & succis. Summa dosis est ʒ iij, aut sesquidrachmæ. Nam ʒ j pulueris aut ʒ iij compositionis continent opij granum vnum.

## PLANTIVS.

*Theriaces compositionem ab Andromacho seniore elegiaco carmine traditam sequutus idcirco est, quod neque simplicium numerus neque pondus carmine facile mutari possit. Hanc nonnulli postea alio & fortasse conuenientiore simplicium ordine digesserunt, quibus etiam abrotanum & acorum adiecerunt, mutatis quoque quorundam simplicium ponderibus, ut idcirco minus certa haberi debeat, sitque huic vni inscriptioni citra controuersiam insistendum. Quod de chalcitide, id est vitriolo vsto huic compositioni non admiscendo Valerij Cordi imitatione monet, id quidem in primis consentaneum videtur. Cum enim medicamentum id præsertim vstum summè causticum sit, escharoticum & internis visceribus insensissimum, nihilque ad vllum interiore affectum conferre proditum sit, non est cur tanto incommodo & saporis insuauitate in hanc compositionem admitti debeat. Si ut quibusdam videtur compositionem totam nigriorem reddat, non debet in vnam caloris gratiam sapore & viribus tantoperè corpori incommodare. Eo subtracto compositio tota utilior, minus acris & calida, & suauior euadet.*

**MITHRIDATIVM** theriacæ vires proximè emulatur, & ad eosdem vsurpatur affectus, vsu quidem faciliore & minore acrimonia caloris. Ex Andromachi descriptione quæ Galeno aliisque vetustioribus medicis probatur.

ʒ, myrrhæ, nardi indicæ an ʒ j ʒ β,

croci, cinamomi, scordij, zinziberis an ʒ vij β,

opij ʒ iij. gr. xv.

styracis, seseleos, abrotani, libanotidis, an ʒ v,

castorij ʒ vj ʒ β,

polij, costi, pipetis longi, seminis dauci, schœnanthi, galbani, terebinthinæ an ʒ vj β,

piperis albi ʒ v ʒ j,

petroselini seminis, nardi celticæ, seminis feniculi, folij indi aut maceris, gentianæ, rosarum siccarum, mei athamantici an ʒ iij.

castiæ lignæ ʒ v β,

thuris ʒ vj ʒ j,

fucci hypocisthidis ʒ vj. gr. xv,

acori aut calami aromatici, phupontici, sagapeni, fructus balsami, hyperici, iridis, acatiæ, gummi, cardamomi, pelicini, id est nigellæ an ʒ ij,

terræ lemnæ, lumborum scinci, cypheos, opopanax an ʒ vj,

thlaspios ʒ vj ʒ j,

anisi, hyssopi, chamæpityos an ʒ iij,

opobalsami, aristolochiæ rotundæ, marrubij an ʒ j,

mellis optimi expumati lb. vij. β.

## PLANTIVS.

*Mithridatij antidoti compositiones quatuor extant variæ quidem & admodum dissimiles: vna omniumque maxima Nicolai est Mithridatij à Nicolao Preposito descripta, & ab omnibus vbique pharmacopœis vsurpata, quam omnes quotidie experiuntur magna vi pollere aduersus febres malignas & pestilentes, venenum, vomitiones, cruditates, lienterias aliosque plurimos affectus. Ea quæcunque primum authorem aut inuētorem habuerit, longè lateque inuulgata tandem est. Altera est Democratis vetusti Græci authoris ab*

Avicenna

Auicenna quoque usurpata & in Nicolai Praepositi medicamentarium librum relata: quæ ut compositione ita & usu superiore facilior, nec viribus inferior est deprehensa, sed sanè ad malignos & contagiosos affectus multo præstantior. Tertia ab Andromacho descripta, deinde & quarta quam Calenus, Aetius, aliique Græci ex Antipatro & Cleophanto vetustioribus medicis deprompserunt. Posteriores hæc duæ non admodum dissimiles videntur, nam ex iisdem fere simplicibus ordine licet transpositis hæc constant, quorum pondera paucis quibusdam obolis euariant: ut idcirco hæc videantur in eodem usu enaptanda. At nihilominus quoniam postrema hæc paulò locupletior est, ex duobus & quinquaginta simplicibus composita, & Caleni diligentia iudicioque reformata atque comprobata, tanquam omnium præstantissima & ad eos qui dicti sunt affectus efficacissima censi debet. Hanc igitur unam à medicis omnibus usurpandam Author in antidotos retulit, transposito tamen simplicium ordine, & omnibus quorum idem pondus erat in eandem classẽ reductis, ut hinc minor esset pharmacopœo componendi atque conficiendi labor.

## DE TROCHISCIS SEV PASTILLIS.

20 **T**ROCHISCI è vipera quorum vsus est magnæ theriaces compositionem. Viperarum electarium atque præparatarum caro ex aqua pura cum anetho viridi & sale coquitur dum ossa deferat: exempta teritur pila marmorea, sensimque aspergitur pari pondere medullæ panis triticeï arefacti, affuso interim proprio viperarum iusculo si opus sit, & opobalsami vel succedanei momento, trochisci concinnantur drachmæ pondere diligentèrque ficcantur in umbra.

TROCHISCI scyllitici in eandem theriaces compositionem referendi.

℞. medullæ scyllæ assatæ lib. j,

farinæ erui ʒ viij. simul exquisitè tunsa digeruntur in trochiscos, & in umbra exicantur.

30 **T**ROCHISCI hedychroi quorum idem quoque est vsus ad theriaces compositionem.

℞. mari aut balsamitæ, amaraci, asari, aspalathi aut eius succedanei añ ʒ ij,

schœnanthi, calami odorati aut galangæ, phupontici, xylobalsami, opobalsami aut

succedaneorum, cinamomi, costi añ ʒ iij,

myrrhæ, folij, nardi indicæ, croci, cassiæ añ ʒ vj,

amomi ʒ xij,

mastiches ʒ j. vini optimi quantum satis est ad trochiscos fingendos.

TROCHISCI cypheos ad mithridatij compositionem expetiti.

40 ℞. pulpæ vuarum passarum, terebinthinæ coctæ añ ʒ iij,

myrrhæ, schœnanthi añ ʒ j. ʒ,

calami aromatici ʒ ix,

cinamomi ʒ ʒ.

bdellij, onychis id est blattæ bizantiæ, spicæ nardi, cassiæ lignæ, cyperi, arceuthidum, id est baccarum iuniperi añ ʒ iij,

aspalathi ʒ ij. ʒ,

croci ʒ j, mellis expumati, vini optimi añ quantum satis fuerit ad trochiscos concinnandos.

50 **P**LANTIVS in trochiscos.

Trochiscorum qui ad magnas compositiones veterum omnium sententia celebrati sunt, nulla facta est mutatio, ne quid etiam in maioribus compositionibus usu confirmatis immutaretur.

TROCHISCI è capparibus lienis duritiem, terrenam melancholiam flatúsque discutunt.

℞. corticum radicum capparidis, seminis agni añ ʒ vj.

ammoniaci ʒ ʒ,

feminis nigellæ, calamitæ, succi eupatorij, amygdalarum amararum, foliorum rutæ, aristolochiæ rotundæ, feminis nasturtij an ʒ ij, cyperij, scolopendrij, id est cæterachi, an ʒ j. Pulveres excipiantur ammoniaco in aceto dissoluto, finganturque pastilli.

## PLANTIVS.

*Trochisci è capparibus optimè etiam descripti sunt, quibus si præterea addere placet gummi lacce seu caucami & rubiæ tinctorum an ʒ j. efficaciores reddentur: nec alij trochisci de lacca in hunc usum admittendi erunt, quòd hi è capparibus satis sint ad lienis obstructions & veteres affectus.*

TROCHISCI de eupatorio iecoris præsertim obstructions tumorè que solvunt, diuturnas hinc natas febres, icterum & incipientem hydropem sanant.

℞. manna electæ, succi eupatorij an ʒ j, rosarum ʒ ß, spodij ʒ iij ß, spicæ nardi indicæ ʒ iij, rheibarbari, asari, anisi an ʒ ij ß. Excepta omnia succo eupatorij & manna redigantur in trochiscos.

## PLANTIVS.

*Trochisci ex eupatorio substituuntur quoque pro trochiscis ex rheobarbaro & pro trochiscis ex absinthio, quòd eorum magna sit affinitas, idè que usus.*

TROCHISCI alkekengi seu halicacabi renum ac vesicæ exulcerationes, hincque natam vrinæ difficultatem & sanguinis emictionem compescunt.

℞. baccarum halicacabi ʒ iij, feminum citrulli, melonum & cucurbitæ mundatorum an ʒ iij. ß, boli armenæ, gummi arabici, thuris, sanguinis draconis, papaveris albi, amygdalarum amararum, succi glycyrrhiæ, tragacanthæ, amyli, strobilorum an ʒ vj, feminis apij, succini, terræ lemnæ, feminis hyoscyami, opij an ʒ ij. ex succo halicacabi trochisci fiant. Alij quoque his perfimiles sine opio componantur.

TROCHISCI è myrrhâ menses validè cient, morbisque ex eorum suppressione medentur, secundas, fœtû que mortuum excludunt.

℞. myrrhæ ʒ iij, lupinorum ʒ v, foliorum rutæ, mentastri, pulegij, cumini, rubiæ, affæ fœtidæ, sagapeni, opopanacis an ʒ ij. ex succo artemisiæ pastilli formantur.

TROCHISCI è terra lemnia incitatos & ferocientes humores præsertimque tenues compescunt, immodicum alui fluorem sumpti sedant, sanguinis sputum, vomitionem atque mictionem sumpti quoque compescunt, & aliam siue è naribus, siue ex vtero, siue ex hæmorrhoidè & vndeuis factam sanguinis profusionem admoti suppri-

munt. ℞. sanguinis draconis, gummi arabici affati, rosarum rubrarum, feminis rosarum, amyli affati, spodij, acariæ, hypocisthidos, lapidis hæmatitæ, balaustiorum, boli armenæ, terra lemnæ, corallij rubri, succini an ʒ ij, margaritarum, tragacanthæ, papaveris nigri an ʒ j. ß, feminis portulacæ tosti, cornu cerui vsti, thuris, nucum cupressi, croci an ʒ ij. cum succo, aut stillaticio liquore plantaginis fingantur trochisci.

## PLANTIVS.

*A trochiscis è terra lemnia subtracti sunt trochisci ramich quòd bonam istorum partem contineant. Hi autem plurimam adstringentium pariterque refrigerantium medicamentorum materiam complexi videntur, ut idcirco non alius sit opus adstringentibus compositionibus: cùm que hæc omnium sit validissima atque tutissima, alie omnes supprimantur ut trochisci ramich, trochisci diarhodon, trochisci oxyacanthæ, trochisci è succino seu carabe & trochisci è spodio, quorum omniû minus est apta compositio. Trochisci dia-*

*sci diarhodan qui ex rosis, spodio, santalorubro & albo, ex croco & caphura constant, in istorum locum suffici quoque poterunt, si sapore nimium horrendi videbuntur.*

**TROCHISCI** è caphura febrium ardentium æstus, sanguinis bilisque feruorem, viscerum inflammationem calidiorémque intemperiem, ex hisque ortam sitim compescunt.

℞. rosarum rubrarum ʒ β,  
spodij, glycyrrhizæ añ ʒ ij,  
quatuor feminum frigidorum maiorum, tragacanthæ, gummi arabici, croci, spicæ  
10 nardi indicæ añ ʒ j,  
santali citrini ʒ ij. β,  
ligni aloës, cardamomi, amyli, caphuræ añ ʒ ij. sacchari albiss. mannæ electæ añ ʒ iij.  
mucilaginis psyllij ex aqua rosarum depromptæ quantum satis est ad concinnandos trochiscos.

**TROCHISCI** galliæ muschatę sumpti cor, cerebrum, reliquaque viscera mirè corroborant, os corpusque totum odoris suauitate perfundunt.

℞. ligni aloës crudi ʒ v,  
amburæ ʒ iij,  
20 moschi ʒ j. mucilaginis tragacanthæ ex aqua rosarum factæ quantum satis est ad trochiscos.

**TROCHISCI** aliptæ muschatæ idem quoque tum sumpti tum suffitu excepti præstant, difficilique respiratione liberant.

℞. ladani puriss. ʒ iij,  
styracis calaminthæ ʒ j β,  
styracis rubiæ ʒ j,  
ligni aloës ʒ ij,  
amburæ ʒ j,  
caphuræ ʒ β,  
30 moschi ʒ β, aquæ rosarum stillatiæ quantum exigitur.

**TROCHISCI** bechici albi qui & pilullę albę nuncupantur, acrem destilationem leniunt, raucitatem & assiduam tussim compescunt.

℞. sacchari albissimi lib. j.  
sacchari candi, penidiorum añ ʒ iij,  
radicis iridis florentinæ ʒ ij,  
amyli ʒ j β, mucilaginis tragacanthę ex aqua rosarum factę quantum satis fuerit ad trochiscorum conformationem.

**TROCHISCI** narcotici tutò admoti capitis dentiúmque dolorem consopiant, in febrium ardoribus somnum accerunt, erysipelata, inflammationes extinguunt, partium omnium externarum dolores aliis medicamentis soluti compescunt.

℞. gummi arabici & tragacanthæ, amyli añ ʒ β,  
cerusæ lotæ aqua rosarum ʒ vj,  
styracis calaminthæ, myrrhæ, castorij, opij sapa soluti añ ʒ iij,  
croci ʒ β. Trita omnia excipiantur mucilagine psyllij ex aqua rosarum deprompta finganturque trochisci.

## PLANTIVS.

*In trochiscorum ordinem adürgentes cruciatus rectè hoc loco postremo trochiscos adiecit narcoticos, quorum in primis apta est compositio, & vsus pernecessarius: nec vlli extabant in eos affectus accommodandi.*

Vu

## DE ECLEGMATIS ET CONDITIS.

**E**CLEGMA è pineis nucleis crassos thoracis pulmonumque humores extenuat atque detergit, asthmatis, spirandi difficultati, tussique veteri idoneum.

℞. nucleorum pineorum recentium ʒ xxx,  
pulpæ palmularum ʒ xxxv,

amygdalarū dulcium, amygdalarum amararum, auellanarum affatarum, tragacanthæ, gummi arabici, glycyrrhizæ, amyli, capilli veneris, iridis florentinæ añ ʒ iiij, 10  
pulpæ passularum, butyri recentis, sacchari albiss. añ ʒ iiij,  
mellis albi expumati lib. iij. fiat eclegma.

E C L E G M A sanum & expertum, ad ea quæ proposita sunt superiore validius.

℞. cinamomi, hyssopi, glycyrrhizæ, añ ʒ ʒ,  
zizypha, myxaria, añ xxx. num.

vuarum passarum purgatarum, ficuum aridarum, palmularum pinguium añ ʒ ij,  
fenigræci ʒ v,

capilli veneris m. j,

feminis anisi, feniculi & lini, radicis iridis, foliorum calaminthæ añ ʒ ʒ. coquantur omnia in aquæ lib. iiij. dum libræ duæ supersint : expressum ius coquatur cum penidiorum lib. ij. ad mellis crassitudinem, ac tum ad iice 20

pinearum purgatarum ʒ v,

amygdalarum dulcium mūdatarum, glycyrrhizæ, tragacanthæ, gummi arabici, amyli añ ʒ ij,  
iridis ʒ ij.

E C L E G M A è scylla ad eadem vitia accommodatum.

℞. succi seu mucoris scyllæ & mellis optimi expumati añ lib. j. coquantur in eclegmatis consistentiam.

E C L E G M A ad asthma omnium quæ proposita sunt efficacissimum.

℞. scyllæ affatæ ʒ ʒ,

radicis iridis, hyssopi, prassij, marrubij, añ ʒ j,

myrrhæ, croci añ ʒ ʒ, ex melle sufficienti fiat eclegma quod etiam ex scylla compositum appellant. 30

S I M P L I C I A multa saccharo condiuntur, vt diutius integris viribus persistant: alia quidem integra, alia contusa. Integra quidem triplo saccharo coquuntur, dum omnino absumpto humore syrupi perfecti consistentia supersit: vt acorus conditus, ad frigidos cerebri & neruorum affectus, & eorum robur accersendum.

Z I N Z I B E R conditum ad ventriculi cruditates & lentam pulmonum pituitam.

Buglossi radix condita ad cordis palpirationem & animi defectionem.

Periica condita, Mala odorata cōdita, Cortex citrij conditus ad cardialgiam & melancholiam. 40

Cydonia condita & diacydonion, Pira condita ad ventriculum firmandum atque corroborandum.

Nuces iuglandes conditæ, Myrobalani emblicæ atque cepulæ cōditæ, Nux moschata condita ventriculi concoctionem iuuant, appetentiam inuitant, roburque augent.

Cerasia condita, Surculi lactucæ, endiuia & portulacæ conditi refrigerant, sitim leniunt, appetentiam excitant.

Oxyacantha condita, Ribes conditum sitim & bilis ardorem extinguunt, reprimuntque alii profluvia.

Satyrium conditum, Eryngium conditum feminis prouentum faciunt & libidinem 50 excitant, conceptionemque iuuant.

At verò quæ coctionem vix sustinent contrita duplòque saccharo permista infolantur conseruāturque, & nomen retinent sacchari compositi vt iosacchar, rhodosacchar: hæc autem præcipuè extare debent, saccharum rorismarini, saccharum florum betonica, florum pæonia & stæchados, ad cerebri neruorumque frigidos affectus & eorum robur continendum, ad epilepsiam & apoplexiam.

Saccharum

Saccharum è floribus iridis & è capillis veneris, & è radice enulæ, pectus blandè expurgat, pulmonésque iuuat.

Saccharum symphyti cruentam excretionem sedat.

Saccharum violarum & florum buglossi, cor refrigerat & exhilarat.

Saccharum rosatum ventriculum firmat, arcetque destillationes, & sanguinis eruptiones compescit.

Saccharum è floribus cichorij iecur refrigerat eiusque obstructiones expedit.

S V C C I præterea medicati non pauci in vsu asseruntur alij simplices ac synceri, alij saccharo permisti, qui quòd coquendo in sapæ consistentiam crassescant, Arabibus propterea robur, id est sapales appellantur. Expressi subsidere permittuntur dum inclarescant, purior portio percoquitur in mellis crassitudinem, deinde insolatur & reconditur. Si saccharum permiscendum est, debet id pari dimidium modo esse.

Succus è ribes asseruatur ad sitim, ad biliosas vomitiones aut alui excretiones.

Succus è nucibus diacryon dictus ad acres destillationes & anginas, habet succi nucum iuglandium recentium lib. iij. mellis optimi lib. ij. coquantur ad mellis consistentiam.


Succus è moris diamoron dictus, ad depascentia oris & gingiuarum vlcera & ad destillationes acres.

℞. succi mororum domesticorum lib. s,  
succu mororum rubi, mellis optimi expumati añ lib. j,  
sapæ ʒ iij. coquantur in mellis consistentiam.

Succus prunorum syluestrium coquitur dum profus crassescat, & pro acatia usurpatur.

## DE EXTERNIS MEDICAMENTIS,

### AC PRIMVM DE OLEIS.

30  L E V M rosarum inflammationes & stomachi ardorès extinguit, roborat, densat, fluxionésque sistit.

℞. gemmarum rosarum rubrarum recentium, vnguibus expurgatarum atque tritarum, succi rosarum añ lib. j. macerentur in olei omphacini salis expertis lib. v. in vitro vase obturato, diebus septem insolentur, coquantur tribus horis in vase duplici, expressis abiectis que foliis noua immittantur, permutenturque secundo ac tertio. Postremo expressis abiectis que foliis insolentur & coquantur vase duplici, dum succus absumptus sit. Si oleum deest omphacinum salis expertis, vulgare identidem agendum lauandumque succo vuae acerbæ.

40 O L E V M violarum ardorès extinguit remittitque phlegmonas, pleuriticos iuuat, pulmonis thoracis que vitia lenit. Fit ex vulgari oleo maturo vel amygdalino recenti & insulso, aut quod saltem aqua frigida elotum sit. In id igitur recentes violæ purpureæ coniiciuntur operculato vase, insolanturque dies solum x. tertio quoque die violis mutatis additis que postremo ficcis.

O L E V M nymphææ magis refrigerat, ardorés que præcipuè renum, vesicæ & capitis, ac etiam delirium compescit, accersit que somnum. Fit vt violaceum ex floribus nymphææ albis oleo loto maceratis, at insolatur dies xx. floribus ter interea mutatis.

50 O L E V M papaueris omni efficacius quam nymphææ præstat, & propriè capitis dolores atque deliria sedat, somnum que conciliat. Papaueris albi flores, folia atque capita contusa macerantur oleo loto, perficiturque vt nymphææ. Coqui etiam potest leniter vase duplici. Sunt qui è papaueris albi semine perinde atque ex amygdalis oleum hoc exprimunt.

O L E V M hyosciami albi eadem ratione comparatur atque papauerinum, tum macerando tum exprimendo: non minus ad omnia efficax quam papauerinum.

O L E V M mandragoræ simplex multò euidentius refrigerat, dolores ex inflammatione compescit & somnum accersit. Fit autem è pomis mandragoræ tuis & oleo maceratis leniterque coctis vt nymphææ oleum.

**O L E V M** mādragoræ compositum omnium summè refrigerat, & dolores omnes ex inflammatione atque etiam alios confopit, capitis dolores, phrenitides compefcit, illitum & naribus obiectum, promptè que somnum conciliat.

℞. olei ℥.ij.β,

fucci pomorum mandragoræ ℥.iiij,

fucci hyofciami albi ℥.ij,

fucci capitis papaueris albi ℥.iiij,

fucci violarum, fucci cicutæ tenerrimæ añ ℥.j,

opij, styracis calaminthæ añ ℥.β. permista omnia diebus x. insolentur, deinde coquātur vase duplici dum fucci absumpti sint, oleum tandem coletur atque recondatur.

**O L E V M** melinum quod & cydoniorum, refrigerat & adstringit, ventriculo, iecori, intestinisque imbecillis accommodatum: hinc vomitum, alui profluuium, sudorè que illitu sistit.

℞. cydoniorum cum cortice & semine tusorum, fucci cydoniorum añ lib.β.

miscce in vase vitreo & affunde olei omphacini lib. j.β. In sola diebus xv. deinde bulliant horis quatuor in vase duplici. Expressis cydoniis alia deinde similiter secundò incoquantur, atque etiam tertio dum nihil reliquum sit humoris. Expressum tandem oleum recondatur.

**O L E V M** myrtinum refrigerat, adstringit, & roborat, propriè verò cor, ventriculum cerebrum atque neruos: fit vt melinum ex myrti bacci & foliis, addito etiam succo cum haberi potest.

**O L E V M** mastichinum cerebrum, neruos, ventriculum hepârque adstrictione corroborat, lienterix, vomitioni & cruditati accommodatum.

℞. mastiches ℥.iiij,

aquæ rosarum ℥.iiij,

olei omphacini vel rosacei lib. j. coquantur in vase duplici ad aquæ consumptionem. Vinum vice aquæ rosarum imponitur, quum neruorum lassitudo lenienda est.

**O L E V M** mentæ ventriculum aliâque partes illitu corroborans concoctionemque iuuans moderato calore: mentæ satiuæ tunsa folia cum succo macerantur in oleo omphacino, insolantur, coquuntur, sæpiusque mutantur, vt in rosaceo præceptum est.

**O L E V M** absinthij modicè calfacit & corroborat, concoctionem iuuat, appetentiam excitat, obstructa soluit, lumbricos enecat. Absinthij comæ tunsa in oleo quoque omphacino macerantur, hocque vt mentæ oleum perficitur.

**O L E V M** chamæmelinum neruos atque membranas moderata adstrictione corroborat, modicè resoluit, dolores apprimè sedat.

℞. florum chamæmeli recentium & tusorum lib. j. mergantur & macerentur in oleo dulci maturo & insolentur diebus canicularibus xx. expressis reiectis que foliis oleum recondatur.

**O L E V M** liliorum thoracis, ventriculi, vteri, renum, vesicæ atque neruorum dolores sedat, lenit atque coquit.

℞. florum liliorum alborum integrorum abiectis duntaxat filamentis, croceis lib. j. macera in oleo dulci & maturo & insola diebus xx. Fit & aliud quod compositum appellat ad omnia quæ dixi efficacius, quod recipit,

mastiches calami aromatici, costi, olei pyrethri, carpobalsami añ ℥.j,

caryophyllorum, cinamomi añ ℥.β,

croci ℥.iiij, Tunsa omnia aqua macerentur horis xxiiij, bulliant modicè, subtractis igne affunde olei dulcis lib. ij,

Foliorum lilij ℥. viij. Insolentur dies xl. expressumque oleum reponatur.

**O L E V M** leucoij lutei, thoracis, renum, vesicæ, neruorum articularumque dolores compefcit.

℞. florum leucoij lib. j. macera in ℥. j.β. olei dulcis, In sola dies x. ter mutatis floribus: expressum oleum reponitur, adiectis si placet florum siccorum ℥. iiij.

**O L E V M** iasminum eadem quæ leucoij oleum multo que validius confert, summè præterea molliens ac leniens. Similiter è iasmini floribus comparatur atque liliorum.

**O L E V M** anethinū modicè calfacit & digerit, cephalalgia neruorumque dolores lenit & somnum cõciliat. Fit ex comis anethi viridibus, quæ in sufficenti oleo dulci macerantur

rantur in solanturque die vno: aut coquuntur in vase duplici, expressisque comis colatum oleum reconditur.

**OLEVM** amygdalarum dulcium dolores demulcet, partes exasperatas, præcipuè verò pulmones renisque lenit, sicca & dura emollit, hæcticis & tabidis familiare. Fit autem sic, amygdalæ dulces diligenter expurgatæ plurimum teruntur, affuso aquæ rosaceæ momento, deinde vase exceptæ circiter horas quinque in aqua calida continentur foueanturque vt aliquantum incallescant. Postea sacculo conclusæ torculari premantur dum oleum emanet.

**OLEVM** lumbricorum moderato calore emollit, lenitque dolorem contusis & arthriticis in primis aptum.

℥. lumbricorum terrestrium lotorum & præparatorum lib. β,  
vini albi ℥ ij,

olei dulcis lib. ij. bulliant dum vinum consumptum sit, & lumbrici contabuerint, percoletur oleum & seruetur.

**OLEVM** irinum coquit, extenuat, resoluit, hepatis, splenis, vteri, & articulorum dolores sedat, thoracis, pulmonumque materiam coquit.

℥. radicum iridis tunfarum lib. β. florum integrorum lib. j,  
decocti vel si potentius optatur succi alterius radices iridis lib. j,

olei dulcis lib. ij. β. coquantur in vase duplici dum liquor euaporauerit: expressis deinde radicibus & foliis recondatur oleum.

**OLEVM** rutaceū calfacit, crassos humores attenuat, discutitque flatus quàm anethinū valentius, confert dolori colico, paralyti, spasmo, vteri ac vesicæ porfrigerationi.

℥. foliorum rutæ modicè siccorum, succi eiusdem añ ℥ β. Macera triduum in olei dulcis ℥. iij. bulliant in vase duplici dum succus sit absumptus: expressa deinde ruta ter quaterve mutetur, postremò expressum oleum seruetur.

**OLEVM** amygdalarum amararum validè attenuat atque incidit, flatus omnes præfertim aurium tinnitus dissipat, obstructions iecoris aliorumque viscerum tenuando detergendoque expedit, duritias præfertimque neruorum mollit. Fit ex amygdalis amaris siccis & expurgatis, tunfis, aqua feruente calfactis, pressisque torculari dum oleum emanet.

**OLEVM** è capparibus extenuando detergendoque duritiem omnem proprièque lienis & obstructionem soluit, eiusque dolorem omnemque affectum lenit.

℥. corticis radicis capparidis ℥ j,

corticum tamarisci, foliorum tamarisci, seminis agni, scolopendrij seu asplenij, cyperi añ ℥ ij,

rutæ ℥ j,

aceti, vini optimi añ ℥ ij,

olei maturi lib. j. coquantur in vase duplici ad consumptionem vini & aceti, percolatum oleum recondatur.

**OLEVM** nardinum calfacit, tenuat, digerit ac roborat: cerebri, ventriculi, hepatis, lienis, renum, vesicæ ac vteri frigidis & flatulentis affectibus mirè succurrit tum simplex tum compositum.

℥. spicæ nardi ℥ ij,

vini optimi, aquæ rosaceæ añ ℥ ij. β,

olei dulcis lib. j. β. coquantur horis circiter quatuor vase duplici prunis non acribus dum vinum & aqua euaporent.

**OLEVM** nardinum compositum.

℥. spicæ nardi ℥ ij,

sampfuchi ℥ ij,

xyloaloes, enulæ, folij aut maceris, calami aromatici aut galangæ, foliorum lauri, cyperi, schœnanthi, cardamomi añ ℥ j. β. contusis affunde

vini, aquæ rosaceæ añ. lib. j.

olei dulcis lib. v. macerentur horis xxiiij. deinde coquantur in diplomate horis sex subinde mouendo dum vinum & aqua absumatur.

**OLEVM** laurinum calidum & extenuans, vetriculi flatus colicosque dolores, capitis, viscerum, vteri, renū neruorumque frigidos morbos discutit. Lauri bacca maturæ

tundantur diuque ex aqua coquantur, colato iuri atque refrigerato pinguedo innatās colligatur & pro oleo recondatur.

OLEVM vulpinum attenuat & aliquantum digerit : podagræ omnique arthritidi leniendæ omni morbi tempore vtile.

Vulpem pelle nudam & exenteratam, minutim concisam, coque in aqua fontanæ & marinæ seu falsæ paribus portionibus: ex dimidio coctæ adde.

falis ℥ iij,

olei veteris puri lib. iij,

thymi, anethi, origani añ lib. ℞. coquantur ad artuum dissolutionem & aquæ consumptionem exprimatúrque oleum. 10

OLEVM è scorpionibus extenuat adeò vt illitum lumbis renum calculum, publi verò aut perinæo illitum aut in vesicam iniectum vesicæ calculum terere & exturbare credatur.

℥. radice aristolochiæ rotundæ, gentianæ, cyperi, corticum radice capparis añ ℥ j. contusa omnia macerentur in lib. j. ℞. olei amygdalarum amararum & insolentur dies xx. deinde modicè coquantur in vase duplici, iniectis sub finem scorpionibus quindécim. Iterum insolentur dies xxx. ac tum excolatum oleum recondatur.

OLEVM terebinthinæ calidum est ac tenue, altèque penetrans magis quàm terebinthina: præduros tumores molli & extenuat, frigidos neruorum & articulorum morbos tollit addito robore. 20

℥. terebinthinæ lucidæ lib. iij. reponere in cucurbitam vitream, quam in arenas immerge, ignèque subdito arte halchymistica aquam primùm, deinde lucidissimum elicies oleum, ac postremò flauum.

OLEVM ricininum quod de kerua appellant, summè tenuans ac digerens, aurium dolores tinnitúsque dissipat, manantia capitis vlcera, pforas, lepras fœdásque cicatrices extergit, clystere aquas & lumbricos elicit.

Ricini grana expurgata tunduntur, ex hisque perinde atquæ ex amygdalis oleum prolicitur.

OLEVM balaninum aurium quoque dolores & strepitus soluit, varos, lentigines, maculas, cicatricésque nigras delet, & aluum subducit, vomitúmque ciet. Fit ex balano myrepica quod granum ben Arabes appellant, teritur, calefit, oleúmque exprimitur, non aliter quàm ab amygdalis. 30

OLEVM è castorio frigidis confert cerebri & neruorum affectibus, surditati, aurium tinnitui, paralyfi, tremori, spasmo & febrium rigori inuncta dorfi spina.

℥. castorij aqua vitæ soluti ℥ j, olei ℞. j. bulliant in vase duplici dum tertia pars absumpta sit.

OLEVM euphorbij simplex eadem sed efficacius multò præstat, ac præterea naribus immissum pituitam elicit.

℥. euphorbij ℥ ℞,

olei leucoij lutei, vini odoriferi añ ℥ v. coquantur ad vini consumptionem.

OLEVM è lateribus, quod & philosophorum appellant, calfacit, penetrat, mollit dura, resoluit ac discutit tumores frigidos: opitulatur spasmo, epilepsia, paralyfi, podagræ, & omnibus iuncturarum & neruorum frigidis affectibus. Laterem ruffum ac inueteratum in frustula confringe, hæc vrito in prunis donec tota excauduerint: deinde exempta restinguito in oleo claro veteri, & dimittito quousque se oleo impleuerint. Postea oleo exempta in tenuissimum puluerem contundito, atque in cucurbitam vitream indito & arte oleum elcito & reponito. 40

PETROLEVM summè calidum, attenuans, penetrans, siccans ac digerēs: materiam omnem frigidam è quauis corporis sede absumit, epilepsiam, paralyfim, spasmodum, neruorum articulorumque dolores, lienis, renum, vesicæ, vteri frigidiores affectus soluit: hoc non arte sed natura prouenit, ac plerisque locis ex petris & rupibus emanat. 50

PLANTIVS in olea.

*Oleorum compositiones veteribus vsurpatas secutus author, nihil in iis immutandum putauit, nec (quod extrinsecus solum inducantur) tanta fuit in laborantium gratiam mutandi necessitas. Ad omnium causarum affectuumque genera, præstatißima quæque olea selegit*

oleo selegit ac protulit, ceteris prætermisissis, quæ aut parum efficacia aut supernacua videbantur. Nec enim necessarium videbatur oleum nymphææ citrinæ quòd sub altero comprehendatur, nec oleum populeum quòd efficacius eo sit unguentum populeum: nec oleum alterum mandragoræ, nec oleum costinum, nec oleum de piperibus, nec oleum maioranæ, nec irinum compositum, nec sambuchinum, nec moschelinum, quòd alia satis multa existant, quibus vsu faciliore maior sit calfaciendi, attenuandi digerendique facultas,

## DE VNGVENTIS.

10



VNGVENTVM Galeni refrigerans, ad phlegmonas, erysipelata, herpetas, omnemque calidiorem intemperiem efficax.

℞. ceræ albæ ℥ iiij, olei rosati lib. j. liquata vase duplici in vas aliud transfundantur, sensimque affusa aqua frigidissima ac subinde mutata diu subigantur. Postremò autem semperuiui aut solani defecatus succus subigendo infunditur, si præsertim ad affectus non exulceratos exposcitur, aut acetum si integra nec dum exasperata est cuticula.

## PLANTIVS in unguenta.

20 Unguentum Galeni refrigerans tametsi descriptione vulgari nec solani nec semperuiui succum habeat, his tamen adiectis efficacissimum redditur ad omnes affectus qui refrigerari postulant.

VNGVENTVM rosatum ad eosdè quoque affectus adhibetur, at certè inefficacius:

Adeps suillus membranis expurgatus nouies lauetur aqua calida, ac deinde toties aqua frigida: postea rosarum rubrarum recentium contusarum par pondus ei permisceatur, sinaturque marcescere diebus septem. Fusus adeps igne lento percoletur, rursumque in eo rosarum tusarum tantundem maereretur diebus septem, affuso pariter succi rosarum dimidio, & olei amygdalini partibus sex: rursum sensim coquantur dum succus totus absorptus fuerit.

30 VNGVENTVM populeum phlegmonas, febrium æstus, renum capitisque ardores compescit, somnum temporibus illitum conciliat.

Gemmarum populi recentium lib. j. maceretur in axungia suillæ insulsæ præparatæ lib. iiij. dum quæ sequuntur omnia ætate comparari possint.

℞. foliorum papaueris rubri, foliorum mandragoræ, foliorum hyoscyami, cymarum rubi tenerrimarum, solani, lactucæ, semperuiui maioris & minoris, bardanæ, violæ, umbilici veneris an. ℥ iiij. contusa omnia permisceantur axungia & oculis populi, exactis diebus x. affunde aquæ rosarum lib. j. coquantur igne læto dum aqua omnisque liquor sit absorptus, coletur exprimatürque, ac si opus sit recoquatur dum unguenti temperaturam acceperit.

40 VNGVENTVM album refrigerans ac leuiter adstringens, inflammationes exustionesque compescit, scabiei & pruritus ardorè omnè que biliosas eruptiones restinguit.

℞. cerusæ ℥ iiij. lithargyri ℥ ij. lauentur diu in aqua rosarum, qua eiecta mortario excipiantur, sensimque oleum affundatur rosaceum quantum combibere possint, continenter agitando atque subigendo dum bona sit unguenti consistentia: addatur sub finem acetum albi paxillum & caphuræ ℥ j. β.

## PLANTIVS.

50 Unguentum album quale hic descriptum est, vnum erit vice eorum quæ inscribuntur, unguentum de lithargyro, unguentum nutritum, unguentum de cerusa crudum, & unguentum de cerusa coctum, quod & emplastrum de cerusa appellatur: eorum enim vires hoc vnum complectitur.

VNGVENTVM adstringens laxiores partes contrahit, ductus viasque coarctat, fluxiones intercipit atque repellit, vuluæ, vteri, sedis, intestinique prolapsum cohibet, & profluentem sanguinem admotum sistit.

℞. gallæ immaturæ, nucum cupressi, baccarum myrti, balauftiorum, malicorij, corticum glandium, acatiæ, rhois, mastiches an. ʒ. j. omnia exquisitissimè trita macerentur dies circiter quatuor in succis mespilorum & sorborum immaturorum, deinde siccantur igni non acri, & cum olei rosati sæpius in aqua aluminosa loti lib. j. β. & ceræ albæ ʒ. iiij. fiat vnguentum.

## PLANTIVS.

*Unguentum hoc adstringens quòd validissimum sit ac paratu facile, vsurpandum erit pro vnguento comitissæ & alio quouis adstringente.*

VNGVENTVM diachalciteos, quod & palmæum appellant, omnes recentes fluxiones sistit, veteresque resoluit, vlcera maligna & dysepulotica glutinat.

℞. adipis suilli recentis sine sale & fibris lib. ij, olei veteris, lithargyri triti & creti an. lib. iiij, chalcitidos læuigatæ ʒ. iiij. Adeps & oleum liquantur prunis non acribus, iisque insperguntur lithargyros & chalcitis, mouenturque continèter tribus palmæ aut saltem myrti, sorbi, mespilive ramis recentibus, vbi cerati crassities erit, inter coquendum ramus tenellus minutim concisus iniicietur: rursumque coquetur donec digitos non inquiet, veramque emplastri temperaturam sit assequutum.

## PLANTIVS.

*Unguentum diachalciteos ex hac Galeni descriptione vsurpandum est vice eorum quatuor quæ à Mesuetraduntur, duo sub descriptione vnguenti diaphæmicon, aliæque duo sub descriptione vnguenti palmaei.*

VNGVENTVM diapompholygos refrigerat, adstringit, fluxiones inhibet & vlcera caua implet, maligna ad cicatricem perducit.

℞. olei rosacci ʒ. x, succi solatri ʒ. iiij. bulliant ad succi consumptionem: adde ceræ albæ ʒ. v, cerusæ lotæ ʒ. ij,

plumbi vsti & loti, pompholygis, thuris añ vnciam: coquantur in vnguenti formam.

VNGVENTVM rubrum exiccans eiusdem facultatis.

℞. olei rosarum lib. j. ceræ albæ ʒ. v. liquatis insperge lapidis calaminaris, terræ lemniz exquisitè tritorum añ ʒ. iiij, lithargyri, cerusæ añ ʒ. ij, caphuræ ʒ. j. coquantur in vnguentum.

VNGVENTVM dialthæas modicè calfacit, emollit, humectat atque lenit.

℞. althææ radicum recentium & contusarum lib. ij, seminis lini & fenigræci contusarum an. lib. j. macerentur in aquæ lib. viij. dein leniter coquatur exprimaturque mucilago: de hac lib. ij. & olei lib. iiij. pariter bulliant dum mucilago sit absumpta, ac tum adde

ceræ lib. j, resinæ lib. β, terebinthinæ ʒ. ij. percoquantur in vnguenti crassitiem.

## PLANTIVS.

*Unguentum dialthæas simplex descriptum est, quòd compositum propter colophonium & galbanum, & gummi hederæ sordidum nimis esset, aliæque extarent ad digerendum efficaciora.*

VNGVENTVM resumptiuum dictum, cui etiam summa vis inest emolliendi blandè & sine manifesto calore asthmaticis, hecticis, tabidis, pleuriticis atque febricitantibus tutò adhiberi potest.

℞. seminis lini, althææ & fenigræci, gummi arabici, tragacanthæ an. ʒ. ij. macerentur & bulliant in lib. β. aquæ rosarum, eliciatur mucilago, in qua dissolue adipis suilli, gallinæ, anseris & anatis añ ʒ. ij,

œsypi ℥β,  
olei violarum, chamæmeli & amygdalarum dulcium añ ℥ij,  
medullæ vituli, butyri recentis, ceræ albæ añ lib.β. coquantur in vnguentum.

## PLANTIVS.

*Unguentum hoc, quod resumptiuum inscribitur, ea est compositione, ut cæteris quæ ad emolliendum, leniendum aut relaxandum composita sunt, iure præferendum sit. Nam neque vnguentum diadipibus, neque vnguentum pectorale geminum, neque vnguentum phlogagry, neque vllum vsquam ad emolliendum, & ad eos quos dixi effectus præstantius.*

10 VNGVENTVM agrippæ non modò emollit, sed & validè attenuat & incidit, corporisque œdemata discutit, & vetera neruorum vitia sanat, renum dolori succurrit, ventrem illitu subducit, & hydropicos iuuat.

℥. radice bryoniæ lib. ij,  
radicum cucumeris agrestis lib. j,  
scyllæ lib. β,  
radicis ireos recentis ℥ iij,

radicum filicis & ebuli, tribuli marini añ ℥ ij. Tinsa omnia recentia macerentur diebus sex vel octo in olei veteris non rancidi lib. iij, parum deinde feruefiant, & in expresso oleo ceræ citrinæ ℥ xv. liquefiant in vnguenti consistentiam.

20

## PLANTIVS.

*In vnguento Agrippæ rectè monet simplicia omnia recentia sumenda esse, nec admodum esse coquenda: his enim crudis tametsi vis inest molliendi & attenuandi validissima, coctione tamen perit atque disperditur. Unde alio loco rectè præcepit auctor ad scirrhus emolliendos ex hisce radicibus contusis atque crudis addita axungia & cera cataplasma confici in primis efficax.*

VNGVENTVM ἀπὸ γυν, id est auxiliare calfacit, validè extenuat atque digerit, corporis præsertimque neruorum frigidis affectibus, conuulsioni, resolutioni, lumborum, articulo-  
30 ticulorum, colicòque dolori aptum.

℥. rorismatini, maioranæ, radice iari, serpylli, rutæ, radice cucumeris agrestis añ ℥ iij β,

foliorum lauri, saluæ, sabinæ, pulicarię maioris & minoris, radicum bryoniæ añ ℥ iij,  
laureolæ ℥ ix,

foliorum cucumeris agrestis & nepitæ añ lib. β. Omnia Maio mense collecta & expurgata tunduntur recentia, & macerantur diebus septem in olei optimi lib. vj. affusa aqua vitæ ad lib. j.

deinde coquantur dum contabescant & absorpta sit aqua, oleum percolatur in quo ceræ ℥ xvj. liquantur & adipis vrsini, olei laurini añ ℥ iij,

40 olei moschelini ℥ β,

petrolæi ℥ j,

butyri ℥ iij, agitando hi pulueres insperguntur,

mastiches, olibani añ ℥ vij,

pyrethri, euphorbij, zinziberis, piperis añ ℥ j. Omnia in vnguenti formam coëant.

VNGVENTVM marciatum magnum cerebri, neruorum articulo-  
rumque frigidis affectibus, tremori, conuulsioni, paralyfi, arthritidi in primis utile: præduris tumoribus  
50 lienis præsertim emolliendis efficax.

℥. ceræ albæ lib. j,

olei lib. iij,

50 roris marini, foliorum lauri añ ℥ iij,

tamarisci ℥ iij,

rutæ ℥ iij. β,

ebuli, sabinæ, balsamitæ, id est mentæ aquaticæ, ocimi, saluæ, polij, calaminthes, artemisiæ, helenij, betonicæ, acanthi quæ est branca vrsina, aspargulæ quæ est aparine, anemones quæ herba venti dicitur, pinpinellæ, agrimonij, absinthij, phlomi minoris qui & herba parayfis, costi herbæ hortensis, quæ herba dicitur sanctæ Mariæ, cymarú sam-

buci, semperuiui minoris quod crassula appellatur, mille folij, semperuiui maioris, chamædryos, plantaginis seu quinque neruiæ, centaurij minoris, fragariæ, quinque folij, tetrahit id est herbæ Iudaicæ an. ʒ ij. ʒ ij,

radicis althææ, cumini, myrrhæ an. ʒ j ʒ,

fenigræci ʒ vj,

butyri ʒ v,

femini vrticæ, violarum & papaueris rubri, mentastri seu mentæ agrestis, mentæ fatiæ, oxylapati, polytrichi, cardiobatani, id est cardui benedicti, periclymeni, id est caprifolij seu matris syluæ, maratri, herbæ moschatæ quæ est prima geranij species, trifolij acerofi quod aleluya dicitur, scolopendrij quod est ceterach, crispulæ, id est buphthalmi, caphuratæ herbæ, id est abrotoni, styracis, medullæ ceruinæ an. ʒ ij,

adipis vrsini, adipis gallinacei, mastiches an. ʒ ʒ,

thuris ʒ ij,

olei nardini ʒ j. Herbæ ad finem Maij mensis collectæ ecêtes terantur macerenturque diebus septem in vino optimo odorato, octauo die coquuntur simul dum vinum ex dimidio absumptum sit, ac tum oleum affunditur. Rursúmque coquuntur dum herbæ contabescant & vinum prorsus sit absumptum: deinde colatur & exprimitur oleum, in quo rursus concalescens styrax, butyrum, adipis, mastiche, thus, oleum nardinum, & cera quo dixi ordine adiiciuntur, cumque dissoluta fuerint agitatione continenti substrahantur igni, & concretum vnguentum recondatur.

## PLANTIVS.

*Unguenti martiati tres apud quosdam traduntur descriptiones non admodum quidem necessariae ad frigidos neruorum aliarumque partium affectus, cum ad hos abundè faciat vnguentum aegum nunc descriptum. At verò qui martiatum hoc habere velit, descriptionem hanc sequatur ex Nicolao Myrepsso depromptam atque reformatam.*

VNGVENTVM basilicum minus quod & tetrpharmacum veteres appellarunt, calfacit, humectat, dolorem mitigat, ac pus mouet, phlegmonis incrementibus vtile.

℞. resinæ, picis, ceræ an. ʒ. ʒ. olei quod satis est.

BASILICVM magnum eadem præstat, & detergendis quoque & implendis vlceribus idoneum.

℞. ceræ albæ, resinæ, seui vaccini, picis, terebinthinæ, olibani, myrrhæ an. ʒ j, olei quod satis est.

## PLANTIVS.

*In vnguento basilico, aureo, apostolorum, ægyptiaco & enulato nihil immutandum putauit: in vnguento citrino simplicium doses admodum incertas atque deprauatas reformauit, atque plus inesse voluit radicis dracuntij (cuius ad propositos cutis affectus summa vis est) quàm cerusæ aut alterius cuiusuis simplicis. In componendi quoque ratione certum modum expressit adiiciendorum citriorum malorum, quorum pulpa atque succus ad ea cutis vitia non minùs vtilis, imò etiam vtilior quàm cortex habetur.*

VNGVENTVM aureum vulnera leuiter detergit, glutinat ac rutò curat.

℞. ceræ citrinæ ʒ ʒ,

olei non rancidi ʒ ij ʒ,

terebinthinæ ʒ ij,

resinæ, colophonæ an. ʒ j ʒ,

thuris, mastiches an. ʒ j,

croci ʒ j. Cera ex oleo liquatur, adiiciunturque reliqua exquisitè trita.

VNGVENTVM apostolorum vulnera & vlcera contumacia itémque fistulas detergendo expurgat, fungosam aut mortuam carnem absumit, & nouam restituit.

℞. terebinthinæ, ceræ albæ, ammoniaci an. ʒ xiiij,

opopanacis, floris æris an. ʒ ij,

aristolochiæ rotundæ, thuris masculi, bdellij an. ʒ vj,

myrrhæ, galbani an. ʒ iiij,

lithargyri ꝑ ix,

olei si æstas fuerit lib. ij. si hyems lib. iij. Bdellium, ammoniacum, opopanax & galbanum aceto macerata atque soluta cum cæteris tritis in oleum & ceram liquefacta coniiciuntur, coquanturque agitando in vnguenti formam.

VNGVENTVM Ægyptiacum multò validius quàm apostolorum vlcera vetera atque fistulosa extergit, excrecentem aut emortuam carnem vehementer exiccat & exedit non sine sensu doloris.

℥. æruginis ꝑ v,

mellis optimi ꝑ xiiij,

10 aceti fortis ꝑ vij. coquantur simul omnia dum vnguento sua crassities & purpureus color accedat.

VNGVENTVM ex enula quod Enulatum appellant, ad prurimum, ad scabiem tum siccam tum humidam, & ad alias cutis sceditates mirè efficac.

℥. radicis enulæ ex aceto coctæ, tusæ & cretæ ꝑ j,

axungia porci, olei añ ꝑ iij,

cera nouæ ꝑ j,

argenti viui extincti, terebinthinæ lotæ añ ꝑ ij,

20 salis vulgaris bene triti ꝑ ß. Cera & axungia ex oleo liquantur, his additur enula, deinde argentum viuum & sal, postremò terebinthina. Tutior eius fuerit vsus, si vice argenti viui imponantur succi fumaricæ & limonum añ ꝑ j. Vtrumque igitur seorsum habendum est.

VNGVENTVM citrinum aut rectius citreum, papulas ex bile aut salsa pituita in cute præsertimque faciei erumpentes reprimit, lentigines, impetigines, liuores, scædas cicatrices & oculorum rubores extergit.

℥. boracis ꝑ ij,

caphuræ ꝑ j,

corallij albi ꝑ ß,

amianti, id est aluminis plumosi, vmbilici marini seu belirici, tragacanthæ, amyli, crystalli, enthali, dentali, thuris albi, nitri añ ꝑ ij,

30 cerusæ ex radice dracuntij factæ ꝑ j,

cerusæ vulgaris ꝑ vj,

adipis suilli recentis salis expertis & puri lib. j. ß,

seui caprini ꝑ j. ß,

adipis gallinacii ꝑ j. Adipes in duplici vase liquefiant, in iis macerentur & leniter coquantur citrea mala duo minutim concisa. Adipes colentur in hisque trita omnia laboriosè iniiciantur & rudicula subigantur: nouissimè borax & caphura tenuissimè trita inspergantur. Coctum vnguentum ac deinde concretum recondatur.

## DE E M P L A S T R I S.

40



MPLASTRVM diachylon simplex icoris, lienis, externarumque partium præduros tumores incipientesque scirrhus emollit, sensimque dissipat.

℥. mucilaginum, seminis fenigræci, seminis lini & radicum althææ añ lib. j,

olei veteris puri ꝑ iij,

lithargyri purgati atque triti ꝑ j. ß, lithargyrum in mortario sensim oleo diluatur dū exquisita sit permissio: igni dein lento coquantur spatha assiduo subigendo dum crassescant: ac tum his paulatim infundantur depromptæ mucilagines, percoquanturque in emplastri substantiam. Si valentius desideratur in singulas libras singulæ vnciæ radicis iridis tritæ inspergantur.

50

E M P L A S T R V M diachylon magnum cui vis ad omnia quæ dixi quàm simplici præstantior est, propterea quòd ex pluribus tum mollientibus tum digerentibus constet.

lithargyri puri, triti & creti ꝑ j,

olei irini, chamemelini, anethini añ ꝑ viij,

mucilaginum seminis lini, fenigræci ficuum pinguium, & vuarum passarum, succi iridis & scyllæ, æsypi, ichthyocollæ añ ꝑ xij ß,

terebinthinæ  $\bar{z}$  ij,  
resinæ pini, ceræ citrinæ añ  $\bar{z}$  ij. Omnia in emplastrum redigantur eadem arte qua in simplici diximus.

EMPLASTRUM è mucilagibus præduros quoque tumores validè mollit ac digerit, abscessus quoque maturat, eorúmque ruptorum saniem ac pus abstergit.

℞. mucilaginum seminis lini, althææ, fenigræci, & mediani corticis vlmi añ  $\bar{z}$  iij  $\beta$ ,  
oleorum chamæmeli, liliorum & anethi añ  $\bar{z}$  j,  
ammoniaci, galbani, opopanax, sagapeni añ  $\bar{z}$   $\beta$ ,  
croci  $\bar{z}$  ij,  
terebinthinæ  $\bar{z}$  ij,  
ceræ nouæ  $\bar{z}$  xx. fiat emplastrum arte iam præscripta.

PLANTIVS in emplastra.

Multa quidem ad emolliendum emplastra veteres descripserunt, & ex his quatuor sub nomine, diachylon, quorum duo hæc tamen præstantissima sunt. Sed & hoc emplastrum è mucilagibus multò ad omnia potentius existit quàm quod Zachariæ filio adscribitur, quod proinde minimè describendum fuit.

EMPLASTRUM è meliloto strenuè quoque emollit ac digerit, dolorésque lenit, accommodatum ventriculi, iecoris, atque lienis præduris tumoribus tensisque hypo-  
chondriis. 20

℞. meliloti  $\bar{z}$  vj,  
florum chamæmeli, seminis fenigræci, radicis althææ, baccarum lauri, absinthij, sam-  
puchi añ  $\bar{z}$  iij,  
cardamomi, cyperi, ireos, spicæ nardi, ammios, cassiæ lignæ, seminis apij, anisi añ  
 $\bar{z}$  ij.  $\beta$ ,  
ammoniaci  $\bar{z}$  x,  
styracis, bdellij añ  $\bar{z}$  v,  
terebinthinæ  $\bar{z}$  j.  $\beta$ ,  
ficus pingues xij,  
seui hircini, resinæ añ  $\bar{z}$  ij.  $\beta$ ,  
ceræ  $\bar{z}$  vj,

olei maioranæ & nardini añ. quantum sufficit, fiat emplastrum. Seuum hircinum, re-  
sina & cera in oleis liquentur, his ficus pingues trita & cretæ addantur, deinde ammo-  
niacum & bdellium aceto soluta, postea terebinthina, postremò reliquorum pulve-  
res creti.

PLANTIVS.

Emplastrum è meliloto, è baccis lauri, ceroneum & oxycroceum satis quidem esse vi-  
debuntur ad omnes affectus & dolores qui digeri resoluique postulant, vt idcirco non aliis  
opus fuerit, neque emplastrum è snapi, neque emplastris variis è fermento, neque emplastrum  
de allis, neque emplastrum relato ad Aristarchum. 40

EMPLASTRUM è baccis lauri ventriculi, præcordiorum, intestinorum, vteri ac ve-  
ficæ, aliarúmque partium dolores à flatibus aut à frigida quavis causa subortos mirè  
demulcet.

℞. thuris, mastiches, myrrhæ añ.  $\bar{z}$  j,  
baccarum lauri  $\bar{z}$  ij,  
cyperi, costi añ.  $\bar{z}$   $\beta$ , mellis colati quantum ad omnia cogenda satis est. Id putant ad  
hydropem mirabile reddi si pondus cyperi sit  $\bar{z}$  j.  $\beta$ , & caprinum stercus arefactum ad-  
datur pondere  $\beta$ .  $\beta$ ,

EMPLASTRUM ceroneum lienis duritiem mollit, hydropi & frigidis vteri affecti-  
bus, thoracis scapularúmque doloribus à frigore ortis succurrit. 50

℞. picis naualis colatæ, ceræ añ.  $\bar{z}$  ij. &  $\bar{z}$  iij,  
sagapeni  $\bar{z}$  ij,  
ammoniaci, terebinthina, colophonix, croci añ.  $\bar{z}$  j. &  $\bar{z}$  iij,  
aloës, thuris, myrrhæ añ.  $\bar{z}$  j,

opopanacis, styracis, galbani, mastiches, aluminis, fenigræci, styracis rubri, bdellij añ 3 iij,

lithargyri 3 j, ß. Emplastrum hac forma concinnetur: sagapenum, galbanum, opopanax, ammoniacum & pix vino liquentur & colentur, his colophoniam colatam, deinde styracem, mastichen, thus, myrrham, bdellium trita cretâque, paulò post iniice terebinthinam, alumen, lithargyrum & fenigræcum. Coctum ex his emplastrum in aquam mergitur frigidam & subigitur manibus addito puluere aloës & croci manibus semper vnctis oleo laurino, concinnantur magdaleæ.

10 E M P L A S T R U M oxyeroceum omnem quoque duritiem mollit, atque discutit, articulorum dolores & eos qui circum membranas sunt ossium euocat atque disperdit.

℞. ceræ, picis naualis, croci, colophonix añ 3 iij,

terebinthinæ, galbani, ammoniaci, myrrhæ, thuris mastiches añ 3 j. & 3 iij. Galbanum & ammoniacum aceto liquantur atque colantur: pix dein colata additur, ab hac cera, mox colophonia & terebinthina, non multò post thus, mastiche & myrrha. Coctum emplastrum in frigidam mergitur, expressumque subigitur cum puluere croci, manibus oleo perunctis.

E M P L A S T R U M de ianua ad vulnera & recentia vlcera mirè efficax inflammationem sedat, detergit, agglutinat & carne implet, & ad cicatricem perducit.

℞. succorum apij, plantaginis & betonicæ añ lb. j,

20 ceræ, picis, resinæ, terebinthinæ añ lb. ß. In succis reliqua tria sensim agitando coquantur ad succorum consumptionem, ac tum igni sublatis addatur terebinthina.

E M P L A S T R U M gratia Dei ex eadem ferè materia & ad eisdem vsus:

℞. terebinthinæ lb. ß,

resinæ lb. j,

ceræ albæ 3 iij,

mastiches 3 j,

betonicæ, verbenæ, pinpinellæ recentium an. m. j. tunxæ herbæ ex vino albo coquantur dum tabescant, liquor exprimat in quo cera, resina & mastiche coquantur in idoneam emplastri consistentiam: igni sublatis terebinthina permisceatur.

30 E M P L A S T R U M diuinum ad maligna vlcera multò præstantius, eorum enim saniem ac putredinem detergit & absūmit, nouam carnem profert & ad cicatricem perducit.

℞. galbani, myrrhæ an. 3 j, & 3 ij,

ammoniaci 3 iij, & 3 iij,

opopanacis, mastiches, aristolochiæ longæ, æruginis an. 3 j,

lithargyri, olei communis an. lib. j. ß,

ceræ nouæ 3 viij,

thuris 3 j, & 3 j,

bdellij 3 ij,

40 magnetis 3 iij. Lithargyrum cum oleo agitando permiscetur, postea coquitur dum crassecat, tum cera additur minutim concisa, ea liquata igni auferitur, addunturque galbanum, ammoniacum, opopanax & bdellium ex aceto vel vino dissoluta, cocta & colata: deinde puluis inspergitur myrrhæ, mastiches, thuris, aristolochiæ & magnetis: postremò æruginis, ne hac diutius cocta emplastrum rubrum euadat.

P L A N T I V S in emplastrum diuinum.

Emplastra quæ ad vulnera & vlcera describuntur, de ianua gratia Dei & diuinum, ea quoque satis sunt, nec plura huc adferenda fuerant. Nam emplastrum oribasii duplex & emplastrum apostolorum comprehenduntur sub hoc diuino, quòd in eisdem sint 50 vsus, minus amen efficacia.

### E M P L A S T R U M A D H E R M I A M.

℞. gallarum,

nucum cupressi,

psidix,

balauftiorum,  
 acatiæ,  
 Seminis plantaginis,  
 seminis psyllij,  
 Seminis nasturtij,  
 cupularum glandium,  
 fabarum torrefactarum,  
 aristolochiæ longæ & rotundæ,  
 myrillinorum añ ʒβ, hæc omnia pulueriscentur & in aceto rosato macerentur per  
 quatuor dies, deinde torrefiant & exiccantur. 10

## T V M.

℞ consolidæ maioris & minoris,  
 caudæ equinæ,  
 glasti,  
 scolopendrij,  
 radicis osmundæ regalis & filicis añ ʒj.  
 thuris, myrrhæ, aloës, mastiches, nummi añ ʒij,  
 boli armenæ lotæ in aceto, lapidis calaminaris præparati, lithargyri auri, sanguinis 20  
 draconis añ ʒij,  
 picis naualis ℥.ij,  
 terebinthinæ ʒvj, vel quantum satis sit ad emplastrum fingendum.

## PLANTIVS.

*Prætermiffa hîc quoque sunt alia emplastra adstringentia & corroborantia ventri-  
 culum, renes & uterum, quæ non vſurpantur, & pro quibus alia quadam in rem præſen-  
 tem præſtitui ſolent: vt idcirco videatur hic emplaſtrorum & aliarum compoſitionum nu-  
 merus ſatis eſſe ad pharmacopœiam & ad curanda ſumma morborum, cauſarum &  
 ſymptomatum genera: neque opus fuit medicamentarium hunc librum otioſis & ſuper- 30  
 uacuis compoſitionibus implere, quæ non niſi fruſtrâ & ad confuſam multitudinem au-  
 gendam recenſeri poſſunt. Quæ autem compoſitiones ad peculiare quosdam & ſingula-  
 res affectus curandos vtilis exiſtant, quia rarius contingunt, in propria ſingulorum cura-  
 tione tanquam illis peculiare & accommodata tradentur.*

## METHODI MEDENDI LIBRI

SEPTIMI FINIS.

IOAN.



EMPLASTRVM AD HERMIAM.